



P/MSB.

S.H/-

m/g

1812-1813
1812-1813

Source 2/21-red

Tracts for the Times, No. 90, is reported to have been founded upon this famous treatise of Sancta Clara, the original edition of which is of the greatest rarity, but we have here an accurate and beautiful reprint of it accompanied with English translation, and a most interesting account of the author."

1751-

LIBRARY

Brigham Young University

RARE BOOK COLLECTION

Rare

283.02

F847d

1634

BRIGHAM YOUNG UNIVERSITY



3 1197 23115 7188

DEVS, NATVRA. GRATIA.

SIVE TRACTATVS,

De Prædestinatione, de Meritis & peccatorum remissione,
seu de Iustificatione, & denique de Sanctorum
Inuocatione.

*Vbi ad trutinam Fidei Catholicae examinatur Confessio Angli-
cana & ad singula puncta, quid teneat, qualiter
differat, excutitur.*

Doctrina etiam Doctoris Subtilis, D. Augustini sequacis acutis-
simi, olim Oxoniae & Cantabrigiae, & solemniter appro-
bata, & honorificè prælecta, exponitur
& propugnatur.

*Accessit paraphrastica Expositio reliquorum Articulorum
Confessionis Anglicanae.*

Per Fr. FRANCISCVM A SANCTA CLARA, olim apud Duacenses
in Collegio D. Bonauenturae, Prouinciæ Angliæ FF. Minorum,
S. Theol. Lectorem primum.

*Non habent Dei charitatem, qui Ecclesia non diligunt unitatem. S. August.
de Bapt. contra Donat. lib. 3. cap. 16.*



L V G D V N I,

Sumptibus ANTONII CHARD, sub signo S. Spiritus.

M. DC. XXXIV.

Cum Priuilegio Regis & Approbatione Doctorum.



SERENISSIMO
ATQVE INVICTISS. PRINCIPI
CAROLO I.
MAGNÆ BRITANNIÆ,

&c. R E G I.



SERENISSIME REX,

Scite dictum est illud Augustini contra Cresconium: Reges, in quantum Reges sunt, seruiunt Deo, iubendo bona, & prohibendo mala, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, sed etiam quæ ad diuinam Religionem. Non utique putatio, nedum suppositio, sed plane reali titulo à Deo per Evangelicum Prophetam Isaiam ipsis concessum

Euseb.
lib. 4.

est; Erunt Reges nutritij tui, & Regina nutritiæ tuæ. Nutritiorum vero, siue tutorum est *δεξιτερωνικῶς* mala pupil-
lorum propulsare, bona præsertim, quæ ad
pietatem spectant, vijs sibi commodis pro-
mouere. Hinc Constantinus, animum in
omnes, qui suberant imperio, intentum
habuit, hortatus pro virili, ut piam
omnes vitam excolerent. Vt olim nota-
uit Eusebius in eius vita lib. 4. Ad quam
igitur, Serenissime Rex, in hac mira et
misera corporis Christi dilaceratione recur-
rendum? nisi ad terram prouolutus, sa-
cram tuam Maiestatem in opportunum Ec-
clesia subleuamen (cuius à Deo Nutri-
tius, ab eius Vicario Defensor constitu-
tus sis) interpellem? Secundum illud Au-
gustini ad Bonifacium: Cum in angu-
stijs affligitur Ecclesia, quisquis exi-
stimat, omnia potius sustinenda,
quam Dei auxilium, ut per Impe-
ratores Christianos feratur esse pos-
cendum, parum attendit, non bo-

nam de hac negligentia reddi posse rationem.

Hilarium ergo, Constantinum in hunc modum alloquens, miserias nostri sæculi (quibus succumbimus,) ipsiusmet verbis deplorans, insequar. Periculosum nobis admodum atque etiam miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates: & tot nobis doctrinas esse, quot mores: et postea. Dum aut ita fides scribuntur ut volumus, aut ut volumus intelliguntur.

Contremiscunt ossa mea dum hæc recogito: morbus, ubi spiritus vitales opprimuntur, nempe ut fides radix vite corrumpitur, difficillime sanatur. Hic morbus noster. Remedium tamen, et illud efficax, à Samaritano nostro designatum reperimus; nec aliud nisi illud: **DIC ECCLESIAE. DICO.** Ecclesie definitiones Maieitati vestræ propono, Sanctorum Patrum et Venerabilium Doctorum expositiones, Novatorum ineptijs, præpono; quas dum modeste

*retego, in Christo tego, saniam, non scal-
pendo, sed suaviter lambendo: lauo, ut ab-
luam, sacro vestro Imperio opus, quippe ut
executioni mandetur, quod ab Ecclesia et
Sanctis Patribus sancitum est, secundum il-
lud Iustiniani Constit. 42. Hæc decre-
uimus, Sanctorum Patrum Canones
secuti. Hoc tua Maiestate dignum, hoc
dignitati causæ consonum, hoc saluti ani-
marum prorsus necessarium. Et omnis po-
pulus dicet, Amen.*

SACRÆ SVÆ MAIESTATIS

Deuotissimus subditus,
FR. FRAN. A S. CLARA.

CENSURÆ ET IUDICIA
Doctorem.

*Indicium eximij D. ac Magistri nostri Iacobi Dreux,
Doctoris Sorbonici.*

Reverende Pater. Summa cum animi voluptate, legi atque expendi partem vtramque doctissimi tui Operis, in quo fateor, non modò me nihil deprehendisse à Fide orthodoxa bonisve moribus alienum, sed & laudasse consilium ac propositum tuum, quod in Ecclesiæ vtilitatem cessurum auguror, ad concilandos errantium animos, si Deus Opt. Max. cceptis tuis annuat: quod spero præcorque. Ita me amare pergas, uti me ex animo profiteor.

*Londini pridie Calend.
Augusti 1633.*

Tibi addictissimum

DREUX.

Librum hunc inscriptum, *Deus, Natura, Gratia, &c.* vidi, legi, perlegi. Quid multa? Electione sententiarum, explicatione sacrarum Scripturarum, & sanctorum Patrum, soliditate argumentorum, resolutionum pondere, claritate, methodo, stylo Scoto dignissimum reperi.

THOM. BLACLOVS
S. Theol. Professor.

Libellum qui sic inscribitur, *Articuli Confessionis Anglicanæ paraphrastice exponuntur, &c.* ex zelo Fidei & animarum scriptus omnibus concordia & pacis

Christianæ amicis non potest non esse acceptus cum
Catholico & animo & calamo scriptus sit, & erranti-
bus, vt ad Christi caulam reditum inueniant, facem
Catholicæ veritatis quasi ex propinquo ad alliciendos
pusillanimes ostendet. Actum die 5. Iulii 1633.

THOM. BLACLOVS
S. Theol. Professor.

PRO voto vestro amicus ille cuius iudicium tanti
facis, Librum hunc cui titulus, *Deus, Natura, &
Gratia, &c.* perlegit, & dignum prælo censuit, sperans
inter Protestantes saltem moderatiores, fructui futu-
rum. Actum 20. Aprilis.

FR. GVL. TOMSONVS
S. Theol. Doctor.

AMicus vester has vltimas chartas reuisit, & idem
de his quod de prioribus fert iudicium. Actum
22. Iulii 1633.

FR. GVL. TOMSONVS
S. Theol. Doctor.

TRACTatum hunc perlegi, & nihil contra Fidem Ca-
tholicam vel bonos mores aut ex alio titulo repro-
bandum: è contra vero doctrina Theologica & Scho-
lastica subtiliter confertum, reperi. Et vere secundum
calculum meum publicatio operis Protestantibus mo-
deratoribus arridebit (omnibus placere difficillimum)
& ad readunationem cum Ecclesia Romana, dum op-
portunum fuerit, disponet, & interim reuerentio-
rius
eius

eius æstimationem inuret. præsertim reliquos Confessionis Anglicæ Articulos (quod optarem) eadem moderatione exponere vellet, & ad calcem huius operis (si pro voto successerit) Lectorem spe cæterorum, foueres. Hæc opinio mea, melius sententium iudicio me submittens. Actum hac 16. April. 1633.

T. P. S. Theol. Professor.

Hanc posteriorem tractatus partem diligenter perlegi, & nihil non Catholicæ & Romanæ Fidei consentaneum reperi. Immo vt publicetur cum priori in commune bonum æquè necessarium censeo: & quo citius, melius: publicatio enim operi expeditior, non erit nociua, sed valde commoda. Actum hac 11. Iulii 1633.

Th o. P. S. Theol. Profess.

Tenore huius testificor me sedulo perlegisse & accuratè recensuisse Librum inscriptum: *Deus, Natura, Gratia, cum tractatu de Meritis & peccatorum remissione, seu de Iustificacione, deniq. de Sanctorum Innocatione, &c.* In quo nihil nisi Fidei orthodoxæ & Romanæ Ecclesiæ consentaneum occurrit: opus adeo dignissimum quod ad conscientiæ directionem, ingeniorum quantumuis subtilium eruditionem, & ad Reipubl. literariæ vtilitatem typis commendetur, & in publicum quamprimum prodeat. Datum die 20. Iunii 1633.

ÆGIDIUS CHAISSY, extra Mnr.
Prouinc. PP. Recol. Prou. S. Bernardi,
& olim tam in Italia, quam Gallia,
S. Theol. Lector Generalis.

Habita ratione tui zeli & eruditionis, attentis
etiam testimoniis horum in Schola Theologica
per illustrium virorum, Facultatem facio, quatenus,
cum salutaris obedientiæ merito, tractatum de iusti-
ficatione & problematibus annexis prælo mandare, vt
poteris citius cures. Vale, Deum pro nobis oraturus.

FR. IOAN. GENNINGS
Angliæ Mñr.

Placet, vt hæc-Expositio paraphrastica, testimo-
nio tantorum virorum approbata prælo mandetur.
Hac 20. Iulii, 1633.

FR. IOAN. GENNINGS.

Vidi & attente perlegi vtramque partem huius
operis, cui prior titulus, *Deus natura gratia, &c.*
Posterior, *Articuli Confessionis Anglicanæ paraphrastice*
exponuntur, &c. In quo vniuersa comperi, non solum
veræ fidei & orthodoxæ religioni, necnon optimis
moribus consona, sed etiam mira pietate ac eruditione
referta, dignumque censui qui possit typis manda-
ri, in cuius rei fidem hoc propria manu scripsi & sub-
scripsi, Actum die 24. Aug. 1633.

PETRVS MARTINVS,
Theol. Professor.

OMnia hæc superius exscripta exempla vidi, & cum singulis eorum Originalibus contuli, quibuscum ea concordare testor infra scriptus.

*Datum Londini 30. Calend.
Septembr. 1633.*

D. D. M. C.
Fidelis.


D. DAVID Monachus & Decanus Congregationis Casinensis olim Romæ Sereniss. D. N. Urbani Papæ octavi Pœnitentiarius, Notarius Apostolicus.

LVDOVICI XIII. Gallix & Nauarræ Regis
Christianissimi autoritate cautum est, ne quis in
ipsius regno locisve ditioni eius subiectis, Librum,
cui titulus est: *Deus, Natura, Gratia, &c.* à die quo in
lucem è prælo exiit per annos sex continuò sequentes
imprimat ex toto vel per partes, aut distrahat alterius
editionis exemplaria, præter Antonium Chard, Biblio-
polam Lugdunensem; si quis fecerit secus, confisca-
tione exemplarium, & librarum mille multa damna-
bitur, prout fusiùs in originali diplomate continetur,
Dat. Parisiis 6. Calendas Februarias.

Sic signatum.

RENOUARD.

E Typographia exijt, Caled. ipsis Februarij.



PRÆLOQVIVM.

ADMODVM eleganter D. Hierony- *Hier. ad*
mus in Epistola ad Heliodorum de *Heliod.*
morte Nepotiani, *Grandes materias*
(inquit) *ingenia parua non ferunt, &*
in ipso conatu ultra vires ausa succumbunt; Gran-
des equidem hæ materiæ, & vereor ne ingenium
nostrum in ipso conatu succumbere faciant:
Non igitur paruitati meæ, sed Sanctorum Pa-
trum & celebriorum Doctorum grauissimæ au-
thoritati innixus, audebo, & aliquantisper cona-
bor; Secundum illud Senecæ: Nos quoque apes *Sen. ep.*
debemus imitari, & quæcumque ex diuersa lectione *85. l. 12.*
congressimus, separare: melius enim distincta seruantur.
Deinde adhibita ingenij nostri cura & facultate in
unum saporem varia illa libamenta confundere, -ut
etiam si apparuerit unde sumptum sit, aliud tamen esse
quam unde sumptum est appareat.

Multa legi, & certe ab incunabulis inter Li-
bros delitui, ex omnibus aliqua congressi, an ad
placidum saporem digesserim, iudicabit Lector.
Si subinde rationes persuasivas, non demonstra-
tius inuenias, cogita materiam, secundum mo-
nitum Philosophi Ethic. 3. ipsum exactum *Et hic. 3.*
é iij

anæles, non in omnibus simili modo rationibus
 flagitandum, nec omnia tantillo temporis pro
 dignitate ponderare potui, opusculum enim
 hoc, effusum veriùs quam elaboratum est. Mi-
 raberis cur aduersariis ea quæ pacis sunt, prædico:
 Cum Christus apud publicanos ageret, idem mi-
 rati sunt Iudæi. Causa in promptu: Male ha-
 bentibus opus est medico: Non fevero, sed be-
 nigno, non dicitæriis arietando, sed dicitis placidis,
 modò solidis, aggrediendo. Hoc Apostolorum,
 illud Didascalorum. Hunc modum agendi am-
 plexus est Augustinus contra Epistolam Funda-
 menti cap. 2. *Illi in vos sæuiant, qui nesciunt cum*
quo labore verum inueniatur, & quam difficilè ca-
ueantur errores. Hoc etiam sanctus & Summus
 Leo ep. 8 Pontifex Leo epistola 8. ad Flavianum Constan-
 tinop. *Decet in talibus causis hoc maxime providere,*
ut sine strepitu concertationum, & Charitas custodia-
tur & veritas defendatur. Et ut alibi Augustinus:
Mansuetudine corpus Christi, quod est Ecclesia, vincit
inimicos. Hoc genus victoriæ humilitatem no-
 stram decet. Cæterum, Catholicam veritatem
 nullus dissimulo, inuariabilem licet varietate opi-
 nionum deornatam, exhibeo: Cuius authoritas
 ut facta tecta sit, vnice studeo. Aduersariorum
 dogmata si subinde mitius expono, cui iniuria?
 nisi minus mihi in causa Angliæ quàm grauissi-
 mo Arcudio, immo omnibus Scholasticis in 4. pro
 Græcia Costero, & omnium doctissimo nostro
 Vegæ pro Germania, vel Thomæ à Iesu pro to-

Costero
2. p. En-
stir.

to mundo, vel Cano in locis præfertim lib. 5. c. 5.
 4. & alibi. Ob vnitatem religionis, liceat: Omnes docti, omnes pii. Græcus & Scholaſtici de Sacramentis paſſim, Germanus in Apologia pro 2. par. Enchirid. contra Gomer, præfertim cap. 6. Vega ſuper Tridentinum vt poſteà, Alter de conuerſione omnium gentium frequens, ſinguli errores de quibus agunt, vt poſſunt, mitigant, vias readunandi ſubminiſtrant, idem proſus ego. Vnitatem ſuadeo, colo, vt omnes colerent, excolerent. *Per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti* 2. Cor. 10
omnes obſecro. Illud Cypriani in epiſtolis mihi Cyp. in epiſt.
 ſemper obuium: *Quisquis Eccleſiæ non tenet vnitatem, prophanus eſt, alienus eſt, foris eſt.* Heu quot profanæ diuiſiones, alienæ diſſectiones, circumforanæ ſectæ, contra Eccleſiæ & fidei vnitatem ſubortæ, vtinam abortæ! ſed opportune Tertull. Tertull. de Præſc.
 de Præſcriptionibus ſub initium: *Conditio præſentium temporum, Fratres, etiam hanc admonitionem prouocat noſtram, non oportere nos mirari ſuper hæreſes iſtas, ſiue quia ſunt, futura enim prænunciabantur, ſiue quia Fidem quorundam ſubuertunt: ad hoc enim ſunt, vt Fides habendo tentationem, habeat etiam probationem.* Hæc ille. Pulchrè etiam ad hoc Aug. Aug. cõfeſſ. 7. c. 19.
 guſtinus lib. Confessionum 7. cap. 19. *Improbatio hæreticorum facit eminere quid Eccleſia Dei ſentiat, & quid habeat ſana doctrina; Oportuit enim & hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fierent inter infirmos.* Sed vnde tot ſaltem Doctores his diuiſionibus corrupti? Non ego, ſed magnus Vincentius Lerinẽſ. c. 23.

Lerinenſis contra hæreſes ſic reſpondet: *Magna profecto res eſt, & ad diſcendum utilis, & ad reco- lendum neceſſaria, quam etiam atque etiam exemplo- rum molibus illuſtrare atque inculcare debemus, ut om- nes fere Catholici noverint ſe cum Eccleſia doctores re- cipere, non cum doctõribus Eccleſiæ Fidem deſerere de- bere.* Aureum dictum & Vincentii pectore di- gnum: ibi Origenem, Tertullianum, Apollina- rium & alios celeberrimos viros annumerat: ten- tatio quidem populi error Magiſtri, ut recte ip- ſe. Errarunt illi magni orbis Magiſtri, tentatio noſtra eſt, Reliquum eſt ut oremus & ſemper co- nemur, ne leuiculorum more omni vento do- ctriinæ moueamur, ne amplius homines ſimus, ſecundum illud: *Cum ſint in vobis Schiſmata, non- ne homines eſtis?* Oportet utique nos hac in parte Deos eſſe. Et ad hoc nos vocat Deus, ſecun- dum Auguſtinum ſuper Ioannem, ſerm. i. ubi ſic exponit illud Pauli ad Corinth. ſicut etiam dicitur, Pſal. 81. *Ego dixi: Dii eſtis.*



PROBLEMA PRIMUM.

De Prædestinatione Sanctorum.



T conueniamus de quid rei esse, præmittam definitionem Augustini ab omnibus receptam, & ad normam eius examinabo, qualiter Nostrates conueniant vel non conueniant nobiscum; *Prædestinatio Sanctorum nihil aliud est quam præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus cer-*

Definitio prædest. ex Aug. l. de bono persever. cap. 14.

tissime liberantur quicumque liberantur. Ad intelligendam definitionem, sciendum quod Theologi in Deo considerant triplicem scientiam, ratione inter se diuersam.

Prima est simplicis intelligentiæ, quæ ordine rationis præcedit alias: hæc respicit pro obiecto primario ipsam essentiam diuinam, & pro secundario omnes quidditates creatas necessarias: verbi gratia, omnes connexiones proprietatis Metaphysicæ cum suo subiecto, generis cum differentia, &c.

Secunda scientia vocatur conditionata seu media, cuius obiectum non est aliquid simpliciter necessarium, nec aliquid absolutè futurum, sed potius conditionate: & per hanc scientiam nouit Deus (si talis datur scientia) quid facturus esset Petrus si taliter tentaretur, & cum talibus circumstantiis; & si talis gratia ei conferretur, &c.

Tertia scientia est visionis, quæ respicit id quod est absolutè futurum, & efficaciter à voluntate diuina definitum; verbi gratia, An Petrus saluabitur, vel non saluabitur; & hæc scientia ordine rationis est posterior in Deo actu libero suæ voluntatis circa creaturam: & per hanc scientiam dicitur Deus cognoscere futura absoluta in decreto suæ voluntatis; in quo distinguitur à priori, quæ præcedit decretum actuale diuinæ voluntatis ordine rationis, & qua dicitur cognoscere futurum condicionatum independenter ab illo decreto in actu posito, & de illa scientia visionis videtur loqui Augustinus, & sic se explicat, c. 14.

Aug. c. 14

Arriba.

l. 1. c. 9.

6. Ethic.

Doctissimus quidem noster Arriba l. 1. c. 9. vt evita-
ret illam scientiam mediam, astruit loco eius aliam virtu-
tem intellectuam ex 6. Ethic. nempe sapientiam, quæ
habet versari penes quodcumque cognoscibile, & se-
cundum D. Thom. iudicat de omnibus; quando igitur
cognitio Dei terminatur ad res, non vt in Deo ipso
eminenter existunt, neque vt in seipsis, sed secundum
quod existunt in suis causis, siue liberis, siue necessariis,
tunc illa Dei cognitio fortitur nomen sapientiæ; & est
omnino certa, non tamen infallibilis infallibilitate
scientiæ, quæ necessario sumitur ab obiecto; quia se-
cundum Philosophum, *Est eius cuius demonstratio*; est ta-
men infallibilis infallibilitate sapientiæ, quia hæc non
necessariò sumitur ab obiecto, sed ab intellectu diuino
perfectissime & infallibiliter iudicante, etiam de fallibi-
libus & contingentibus, quia comprehendit omnes cau-
sas; & cum infallibilitate huius cognitionis stat fallibili-
tas & contingentia in obiecto. Fundat se super illud
Pauli, *ô altitudo diuinarum sapientiæ & scientiæ*, &c. & su-
per Aug. ibidem, vbi in sensu Apostoli illa duo distin-
gui declarat, his verbis: *Licet alius aliam differentiam
proferat, nisi tamen diuersa essent, non sic ab Apostolo di-
stinguarentur*. Quæ omnia eleganter quidem dicta
sunt, & magnam probabilitatem habent, sed definitio
tacta & opinio Doctoris non ad nomen scientiæ limitat.

Quando ergo dicit, *esse præscientiam, &c.* vult dicere esse præscientiam in præparatione fundatam, non autem quod sit præscientia antecedens præparationem seu decretum, vt rectè aduertit Suarez de auxiliis opusculo primo l. 3. c. 16. n. 15. Suar. l. 3. c. 16. n. 15.

Notandum etiam quod dicitur *præscientia beneficiorum*, ratione connotati & connotantis tantum, quatenus scilicet, Deus scientia approbationis scit istum saluandum, quem ex decreto ordinat ad salutem: in recto enim & formaliter Prædestinatio est actus voluntatis, non intellectus, sicut etiam prouidentia, (ad quam prædestinatio pertinet) est propositum voluntatis, quo media ab intellectu diuino proposita acceptantur & decernuntur: Alij aliter explicant, consequenter ad sua fundamenta, scilicet, de præscientia conditionata, quæ antecedit decretum: sed non est præsentis institutivam mouere cum Scholasticis.

Doctor Subtilis 3. dist. 7. quæst. 3. in verbis aliam, sed in re fere eandem dat descriptionem. Scot. 3. d. 7. quæst. 3.

Prædestinatio est præordinatio alicuius ad gloriam principaliter, & ad alia in ordine ad gloriam; vbi non excludit, sed supponit præscientiam illam, in recto tamen dicit præordinationem. Definitio Scot.

Est etiam alia definitio communiter in scholis proclamata, quæ quidem paulo adæquatius rem explicat, in re tamen coincidit cum prioribus.

Prædestinatio est ordinatio electionis à diuina voluntate, quæ eligit naturam intellectualem ad gratiam & gloriam. Definitio communis.

Vbi additur (*nature intellectualis*) non rationalis, ne excluderentur Angeli, qui non proprie dicuntur rationales, quia non discurrunt more hominum, sed intellectuales, vt bene notauit post alios Pofnaniensis in Institut. speculatiuis Dominicæ primæ Quadragesimæ. Pofnaniens. Institut.

Et cum his tribus conuenit descriptio Prædestinationis in Art. 17. Confessionis Anglicæ affixa, quam sic Latine reddo:

Confess.
Angl.

Prædestinatio ad vitam, est illud æternum decretum Dei, quo ante constitutionem mundi, suo secretissimo consilio decrevit liberare à maledicto damnationis, quotquot de genere humano in Christo elegit, & eos per Christum manuducere, ut vasa honoris in vitam æternam: Sic illi; & ni fallor recte, imo exacte explicant quæsitum; quod enim addunt, (quotquot de genere humano in Christo elegit) addidit etiam D. Paulus: prædestinauit nos per Iesum Christum in ipsum, id est, in ipsius honorem: Sensus ergo est, Christum esse primum omnium prædestinatorum, & primitate dignitatis, quia ad maxima bona supernaturalia, & primitate finis, quia propter ipsius gloriam prædestinati sunt cæteri. Prædestinatio ergo Christi fuit plane absoluta ab omni respectu ad prædestinationem aliorum; itayt in primo signo diuinæ prouidentia supernaturalis directe nec indirecte prædestinati sint electi, sed solum in sequenti signo, quia in ipsum, vt loquitur D. Paulus, & in ipso, id est, tanquam in capite omnium electorum.

Scot. 1. d.

41. quæst.

unica. §.

Potest ali-


ter dici. &

3. d. 7. q. 3.

dub. 1.

Hæc etiam est doctrina Doctoris Subtilis & suorum, 1. dist. 41. quæst. vnica. §. Potest aliter dici; & 3. dist. 7. quæst. 3. dub. 1. Additur, Et eos per Christum, &c. In prioribus verbis insinuari videtur decretum intentionis, scilicet, de liberando à maledicto, &c.

In his posterioribus decretum executionis per Christum, id est, per gratiam, & alia auxilia electis ob merita Christi ad finem attingendi vitam æternam in tempore conferenda: Nulla igitur hætenus differentia. Sed conscendamus ad causas Prædestinationis,



PROBLEMA SECUNDVM.

De causis Prædestinationis.

Hic utique semper magna difficultas, & pro diuersitate capitum, diuersæ sententiæ; Sed vt statum rei penitius inspiciamus;

Notandū, quod dum causas Prædestinationis inuestigamus, non intelligimus de causis diuinæ voluntatis ex parte actus volendi, sed ex parte volitorum, in quantum Deus vult vnum esse propter aliud.

Vel si mauius loqui cum Suarez 1. p. l. 2. de præd. c. 1. Suarez r. par. l. 2. de Præd. c. 1. etiam ex parte ipsius actus diuini non absolute spectati, (quia sic est ens per essentiam, quod nullam causam habere potest) sed terminati ad creaturam. vt sensus sit, Quænam sit causa, cur diuina voluntas quosdam ad vitam æternam elegerit, non causâ Physica, sed moralis & meritoria.

Vbi sane mirum, immo non mirum (quia spiritus contradictionis eos pro more præoccupat) quomodo impigerunt hæretici, & in opposita extrema se proiecerunt.

Aliqui enim principium nostræ saluationis ipsi naturæ tribuerunt, licet perfectionem eius subsidiis gratiæ: sic Semipelagiani, vt Cassianus & Massilienses, vt notauit antiquitas, præsertim S. Prosper, qui eos fortiter expulit.

Alii non partim gratiæ & partim naturæ, sed initiatiue & completiue ipsi naturæ, vt Origenes in libris Origen. in Periarchon. Periarchon, prout de hoc notatur apud Doctores, & post eum fusiis & explicatiis Pelagius & sequaces:

nec multum differebant Iudæi, quos de hoc taxat Paulus ad Romanos acerrime, dum operibus legis ex viribus arbitrii patris, iustitiam tribuerunt; vt ibi videre est.

Tandem Augustinus aliquando tenuit Fidem non esse donum Dei (sed per prædicationē) ex naturæ viribus habitam, & quod ex intuitu huius fidei cætera dona ad salutem necessaria Deus concessit. Sed hunc errorem retraxit lib. i. retract. c. 23. & omnino expugnauit, lib. de prædest. Sanctorum c. 3. & alibi.

*Aug. re-
tract. li.
De præd.
Sanctorum.*

c. 30.

Tandem Manichæi & Priscillianistæ Fatalem necessitatem in omnibus posuerunt, adeo vt siue ad bonum siue ad malum deflectamus, hoc necessario & fatali modo euenire æstimarunt, ex illis duobus quæ posuerunt principiis, vnum, bonum alterum malum: sed omnes sancti Patres illa absurdissima & sibi inuicem pugnantia exploserunt, præsertim Augustinus contra Manichæos.

*Calu. l. 3.
Instit. c.
23.*

Denique aliud fuit genus hominum, quos Prædestinatos nominarunt veteres, eo quod totam salutis seriem diuinæ gratiæ adscriberent, excludendo liberam cooperationem nostræ voluntatis, & eodem prorsus modo de ordine reprobationis. Hic error quidem antiquatus fuit, sed hoc sæculo infeliciter resuscitauit Calvinus l. 3. Instit. c. 23. & secuti sunt omnes hodierni Puritani.

Qui plura de his hæresibus voluerit, legat Doctores scholasticos; Non ego hos moror, quippe non bellum gero contra Calvinistas in quantum tales, sed si subinde coinciderent cum opinionibus Nostratium, quæ à nobis non sunt (si tales sint) vt potero deuincam.

Quid autem hac in parte Nostrates teneant, non video resolutum in articulis Confessionis; forte non volebant altius in secretiore Dei consilia illotis manibus irrepere.

Doctissimi autem eorum à veritate stant, & his annis currentibus, multis publicis actibus tam prælo quam verbo, contra Puritanos, quos antiquitas nominauit Prædestinatos, post Arminium, illud fatale & Stoicum decretum exploserunt.

Tenent utique decretum Prædestinationis non esse factum sine aliquo respectu ad futuram liberam cooperationem; ita ut, quamvis dicant illam cooperationem non esse causam vlllo modo meritoriam aut conditionem, vel rationem Prædestinationis quoad omnes effectus, tamen sit vnus quidam Prædestinationis effectus conditionate præuisus ante decretum: cuius proinde ratio respectusque habitus sit in Prædestinationis decreto, nec Deus elegerit, nisi quem (licet non quia) prius ratione per scientiam conditionatam sciuerit Dei gratia fidem Christi, non quamcunque, sed fidem illam specialem credulitatis, seu confidentiæ in promissiones Dei fortiter amplexurum, & in ea perseveraturum vsque in finem. Hoc passim videre est in libris eorum, præsertim quoad rem in libro D. Montacutij, & omnes conueniunt.

Quod vero teneant nullam dari causam meritoriam ex parte prædestinati, seu dispositionem vel conditionem Prædestinationis suæ, communem sentio omnium Doctorum Scholasticorum opinionem, modò loquantur propriè & strictè secundum sensum Scripturarum.

Quod verò addunt de præuisione Dei respectu nostræ futuræ cooperationis, etiam valde probabile est, & tenetur à multis Doctoribus præsertim modernis, ut videre est apud Molinam, 1. p. q. 23. art. 5. disp. 1. mem. 11. Con. 6. 7. Et in Concordia eodem articulo, & eadem disputatione, mem. 9. 11. etiam apud nostrum Fauentinum de Præd. fusè apud Vulpes, vel de monte Piloso, quibus ad stipulatur illustrissimus noster Meuris, ut obiter notauit in suis opusculis de Trinitate, & valde communis est in scholis.

Mol. 1. p. q. 23. art. 5.
1. m. 11.
Con. 6. 7.
etiam m. 9. 11. Fauent. de præd. Vulpes Meuris. in Opusc.

Quam opinionem licet ego non teneam, quia altera, meo videri, est conformior D. Paulo, & eius fideli expositori Augustino, ut etiam rectè post D. Thomam in Summæ 1. p. q. 23. art. 5. p. d. 41. art. 3. & alibi, & Doctorem Subtilè ibidem, & 3. d. 7. q. 3. etiam in Reportatis, q. 4. & alibi, notarunt Estius 1. d. 41. noster Smisings in primum Tract. 1. disp. 6. & fusè probant.

Paul. Aug. D. Thom. in Sum. 1. p. q. 23. art. 5. p. d. 41. art. 3. Scot. 3. d. 3. q. 3.

in reportatis q. 4. Estius in d. 41. Smisings in 1. tract. 1. disp. 6.

Rom. 9. De D. Paulo constat, quia ad Romanos 9. adducto exemplo de Esau & Iacob; cum differeret de causis prædestinationis & electionis in communi, ait, *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui: vbi ostendit saluandos non esse dilectos & electos, ex operibus præiudicis, sed ex mero beneplacito Dei miserentis; mire equidem ibi profequitur ad idem.*

Rom. 8. Etiam ad Rom. 8. electos appellat sanctos vocatos *secundum propositum*, id est, efficaciter in tempore vocatos vi'propositi, seu decreti diuini & æterni illos glorificandi. vbi patet, quod ipsum decretum seu propositum saluandi, aliquo modo & ordine præcessit decretum vocandi, & consequenter præcessit etiam præscientiam operum, quæ pendent à vocatione temporali: nec intelligo solum de præscientia absoluta, sed conditionata, quia omnem excludit ante decretum illud.

Alia sunt loca in sacra Pagina, quæ idem declarant, sed cum D. Paulo sisto.

Aug. En-
ch. c. 98.

D. Augustinus Enchiridij c. 98. super illa verba ad Rom. 9. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui;* dicit, *Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas est apud Deum? absit. Iniquum enim videtur, ut sine vllis bonorum malorumve operum meritis vnus Deus diligat, odiatque alterum. Quia in re si futura opera vel bona huius, vel mala illius, que Deus vtrique præsciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret, non ex operibus, sed diceret, ex futuris operibus.*

Idem in l.
de corrept.

Orat. de
Præd. Sã-
tor.

De dono
Perseu. 1b.
c. 18. & 19
Cyp. Amb.
Nazianzenum, &c.

Greg. Na.

August.

Tandem hanc suam sententiam sic concludit: *Hoc scio neminem contra istam Prædestinationem, quam secundum Scripturas*

Scripturas Sanctas defendimus, nisi errando disputare posse.

Scio alios velle tam diuum Paulum quàm Augustinum intelligere de Prædestinatione ad gratiam solum, non vero ad gloriam; præsertim cum in superius assignata definitione Prædestinationis, Augustinus nõ videatur loqui nisi de Prædestinatione ad Gratiam: Quia de liberatione à peccato, vt constat in his verbis, *Certissime liberantur quicumque liberantur.*

Sed sane non attingunt mentem ipforum.

Ad Paulum quod attinet, cùm indefinite loquatur de electione, non videor cur restringatur ad electionem seu dilectionem ad gratiam: in scholis enim proclamatur, In dogmatibus seu doctrinalibus, indefinita locutio æquipollet vniuersali: ergo de dilectione tam ad gratiam quàm ad gloriam.

Et certe qui legit Augustinum, vbi supra, aperte videbit ipsum de vtroque agere, & illam liberationem de vtroque intelligi, scilicet à peccato, & à morte æterna, prout etiam ex illo communiter Doctores.

Aug. vbi sup.

Nec obstat quod in definitione dixerit esse *Præparationem beneficiorum*, quasi intelligi deberet de beneficiis temporalibus, seu in hoc nostro tempore concedendis, vel quod dixerit esse *Præparationem gratiæ & beneficiorum*, quia vere per illa verba intelligit omnia Dei beneficia, quibus electi liberantur vel ad gloriam perducuntur: Vocat autem *gratiam*, non excludendo gloriam, sed meritum; & ideo vocat *gratiam*, id est, gratuitum Dei donum, quod omnium summum, est vita æterna.

Egregius est ille locus de Correp. & Gra. cap. 7. *Hæc idem de enim omnia operatur in eis.* (loquebatur paulo ante de meritiis executionis,) *qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiæ.* Ecce aperte dicit Prædestinatos ad vitam gloriæ in Christo, per electionem gratiæ, id est, gratuitam electionem; quod eo manifestius conuincitur ex verbis sequentibus, quia addit, *Si autem gratia, iam non*

Correp. & Gra. c. 7.

ex operibus, alioquin gratia non est gratia; Per gratiam ergo excludit merita, seu opera ex parte electorum.

Idem.

Aug. ep.
59. ad
Paul.

Sed ne dicas eos dici electos ad gratiam, non ad gloriam. Ipse Augustinus ibidem inferius obuiat his verbis, *Electi autem sunt ad regnandum cum Christo, & ad obtinendum regnum suum.* Legenda etiam est Epistola 59. ad Paul. vbi fusè & manifestè hoc ipsum probat: & ne alii ad alios sensus ipsum detorquerent, in terminis occurrit, & tandem resoluit causam, cur paruuli post baptismum finantur crescere, & aliquando finaliter apostatare, esse, *quia non pertinent ad illam Prædestinationem & secundum propositum, & sine Pænitentia vocationem.*

Hæc ad declarandum mentem Augustini, quia in hac materia, ab omnibus doctis Princeps semper æstimatus fuit.

Sect. 1. d.
41. qu. vn.
§. Potest
aliter.

Pro veritate autem opinionis in se, annectam vnam rationem Doctoris Subt. d. 41. q. vnica, §. Potest aliter dici, in hæc verba:

Volens ordinate finem, & ea quæ sunt ad finem, prius vult finem, quàm aliquod entium ad finem: quia propter finem vult alia. Ergo cum in toto processu, quo creatura beatificabilis perducitur ad perfectum finem, finis vltimus sit beatitudo perfecta, Deus volens huic aliquid istius ordinis, primo vult huic creaturæ beatificabili finem, & quasi posterius vult sibi alia quæ sunt in ordine illorum quæ pertinent ad illum finem: Sed gratia, fides, merita, & bonus vsus liberi arbitrii, omnia ad ipsum finem sunt ordinata, licet quædam remotius & quædam propinquius. Ergo isti vult Deus primo beatitudinem quàm aliquod istorum, & prius vult isti quodcumque eorum, quàm præuideat ipsum habiturum quodcumque istorum. Ergo propter nullum istorum præuisum vult ei beatitudinem.

Vasquez.

Scio apud Vasquez, & alios qui oppositum huius sententiæ tenent, hoc argumentum pati replicas, esto: non enim cum nostris Scholasticis pugno, nec tamen plene soluunt.

Immo dico fortius, Deum primò velle & decernere dare visionem sui (quod est beatitudo) creaturæ intellectuali, quàm creaturam facere, adeo vt primum decretum non sit de futuritione hominis saluandi, sed de salutem seu gloriam dando, & in aliquo posteriori de ipsa creatura glorificáda. Sic Doctor 3. d. 7. & Quando ibidem q. 3. art. 2. & recte, quia ordo gratiæ præponendus est ordini naturæ, quia maius bonum & consequenter magis propinquum Deo: ergo & prius volendum à Deo propter rationem assignatam Scoti de fine & rebus in ordine ad finem.

Scot 3. d. 7.
Quædo q. 3.
art. 2.

Hæc obiter dico, non tamen animo oppugnandi alteram sententiam, quam valde probabilem iudico, quippe grauibus patronis & rationum momentis fortiter fulcitam, vt post Henricum de Gandauo apud authores supra citatos & alios videre est.

Henr. de
Gandauo.

Immo ipse Augustinus, saltē dum iunior esset, ipsis fauere videtur, præsertim in expositione quarundam propositionum Epistolæ ad Rom. vbi propositione 55. *Sanctorum Deus non prædestinauit aliquem, nisi quem præsciuit crediturum, & secuturum vocationem suam.* Et Proposit. 60. De electione Iacob & reprobatione Esau dicit, *Hoc præscientia Dei factum esse, qua nouit etiam de non natis qualia quisque factururus sit, & infra. Si enim nulla merita, non est electio: æquales enim omnes sunt ante meritum, nec potest in rebus omnino æqualibus electio nominari.*

Aug. prop.
pos. 55. Ro-
man. &
propof. 60

Immo videtur fuisse opinio satis communis ante Augustinum, vt deduci potest ex Epistolis Prosperi & Hilarij quæ habentur l. D. Aug. de Prædest. Sanct. licet alij videntur illas Epistolas exponere de ordine executionis; alij verò intentionis; quod est propositum; & verè ibi fusè habetur.

Epist.
Prosp.
& Hilarij
l. D. Aug.
gust. de
prad. San-
ctorum.

De Origene in confesso est, ipsum in multis locis fuisse huius sententiæ, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius ipsum secuti sunt, adeo vt videatur fuisse sententia communis Græcorum.

Origen.
Theodor.
Theophyl.
Oecumen.

Ad hoc tamen forte responderi possit cum Estio, vbi

Estius vbi
sup.

supra, Origenem in hanc sententiam deflexisse propter haresim Pelagianam, cuius fundamenta tunc iecit, vt notavi superius, & olim probavit Eusebius Cæsariensis Arrianus, quem cateruatim reliqui secuti sunt.

*Confess.
Angl.*

Tandem intra hanc latitudinem opinionum tuto incedit Confessio Anglica, nec restringit suos sequaces ad vnam, vel alteram partem, sed libere Scholasticæ agitationi exponit. Nulla igitur hic causa litis inter nos.

Quod verò addunt aliqui ipsorum, vt etiam prænotauimus, requiri ex parte Prædestinati, præuisionem fidei istius specialis, seu, vt vocant, iustificantis, ad materiam de iustificatione spectat, & suo loco examinabo.

Nec hic opus est vt laboriosius insistam in conciliatione diuini decreti infallibilis & efficacis cum nostra libertate; cum ex dictis constet, & postea clarius, dum eorum sententiam de libertate exponam, eos vtriusque conciliationem amplecti.



P R O B L E M A

T E R T I V M.

*An & quomodo concilientur Dei Decretum
& humana libertas.*

B Reuiter veritatem declaro ex fundamentis D. Augustini contra Pelagianos lib. de bono perseueratiæ, & communi doctrina Scholasticorum.

*Arist. &
Cömen. 8.
Phys.*

Ad cuius declarationem, Supponendum quod Deus ad extra agit contingenter, & non necessario: quod omnes Theologi tenent contra Philosophum, & suum commentatorem 8. Physicorum; Tunc sic.

Ea quæ à causa libera sic proueniunt, vt istiusmodi causa in agēdo non impediatur libertatem aliarum causarum, quæ ad eorundem executionem concurrere possunt, ea libere & contingenter eueniunt; Sed ita prouenit à Deo tanquam libere eligente vel non eligente, quod aliqui sint vasa honoris, aliqui ignominia, vt executio talis effectus pendeat etiam ab aliis liberis causis; Ergo. Hic discursus est Smising's.

Deus quidem conformiter ad suum decretum dat electis gratiam, cui libere cooperando tandem saluabuntur, impij vero libere non cooperando, damnabuntur.

Quod si dixeris decretum Dei esse immutabile de saluatione Petri, vel cuiuscumque saluandi, ergo necessario eueniet.

Responsio est, indubiè decretum Dei non posse mutari, nec tamen ob rationem prius datam rectè inferri necessitatem, quia in executione decreti simul agunt causæ liberæ non impeditæ.

Decretum Dei ergo est, Petrus saluabitur, non ibi totum, quasi excludendo concursum voluntatis humanæ in executione decreti, sed subintelligitur libere: Petrus quidem saluabitur, sed quia non passiuè se gerit, saluabitur cooperando salutis suæ: ergo libere, quia causalitas voluntatis pro dignitate sua est libera & contingens, vt pro nunc suppono secundum Theologiam & omnem Philosophiam, (Stoicos excludas) & postea probabitur.

Voluntas igitur, quâ Deus voluit ab æterno hanc vel illam rem fieri à voluntate mea, non est aliud quàm voluntas concurrendi mecum ad talem effectum: sic Doctor Subtil. 1. d. 39. vbi dicit, *Deum cognoscere futura contingentia infallibiliter, quia cognoscit suam voluntatem concurrere ad illa*; Idem habet d. 45. & alibi, etiam d. 48. §. Ad primum istorum; vbi dicit: *Deum prescire peccatum Luciferi, quia scit se concursurum ad actum eius*. Ecce vbi in Decreto absoluto Dei eatenus habetur ordo ad actum meum futurum liberum, quatenus Deus vult, & sic de-

Scot. 1. d. 39.
Idem d. 47. & d. 40. §.
Ad primum istorum.

cernit concurrere mecum: non ergo hic aliquid necessitans voluntatem meam ex parte Dei, quia licet ab æterno decretum sit, & sic prioritare durationis, ante actum meum in tempore producendum, non tamen prioritare naturæ, seu causalitatis, ut loquuntur Doctores: non enim Deus causat aliquid ad extra, nisi ego concurram pro ratione libertatis meæ, quia ut dixi, decretum Dei est concurrere mecum.

scot. 2. d.
37. q. 2.
§. et si ob-
icitur.

Doctor 2. d. 37. q. 2. §. Et si obiicitur, agens de concursu Dei cum causis secundis, dicit: *Sicut in vno instanti naturæ, materia materiatur, & efficiens efficit: ita due causæ efficientes ordinatæ in instanti naturæ causant effectum communem. Ita quod neutra tunc causat sine altera. & postea dicit: Quod causæ secunda habet in potestate sua concausare primæ causæ, vel non concausare.*

idem.

Concurfus igitur Dei cum omni causæ secundæ, siue naturali, siue libera, non est præueniens, sed concomitans ad effectum communem vtriusque, ut in locis citatis & sæpe alibi tenet Doctor. Habet quidem Deus prioritatem independentiæ; quia omnes causæ secundæ ab ipso, non Deus ab ipsis dependet, tam in esse quàm operari: & hoc licet Deus non influeret in effectum causæ secundæ; (ut tenuerunt Durandus & Aureolus) ut Doctor eadem dist. & quæst. Ad secundum diceretur, in isto tamen casu adhuc esset ordo essentialis in causis, ita quod causæ secundæ sit causæ totalis respectu sui effectus, sicut causæ primæ respectu sui effectus, & tamen essentialiter sit secundæ, quia secundum suam causationem, sicut secundum suum esse, essentialiter dependet à primæ; non tamen ita quod ista dependentia sit immediata sui effectus ad ipsam & ad causam priorem. Hæc Doctor.

Durand. &
Aureolus
scot. eadē
d. & qu.
Ad secū-
dum dice-
retur.

Idem 1. d.

36. qu. vn.

Ad ipsū,

&c.

Idem 2. d.

37. q. 2. §.

Excis dicit

Habet prioritatem etiam eminentiæ & perfectionis, ex Doctore, vbi supra, quia perfectius causat eundem effectum. Immo ut Doctor 1. dist. 36. quæst. vnica. §. Ad ipsum super Ioannem, quod plus causat, licet ambæ simul, id est, ut explicat Doctor 2. dist. 37. quæst. 2. §. Et cum dicit; quia causat effectum & ipsam causam secundam.

Non est igitur vlla ratio, calorem, verbi gratia, nunc generari potius quàm aliàs, vel hunc generari potius quam illum, nisi quia voluntas diuina habito respectu per scientiam simplicis intelligentiæ ad modum naturalem agendi ignis, & aliarum circumstantiarum, voluit hunc effectum fieri à se & ab igne pro tali instanti.

Et similiter dicendum de actu voluntatis nostræ proportionem seruata secundum antedicta, habita scilicet ratione ad modum liberum agendi voluntatis.

Nam, vt dixi, determinatio illa diuinæ voluntatis, nec ex parte rei, nec secundum rationem, est prior aut posterior naturâ, determinatione propria creatæ voluntatis, sed vtraque determinatio, est simul naturâ, re & ratione, itavt vna determinatio alteri nequeat præintelligi secundum ordinem dependentiæ, quem ordinem naturæ appello, id est, quasi Dei determinatio sit causa determinationis causæ secundæ, adeoque futura præsciri à Deo in suæ voluntatis determinatione non antecedente nec subsequente, sed, vt dixi, concomitante, propriam arbitrii creati determinationem.

Dices adhuc periclitari libertatem humanæ voluntatis, quia determinatio tota nostra ex Dei decreto deducitur.

Respondeo, quod non quia determinatio diuinæ voluntatis est in potestate arbitrii creati, quatenus actus liber (ad quem se in tempore omnino concomitanter determinant voluntas diuina & humana, & à quo terminatiue sumitur ratio diuini decreti) est in potestate arbitrii creati, vt optime Smising. Hoc de adultis.

Sed fortè petes, Quid de paruulis?

Respondeo, quod eorum saluationem vel damnationem ita exequitur Deus, vt causas liberas, & contingentes, quarum operâ paruulus remedium peccati originalis consequi debeat, sinat agere motus suos, nec impediendo per se illarum concursum ad paruuli salutem promouendam, nec semper tollendo earum

impedimenta, quibus damnatur.

Alés. p. 4. q. 8. m. 3. art. 1. §. 1. ad 2. Nec mirū, quia vt rectè Patriota grauissimus noster A-
léfis, p. 4. q. 8. mēb. 3. art. 1. §. 1. Ad secundū; *Diuina mi-
sericordia non debet aliquid facere in præiudicium suæ providen-
tiæ: Secundum regulas verò suæ altissima providentiæ, oportet,
non subtrahat concursum suum opportunum actionibus causarum
secundarum; sed redeam ad priora.*

scot. 1. d. 40. q. v. c. Prædictam veritatem egregie explicat Doctor Subt:
in aliis terminis, 1. d. 40. q. Vtrum prædestinatus potest
damnari? Vbi sic dicit:

*Argumentum procedit ex falsa imaginatione, cuius imagi-
nationis intellectus iuuat ad intelligendum veritatem propo-
sitiæ questionis. Si enim per impossibile intelligeremus Deum adhuc
non determinasse voluntatem suam ad alteram partem, sed quasi
deliberaret vtrum vellet istum prædestinare aut non: bene posset
intellectus noster capere quod contingenter ipsum prædestinaret,
sicut patet in actu voluntatis nostræ: sed quia semper recurrimus
ad actum voluntatis diuinæ quasi præteritum, ideo quasi non con-
cipimus libertatem in voluntate illa ad actum quasi non sit positus
absolutè à voluntate.*

*Sed ista imaginatio falsa est: illud enim nunc æternitatis, in
quo est iste actus, semper præsens est, & ita intelligendum est de
voluntate diuina, suæ volitione eius, vt est huius obiecti: sicut si
per impossibile nunc inciperet Deus habere velle in isto nunc, &
ita libere potest Deus in nunc æternitatis velle quod vult, sicut si
ad nihil esset voluntas sua determinata.*

Concludit igitur quod Prædestinatio transit in præ-
teritum: licet enim coextiterit præteritis quæ transie-
runt, non tamen ipsa præteriit, si alia præterierunt, quæ
coextiterunt sibi; vnde apud Deum, idem est prædesti-
nare, prædestinasse, & prædestinaturum esse; & ita
vnum contingens sicut aliud; quia nihil est nisi nunc
æternitatis mensurans illum actum, qui nec est præ-
sens, nec præteritum, nec futurum, sed coexistens om-
nibus istis.

Ex quo facilè patet, quomodo habes concipere de-
terminationem Dei, simul cum mea determinatione
libera

libera coëxistere, & consequenter non præuenire seu præpedire liberum vsum arbitrii.

Et quod dixi de decreto, idem dicendum de scientia seu præscientia Dei, quia nunc est illa scientia dum libere ago, eadem vtiq; secundum substantiam & modum: non enim mutatur Deus nec scientia eius; concipitur à falsa nostra imaginatione quasi præiisset: Mensuratum autem, scilicet, actus Dei cognoscentis, & mensura, scilicet, nunc æternitatis indiuisibiliter manent. Legendus esset de hoc puncto Horantius noster in locis, l. 3. c. 7. vbi fusè vtrumque conciliare nititur contra Caluinum: altius verò & magis scholastice vtrumque conciliat noster Arriba, l. 3. fere per totum.

Ex his vtiq; spero clarescere compossibilitatem Prædestinationis diuinæ cum nostra libertate secundum principia Theologica.

Hæc dixi, non quòd putem viam reconciliandi determinationem vel cooperationem diuinæ voluntatis cum nostra libertate esse vtiq; obuiam, immo obscurissimam semper censui, & nescio an ab intellectu humano, non lumine supernaturali superinfuso, satis explicabilem, minus comprehensibilem, vt recte Caietan. prim. par. quæst. 22. arg. 4. ingenue fatetur pro subtilissimo acumine ingenii sui, hoc mysterium in hac vita non esse intelligibile; oportet tamen vt pro tenuitate nostra rationem fidei nostræ petentibus, reddamus, vt admonuit Paulus, nec propter obscuritatem probationis certitudo veritatis dubitanda est; nam vt olim Aristoteles de Continuo agens: *Imbecillis est animi relinquere veritatem propter difficultatem argumentorum in oppositum.* Immo 2. de cælo & mundo in cap. de duabus quæstionibus difficilibus, dicit: *Tentandum dicere, quod videtur dignum, reputantes promptitudinem magis imputari verecundia quam audacia, si quis propter Philosophiam stare, & paruas sufficientias diligit, de quibus maximas habemus dubitationes.*

Caiet. 1. p.
q. 22. arg.
4.

Paul.

Arist.

Idem 2.
de cælo &
mundo in
c. de du-
bus quæst.
c.

Ecce vt à parte Philosophiæ stetur, id est, ne principiis Philosophiæ contradicerent Philosophi, paruis sufficientiis contenti erant, vbi ad maiora peruenire non poterant.

Quanto ergo magis ne nos contradiceremus principiis Fidei, vel textui sacre pagine, licet subinde pro dignitate mysteriorum obscuris; iisdem sufficientiis contenti simus, secundum illud August. lib. de bono perseuerantiæ cap. 14. *Nunquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendere non potest, quod occultum est?*

Aug. l. 2. Tandem ipse Augustinus in multis locis, professus
cont. lit. est maximam in hoc mysterio explicando, & cum li-
Pet. c. 84. bertate arbitrii componendo difficultatem, itavt pau-
l. 4. contra cos esse fateatur qui penetrare valeant, vt lib. 2. contra
Iul. c. 8. de litteram Pet. ca. 84. l. 4. contra Iulian. cap. 8. de Gratia
Chr. Christi cap. 4. & 47. l. 2. de pec. mort. c. 18. & de Præd.
c. 4. & 47. l. 2. de pec. mort. c. 18. & de Præd.
l. 2. de pec. mort. c. 18. & 20.

Placet igitur subnectamus conciliationem vtriusque
de præd. ex principiis Philosophicis, quæ tanquam antemurale
sanct. c. 8. veritatem hanc (ex superinfuso lumine illo Theologico
& 20. depromptam) per rationes naturales mire propugna-
bunt.

Et certe nescio an digne satis miraberis harmoniam veritatis cœlestis cum terrestri illa scientia, respectu diuini consensus cum nostra libertate.

Alexād. Alexander Aphrodisæus lib. de Fato & libero arbi-
Aphrod. l. trio, fusè & doctè ad mentem Philosophi probat liber-
de fato & tatem nostram contra Stoicos. tandem, cap. 16. dicit:
lib. arb. *Quod Deus cognoscit contingentia futura secundum naturam*
cap. 16. *eorum, alias non recte cognoscit, verbi gratiâ, Deus scit*

Socrat. Socratem futurum contingenter & non absolutè, ergo
solum contingenter erit, sic ille. Cum igitur Stoici
contra quos arguit, obiciunt quod Deus scit Socra-
tem futurum, & poterit Socrates non esse futurus,
ergo aliter poterit esse quàm Deus scit.

Responder quod Deus non scit absolutè Socratem

fore, sed Socratem fore contingenter, vnde neque aliter esse potest, & consequenter nec aliter esse potest quàm Deus scit.

Perpende an non omnimodè conueniat cum solutione Theologorum signata.

Tandem dicit quod scientia seu cognitio Dei non facit aliquid, voluntas autem nostra in humanis electionibus est factrix, quæ libere & contingenter eligit.

Hæc etiam est doctrina Boëtij, *De consolatione Philosophiæ*, fidelissimi discipuli Aristotelis, nisi subinde vbi platonizat. Boëtius de consolatione Philos.

Scio Auerrorem, quem Commentatorem vocitamus, astruere scientiam Dei causam rerum, in commento 51. in 12. *Metaphysicæ*, nec alio modo Deum cognoscere alia à se, nisi in quantum est causa eorum: sic aliqui eum interpretantur. Cremoninus tamen & multi, volunt Auerroem etiam secundum sensum Aristotelis tenuisse Deum, intelligere naturam entis, vt sic: & in illa ratione communi, aliquo modo omnia entia, & hoc non alio modo nisi in intelligendo seipsum, quod, vt patet, non est per modum causæ. Auerr. in comment. 51. in 12. Metaph. Cremon.

Dicam tamen quod sentio de opinione Auerrois: videtur ipsum ibi non secundum Aristotelis, sed suam opinionem tenere, scientiam nostram differre à scientia Dei, quia nostra causatur à rebus, Dei verò causat res: non potuit enim eum latere Aristotelem non sensisse scientiam Dei fuisse causam rerum. Arist.

Themistius quidem voluit Deum intelligere se, vt est principium omnium rerum, & sic omnia entia necessario, non ab ipsis deriuando suam scientiam, sed à se. Themist.

Sed quicquid sit de varietate opinionum inter hos præstantissimos Philosophos de scientia Dei, saltem omnes hi conueniunt certitudinem scientiæ eius bene consistere cum nostra libertate.

Dico igitur in gratiam eorum, quod aliud est Deum cognoscere alia, cognoscendo se esse causam: quod potest habere sensum verum, immo coincidere cum no-

stro modo conciliandi vtrumque ; quia vere Deus est causa per suam voluntatem omnium ad extra ; & hinc, vt dixi superius, cognoscendo decretum suæ voluntatis, cognoscit omnia futura contingentia.

Scot. 1. d.
37. q. vni-
ca vers. &
secundum
hoc.

Aliud autem est scientiam esse causam eorum ; quod probabilius est esse falsum, sed hoc pertinet ad articulum de omnipotentia Dei ; An omnipotentia sit in voluntate vel intellectu ; De quo in primo fusè agunt Doctores ; præsertim Doctor Subt. 1. d. 37. q. vnica versu. *Et secundum hoc*, vbi rectè asserit voluntatem Dei solum esse eius potentiam adæquatam, scil. ratione suæ volitionis : ita vt volitio sit principium quo actionis ad extra, voluntas vero proximum principium quod.

Arist.

Sed dato, licet non concesso, quod scientia Dei sit causa, tamen causat singula secundum naturam eorum, id est secundum modum ipsis connaturalem agendi, secundum omnes etiam Philosophos ; & tunc non est maior difficultas, in hoc quàm dicendo cum Aristotele, quod Deus licet per voluntatem agat, tamen semper necessario ad extra, quod tamen ipse putauit non officere libertati humanæ : prout etiam omnes Thomistæ hodie tenent, quod sane bene notandum ; quia adhuc ponendo Deum per scientiam causare necessario, tamen non destruit naturas rerum, & sic causat necessario ad naturam passivam, quia non agit nisi cum concursu causarum particularium : & consequenter licet in se sit infinitus, tamen non agit infinite, sicut mouendo cælum, vbi effectus est secundum potentiam limitatam causæ secundæ, scil. intelligentiæ ; agit quidem Deus infinite, in quantum causa secunda potest coagere.

Idem.

Nec plus attribuerunt Aristoteles, & omnes sui sequaces actioni diuinæ, immo in hoc, ipse & illi posuerunt omnipotentiam Dei, quod non potest agere nisi secundum scalam causarum : (si Aristoteles Deo vllam actionem tribuit) in quo licet errauerit, quia Deus per seipsum potest agere secundum veritatem Theologiæ ; tamen quod asseruerit Deum causam infinitam cum

causa secūda finita semper producere effectum finitum, rectissimum est; quia habet agere secundum virtutem & naturam earum; & ex fundamento illo nostram libertatem coexistere æstimavit.

Hactenus igitur Theologia Christiana, & Philosophia in his licet abditissimis mysteriis, sine vlla prorsus alteratione conueniunt.

Tandem opportune admodum ac curiosè à Lectore exposci potest ordo decretorum Dei, quem succincte ad calcem huius Problematis, prout tenuitas mea dicit, affigo.

Ordo Decretorum Dei.

Deus igitur primò facit decretum de gloria, & de gradibus eius. In secundo instanti de gratia & meritis, idest, quod vult dari tantam gratiam & meritum ac consequendam gloriam illam, & hoc definitiuè, seu per modum finis non attendendo ad mèdia. In tertio instanti videt scientia visionis, quod ipsi volunt concurrere cum illa gratia & meritis. In quarto facit decretum executionis, scil. quod obtinebitur gloria, & augmentum gratiæ per suas operationes.

In reprobis autem Deus in primo instanti decreuit decreto efficaci, quantum scilicet est ex parte suæ causalitatis, idest, prout est causa prima præcisè, ipsis dare gloriam. In secundo gratiam, &c. In tertio vero videt quod non volunt cooperari gratiæ oblatae, tunc decernit permittere eos cadere in peccatum. Tandem facit decretum de damnatione.

Alij aliter ponunt hæc instantia ordinis diuini, sed vnusquisque suo sensu abundat.

Hæc obiter. nunc ad alia: nam hic locus non fert delicias Scholarum.

Dixi superius Dei Decretum non posse mutari, & quidem rectè, secundum receptissimam doctrinam Sanctorum Patrum, & Theologorum. Immò & Philosophorum.

Aug. de Civit. A. phrod. ubi sup. Arist. 10. Moral. Iandun. in Scot. quodlib. 7. Eremon. &c. Auerr. de subst. orbis Achil. in quodl. Helias de efficientia mundi.

De Stoïcis patet ex Augustino de Ciuit. & fusè ex Aphrodisæo, vbi supra. De Aristotele etiam patet 10. Moral. vbi propter hoc, omnem actionem Deo tollit, ne scilicet mutaretur, vt etiam Iandunus in Phisicis, & Doctor Subt. in quodlib. 7. declarat, esse mentem eius, & reliqui Commentatores cum Cremonino frequenter, licet aliqui tam veteres quàm moderni in hoc puncto aliter eum exponant; sicut Auerroes de substantia orbis cum suis, Achillinus in quodlibetis, & Helias de efficientia mundi, & multi posteriores: omnes tamen ad vnum astruunt Decreta Dei. Hoc ergo supposito tanquam principio per se noto. Possset tamen opportune quæri,

P R O B L E M A

Q V A R T V M.

An voluntas diuina possit velle aliquid nouum sine mutatione sui.

QVod sane non asserendo, sed doctioribus proponendo, non video cur non possit admitti, quantum est ab intrinseca ratione extremorum. Deus, verbi gratiâ, ab æterno voluit Iudam damnari, non video quare non possit Deus eodem velle in tempore ipsum saluare.

Ad cuius rei explicationem,

Lychet. 2. d. 1. q. 1. 5. Phys.

Supponendum primò, ex acutissimo Lycheto 2. d. 1. q. 1. quod mutari est aliter se habere nunc quàm prius, 5. Phys. & hoc secundum esse reale: sed aliter se habere nunc quam prius, secundum aliquam relationem rationis, non dicitur proprie mutari, sicut Deus, qui nunc amatur à me, & non prius, non mutatur, vt etiam fate-

tur Scot. 1. dist. 39. & alibi.

Seco. 1. d.

Supponendum secundo, quod in voluntate diuina est tantum vnum simplex velle, idem realiter & essentialiter sibi, ex Doctore Subtil. 1. dist. 2. qu. 1. Et eodem velle creat, gubernat, prædestinat, reprobatur, & omnia quæ vult.

Idem. 1. d. 2. 9. 1.

Supponendum tertio, velle diuinum manens simpliciter idem in se, aliquando dici velle contingens, vt quando transit super obiecta contingentia, vt cum vult creaturam esse, & aliquando dicitur necessarium, quando transit super obiecta necessaria ex Doctore 1. d. 10. Et illud velle diuersificari secundum quod transit super diuersa obiecta contingentia; ita quod talis diuersificatio non est in entitate ipsius velle, sed in diuersis transitionibus siue terminationibus, siue relationibus rationis, ex Doctore 1. d. 39.

Idem. 1. d. 10.

Idem. 1. d. 39.

Supponendum quarto, quod velle quo vult quicquid vult, sic est idem essentialiter diuinæ essentiæ, quod non potest in se esse nouum, nec elici de nouo.

Ex his sequitur, si Deus voluerit Iudam saluare, potest eodem actu quo ipsum decreuit damnare, sine noua mutatione intrinseca, sed solum noua transitione in obiecto: Deus quidem non potest velle de nouo, noua volitione reali, sine nouitate ipsius velle, sed quod non possit esse nouus transitus sine nouitate in voluntate diuina, non video. Vnde Mayronius noster 1. dist. 40. dicit quod Deus non sic determinate reprobat aliquem, quin semper possit illum prædestinare.

Mayron. 1. d. 40.

Occham in suo Centiloquio etiam non habet pro inconuenienti, quod intellectus diuinus nunc incipiat scire aliquid quod prius nesciuit, & quod nunc desinat scire, quod prius sciuit.

Occham in suo Centiloquio.

Denis etiam in sua resolutione Theologorum tract. 1. p. 3. par. 3. quæst. 7. dicit: Quod licet essentia Dei sit immutabilis, tamen Deus desinit scire aliquid enunciabile ratione connotati, eo quod illud desinit esse scibile & verum: scire enim connotat in obiecto scibilitatem & veritatem: ita diuina

Deni tractat. 1. p. 3. par. 3. 9. 7

potentia licet immutabilis, quia tamen in obiecto connotat possibilitatem, ideo desinit aliquid posse, quia illud desinit esse possibile.

Quod si potest scire aliquid hodie quod non ante, cur non velle aliquid hodie, quod non ante sine mutatione in se? quod est propositum. Et expresse tenet Denis verbis allatis.

Posnan. li. decis. c. 3. Huc accedit Posnaniensis. l. Decisionum cap. 3. qui tenet opinionem Lycheti esse probabilem, citans seipsum tomo 1. Institutionum instit. tertia Dominicæ 1. *Idem to. 1. instit. inst.* Quadragesimæ, vbi fusè probat & fusius in commentariis super secundum disp. 4. super quæstionem secundam dist. 1. Fundamentum eius est, quia ex hoc quod *3. Dom. 1. Quadrage.* Deus nunc in effectu damnet, quem prædestinauit ab æterno, nulla videtur mutatio in Deo, sed in obiecto tantum, quia scilicet nouus transitus actus antiqui, seu noua terminatio in obiecto quod est mutatio rationis; si mutatio vlla est; quia fortè potest negari, vt etiam aliquando Doctor insinuat. *Idem in Comment.*

Scot.

Suarez.

Hanc sententiam non reprobatur Suarez immo discrete asserit, quòd ex illa nulla sequeretur mutatio physica in Deo, non tamen eam sequitur Suarez, quia, inquit: sequeretur, in Deo mutatio moralis; videretur enim Deus aut improvidus aut inconstans, si propositum mutaret: quod à Deo alienum est.

Posnan.

Sed hæc ratio eius est debilis, vt recte notauit Posnaniensis, nam imprudentiæ, vel inconstantia vitium non est, si quis propositis duobus bonis, primò eligat minus bonum, & postea maius; nisi forte ex passione, vel timore difficultatis, vel alia inordinata affectione id proueniat; vt patet de bono celibatus & coniugii. Deus autem nullo modo obligatur, nec passionibus laborat, sed ex mera liberalitate hoc, non illud eligit; ergo potest eligere sine nota inconstantia. Hæc ille.

Aug. ubi?


Vnde Augustinus: *Si non es prædestinatus, fac vt prædestineris*

Et Am.

Et Ambrosius: *Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum*, in cap. 1. Luc. Ambr. in
c. 1. Luc.

Et Catharinus non multum differt ab hac sententia; quia dicit, forte de facto Deum saluasse aliquos, quos non in primo decreto prædestinavit: ergo secundum eum, Deus potest habere aliquem actum in tempore, quem non habuit ab æterno: scilicet, ratione transitionis novæ. Quæ est doctrina data. Catharin.

Volui fideliter interferere fundamenta huius opinionis, si fortè doctioribus arriderent; hoc saltem dico, quòd quantum ad principia Metaphysica, non possunt convinci falsitatis, immo nec determinationibus Ecclesiæ aduersantur; in re tamen tam graui & antiquitati minus forrè consona, nihil definitiue assero: sicut tamen Augustinus epist. 28. ad Hieronymum de origine animæ dicit, sic ego: *Licet non faciat optando, ut verum sit quod verum non est, si tamen fieri posses optarem ut hæc sententia vera esset; sicut opto.* Aug. ep.
28. ad
Hieron. Hæc ille: multum utique pusillanimes iuuaret: Sed sisto.



PROBLEMA QVINTVM.

De Libero Arbitrio.

Hic, vt recte intelligamus statum controuersiæ, oportet examinare in quo consistat ratio libertatis, non simpliciter, sed viatoris: Dei enim & beatorum alia est ratio.

Quoad voluntatem autem nostram, libertas seu Liberum Arbitrium, ab August. sic diffinitur: *Est facultas*

voluntatis & rationis, qua bonum eligitur, gratia assistente, & malum eadem desistente. Dicitur & rationis, quia non nisi in rationali natura, &c. vel aliter dicitur, Voluntatis & rationis, quia supponit pro potentia appetitiua, quæ est utique voluntas; & connotat cognitionem seu rationem, quæ est intellectus: prærequirit enim consilium seu consultationem in intellectu, realiter tamen loquendo est ipsa voluntas, & differt solum in modo volendi: voluntas enim est respectu finis sine prævia consultatione; libertas vero respectu mediorum, prævia intellectus consultatione, & eadem sunt potentia, quæ est voluntas, quæ in quantum est actus primus, libera est ad oppositos actus, .i. voluntas quatenus consideratur vt principium operatiuum, libera est ad oppositos actus, scilicet positiuos, verbi gratiâ, velle & nolle, siue diligere & odire, quæ idem important, secundum Doctorem Subt. 2.d.6.q. 2. & 3.d. 30. & hæc est libertas quæ aliis terminis vocatur, libertas contractatis.

Aug.

scot. 2. d. 6

q. 2. & 3.

d. 30.

Libera etiam est mediantibus illis actibus oppositis ad opposita obiecta in quæ tendit; putà diligere vnum obiectum, & odire aliud. Libera etiam est ad oppositos effectus, quos producit, & hoc mediantibus potentiis exterioribus, quibus potest imperare.

Tandem libera est circa idem obiectum ad velle & non velle, verbi gratiâ, amare hunc vel non amare, & hæc libertas vocatur contradictionis; & est quædam facultas, ratione cuius, positis omnibus requisitis ad agendum & non agendum, voluntas potest agere vel non agere.

Arist.

Alexād.

Aphrod.

Hanc vero libertatem agnouerunt Philosophus, & omnes Peripatetici, vt patet fusè in Alexandro Aphrodisæo; ad quem remitto Calvinum & suos, quia vere torquet eos.

Arist. 3.

Ethic.

Idem 6.

Eth. c. 5.

Aristoteles autem 3. Ethic. dicit: *voluntatem esse dominam actuum suorum, & posse in duo contradictoria*: Idem habet per omnes libros Ethicorum, patet 6. Eth. c. 4. vbi

dicit, *Artificem indigere virtute*, id est, arte, ad recte agendum ea quæ sunt in potestate eius. Ibidem c. 2. 4. Et etiam 3. de anima text. 51. docet: *Prudentiam & artem versari circa id quod aliter se potest habere*, & alibi sæpe.

Fusè etiam, Perihier. in fine. sic omnes eius interpretes: sic Boëtius 4. consol. c. vltimo, siue prosa 6.

Dicit autem Philosophus ibi, *Quod si omnia in euitabili- ter euenirent*, non oporteret consiliari. dicit etiam 6. & 9. Metaph. text. c. 10. de potentia rationali; *Cum sit contrariorum, quare simul faciet contraria, hoc est impossibile: necessarium est igitur alterum adesse quod propositum est, hoc est, determinans ad vltimum oppositorum*. Et subdit; *Dico autem hoc appetitum vel hæresim*.

Vult igitur quod intellectus contraria ostendat, & quia est agens naturale, si ex se sine aliquo determinante procederet ad actum, simul produceret contraria. Opus ergo est determinante, scilicet appetitu vel hæresi, quæ est voluntas siue imperium eius.

Quoad Theologos verò non est quod placita eorù referam: res obuia est & vulgariter nota, omnes libertatem astruere: immo ponunt & rectè, libertatem esse proprietatem voluntatis, & consequenter inseparabilem realiter ab illa; vt superius dixi.

Manifestum etiam est non esse difficultatem inter nos & vltos viros doctos Protestantes de ipsa libertate hominis in se, vt etiam rectè notauit doctissimus Vega noster, l. 2. c. 18. Excipio semper horrenda quæ hac in parte à Caluino effutiuntur, homine scil. nec Theologo, nec Philosopho, vt patet ex eius Epistolis, & rectè aduertit Hookerus in sua Politia Ecclesiastica; sed si aliquid scientiæ habuerit, Philologiæ, & fortasse Iuris erat, vt ibi constat. Legendus est contra eum Horantius l. 1. c. 22. & sequentibus; vbi hominè per singula contorquet: & verè, Caluinus nihil solidi habet.

Quod verò dicit Caietanus, l. 2. q. 74. art. 4. appetitum sensitium habere libertatem sufficientem ad peccatum veniale sine ordine ad voluntatem; est inauditum

Et c. 2. 4.
3. de anima
text.

41.
Etiam 1.
Perihier.

Boet. 5. cõf.
c. vlt. siue
prosa 6.

Arist. 6.
& 9. Me-
taph. text.
cap. 10. de
potentia
naturali.

Veg. l. 2.
c. 18.

Hooker. in
poli. Eccl.

Caret l. 2.
q. 74. art. 4.

in omni schola, & sine omni prorsus fundamento dictum; nec opus erat eò refugere ad saluandum textum D. Thomæ 1. 2. a. 3. vbi asserit peccatum veniale posse esse in appetitu, licet non mortale, &c. Nec est quod refutem, cum in nulla schola sit acceptum.

D. Thom.
1. 2. a. 3.

Certum enim est, quod si sine ordine voluntatis posset venialiter peccare, posset etiam mortaliter: ad essentiam enim vtriusque ex parte potentia, solum requiritur, quod sit actus à potentia libera & indeterminata. nec est probabile, Deum posse condere creaturam peccabilem venialiter & non mortaliter, vt recte Angles 2. d. 34. 35. 36. 37. q. 5. conclus. 1. D. Th. vero non astruit libertatem in appetitu sensitiuo: vult quidem ibi posse esse peccatum veniale, sine actu voluntatis, quod est verissimum, non tamen sine omni ordine ad voluntatem. sic etiam Doctor.

Angles 2.
d. 34. 35.
36. 37. q. 5.
concl. 1.

Examinandum ergo est, ad quos actus tendat nostra libertas: quia hic, si vllibi, materia controuersia.

In hoc puncto sicut in cæteris, vbi disputationibus Theologorum ianua (veritatis definitione) non est præclusa, diuersimodè sentiunt Doctores.



P R O B L E M A

S E X T V M.

An ad veritates speculatiuas potest attingi viribus liberi arbitrij.

Durand. 2.
d. 28. q. 1.
num. 5.
Caiet.

DVrandus 2. d. 28. q. 1. n. 5. & tribuitur Caietano, vult hominem viribus Arbitrij, si pro imperio suæ libertatis voluerit se applicare, posse sine auxilio

gratiæ cognoscere omnes veritates naturales collecti-
uè, ita vt actu acquirat notitiam omnium.

Fundamentum huius sententiæ est, quia quæcun-
que res creata potest viribus suis exire in actum pro-
portionatum formæ, per quam constituitur in actu ad
agendum: sed lumini naturali, quod est quasi forma
intellectus humani, est proportionatum cognoscere om-
nes veritates naturales, ergo.

Minor probatur, quia omnes istæ veritates sunt
proportionatæ lumini naturali nostri intellectus; quia
homo naturaliter appetit cognitionem omnium ista-
rum veritatum 1. Metaph. c. 1.

*Arist. 1. 0.
Metaph.
c. 1.*

Secunda sententia, quam semper amplexus sum, quæ
etiam est Curiel, 1. 2. q. 109. act. 1. dub. 1. est, hominem in
quocunque statu naturæ, siue ante vel post lapsum, posse
suis viribus cognoscere omnes veritates naturales speculati-
uas, id est, facultatem habet naturalem quâ possit, cum
voluerit, quamcunque earum actu cognoscere. vt D. Thomas
ibidem, Abulensis in cap. 19. Matth. q. 176.

*Curiel. 1. 2
q. 109.
act. 1. dub.
1.
D. Thom.
Abulens.
in c. 19.
Matth. 4.*

Ratio est, quia quæcunque ex istis veritatibus in
particulari est obiectum proportionatum lumini naturali
intellectus humani: omnis verò potentia potest attingere
obiectum sibi proportionatum. Ergo: & hoc satis insinuat
Doct. in Prologo, vbi inferius.

176.

Dixi quamcunque istarum, quia homo pro statu lapsus
non potest acquirere notitiam omnium istarum collecti-
uè, licet quantum est ex parte potentia potest, non tamen
actu potest, propter multa alia requisita, scil. longitudinem
vitæ, &c. Sic etiam Curiel, cum reliquis.

De statu autem originalis iustitiæ, videtur probabilius,
quod potuit acquiri scientia omnium, quia esset ad
perfectionem ipsius status: nulla etiam fuisset deceptio
nec error in iustitia originali; Sic communiter Doctores.
Nec hic opus, vt exponam aliorum fundamenta, quia res
facilis.

D. Thom. Nunc verò, vt rectè D. Thomas, intellectus per peccatum præcipue hebetatur in agendis; vbi fatis insinuat aliquo modo (licet non præcipue) hebetari in ordine ad verum speculatiuum. Hanc etiam viam amplectitur Doctor 2. d. 28. q. vnica.

Durand. Nec illa pro Durando adducta aliud probant, quàm de singulis veritatibus, non de omnibus collectim, licet ille eò traxerit; omnes enim veritates naturales collectiuè sumptæ, non sunt proportionatæ intellectui quoad attingentiam earum, licet bene quoad inclinationem: sicut intellectus noster naturaliter inclinatur ad cognitionem omnis entis, quia ens vt sic, est eius obiectum adæquatum: tamen non potest attingere singula; nec seipsum comprehensiuè, vt est probabilius; nec tamen frustra est ista inclinatio, sicut nec in materia, ad omnes formas, vel ad nobiliorem formam, sicut materia lapidis ad formam hominis, immo intellectus noster inclinatur naturaliter ad veritates supernaturales, quas tamen sine supernaturali auxilio non potest attingere, vt rectè Doct. in prologo q. 1. §: Ad propositum dico.

*Scol. in
prolog. q. 1.
§. Ad
Propos.
dico.*

Hactenus etiam cum Nostratibus pax, vt in sequentibus patebit.



P R O B L E M A

S E P T I M V M.

Quid de practicis veritatibus.

Quoad veritates practicas, id est, quoad agibilia, seu actiones & mores hominum, non in vniuer-

fali, quia hoc omnes fatentur; sed secundum hic & nunc, verbi gratiâ, an nunc esset danda eleemosyna, & huiusmodi.

Casalius de Quadripartita iustitia l. i. c. 19. & 32. Gregorius Ariminenſis 2. d. 26. & deinceps, Capreolus 2. d. 28. cum aliis, negant hominem in statu naturæ corruptæ posse absque Dei speciali auxilio cognoscere sufficienter ea quæ ad moralem vitam pertinent; vel, quid agendum vel vitandum sit.

Casal. de
quadrip.
iustit. l. i.
c. 19. & 32
Greg. Ar.
2. d. 26.
Capreol. 2.
d. 28.
2. Paral.

Probatur ex 2. Paralipomen. *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.*

Hierem. 10. *Cognoui, Domine, quia non est in homine via eius, nec viri est, ut ambulet & dirigat gressus suos.*

Hiere. 10.

Deinde ex Mileuit. Cõcilio c. 4. vbi definiri videtur; *Vtrumque esse donum Dei, & scire quid facere debeamus, & facere diligamus.*

Et in Arauf. 2. Can. 9. *Diuini est muneris cum & recte cogitamus, & pedes nostros à falsitate & iniustitia tenemus;* & Canon. 22. *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum.*

Arauf. 2.
can. 9.
& ca. 22

Celestinus epist. 1. ad Gallia Episcopos c. 9. *Omnem sanctam cogitationem & pium consilium à Deo esse.* Et refert Sozimum Papam, in epistola ad totius orbis Episcopos, de diuinæ gratiæ opitulatione dixisse, *In omnibus actibus, causis, cogitationibus, motibus adiutorem & protectorem orandum esse Deum.*

Celest. ep.
ad Gallia
episc. c. 9.
Soz. Pap.
in epist. ad
orbis Episc.

Tandem probant, quia homo in pœnam peccati originalis contraxit ignorantiam circa agenda, ergo indiget auxilio speciali Dei.

Ego licet hanc sententiam probabilem iudicem, magis tamen amplector viam Doctoris Subt. 2. d. 28. quæst. vnica. §. *Quod si dicas, Hominem nunc non habere tantam excacationem intellectus: quin, potest habere rectam deliberationem de multis.*

Scot. 2. d.
28 qu. vn.
§. Quod si
dicas.

Sic etiam Curiel vbi supra dub. 2. §. 2. Angles 2. d. 28. quæst. vnica, art. 1. citans D. Thom. ibidẽ Durand.

Curiel vbi
sup. dub. 2
§. 2.

Rom. 9. D. Bonau. Richard. eadem dist. q. 1. Et est communiō
Doctōrum modernorum, post Chrysoſt. Theodoret.
Haymonem in Rom. 2. & alios veteres.

Rom 10. Ex ad Romanos 10. vbi dicit, Philosophos fuiſſe in-
excusabiles: *Quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum
glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Vbi ſupponit eos co-
gnouiſſe Deum recte colere.

C. 2 Etiam cap. 2. *Cum enim gentes quæ legem non habent,
naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, eiſmodi legem non ha-
bentes ipſi ſibi ſunt lex.* vbi patet ipſos recte cognoscere,
immo facere ea quæ legis ſunt naturaliter. Quid cla-
Hieron. in rius? Sic Hieronymus interpretatur, in epiſt. ad Alga-
ep. ad Al- fiam cum prænominatis.
gaf.

Et fane hic eſt ſenſus & conſenſus ſanctorum Pa-
trum, naturam non adeo eneruari poſt peccatum, quin
adhuc ſuppetat cognitio boni & mali, & iudicium
ſufficiens ad decernendum inter vtrumque.


Post Aug. Sed quia poſt Auguſt. maximus fuit diuinæ gratiæ
S. Proſper. propugnator ſanctus Proſper, eius ſententiam profe-
l. cont. col- ram in lib. contra Collatorem c. 22. *Quis ambigat hanc
lat. c. 22.* ſapientiam humano generi ad temporalis vite utilitatem ex na-
tura à Deo condita ſuperſeſſe reliquijs? Si enim nec ad iſta ter-
rena ordinando rationalis animi vigeret ingenium, non vitia-
ta eſſet, ſed extincta natura. Ex illo fac iudicium de re-
liquis.

Nec rationes pro altera ſententia aliud probant,
quam quod in ordine ad vitam æternam, nihil poſſu-
mus de virtute liberi Arbitrii, excluſo auxilio Dei
ſpeciali; quod veriſſimum eſt, & ſic ſemper clamauit
D. Paul. D. Paulus, & omnia ſacra Concilia: ſic etiam omnes
Theologi.

Paralip. Ad illud verò Paralipomen. eſt ſolum quædam pars
orationis Iofaphat, quam fecit coram populo ad Do-
minum, vt eos eriperet à periculo inimicorum, quia
ignorabant euadere in anguſtias vtiq; redacti. Petimus
etiam aliquando ea quæ poſſumus viribus naturæ confe-
qui, quia non ita facile per nos. Sic Curiel.

Succinctè ago, quia nondum venulam interfecui diuisionis : huc vsque Doctores enim Protestantes Angli, (Gallos non moror qui Caluinum sequuntur) quasi vnanimi consensu nobiscum concurrunt.

Quod si volueris videre cæcitatem Caluini, volentis naturam quoad omnes veritates, etiam naturales, excœcari, lege Horant. l. 1. c. 16. vbi pro merito eum excipit, & stultitias eius propalat. Fundamenta Caluini non refero, quia nugatoria sunt.



P R O B L E M A

O C T A V V M.

Quid de veritatibus supernaturalibus.

Quoad veritates supernaturales, cuius generis sunt mysteria fidei, &c. patet ex Concilio Milcu. c. 4. omnino requiri reuelationem ex parte Dei; quâ supposita, & quæ manifestum est in Araus. 2. c. 5. hominibus naturæ, vel cum generali concursu Dei, non posse assentire veritatibus fidei: *Provt oportet ad iustificationem & salutem.*

Milcu. c. 4.

Araus. 2. c. 5.

c. 5.

Verba sunt: *Si quis sicut augmentum ita & initium fidei, ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iustificat impium, non per gratia donum, id est, inspirationem Spiritus sancti, corrigentis voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus aduersari probatur.* Et postea c. 7. Et in Trid. sess. 6. c. 6. decreto de Iustificatione. *Disponentes ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratiâ & adiuti, fidem ex*

c. 7.

Trid. sess. 6. c. 6.

c. 6.

auditu concipientes, libere mouentur in Deum, credentes vera esse quæ diuinitus reuelata & promissa sunt.

1. Cor. 12. Hinc illud 1. ad Cor. 12. Nemo potest dicere Dominum Iesum Christum, nisi in Spiritu sancto.

Haecenus etiam nulla prorsus difficultas: vt optime & valde modestè ostendit Horant. cap. 18. ne quidem cum Caluino.

An vero intellectus informatus habitu supernaturali fidei, possit elicere actum credendi istis veritatibus reuelatis sine infusione habitus supernaturalis, vel saltem, sine auxilio supernaturali in voluntate;

Scot.

Agitant Doctores nostri: Doctor Subt. videtur insinuare intellectum posse per habitum suum infusum fidei credere, modò voluntas non contra moueat: immoposito vero supernaturali præfenti intellectui, potest voluntas etiam mouere intellectum ad intelligendum illud, dummodo in intellectu esset habitus inclinans eum; pro vt in casu, sic Doctor 3. 25. q. 2.

Idem 3. d.


25. q. 2.

Idem.

Et sane manifestum est dæmones credere sine pia affectione voluntatis,

Sed hæc quæstio maneat inter cancellos Scholarum: pura enim speculatio est.

Quod autem ad praxim spectat, tam D. Subt. & sui sequaces, quàm omnes alterius sententiæ, requirunt ad eliciendum actum fidei in ordine ad iustificationem & salutem, auxilium speciale & supernaturale in voluntate ad rectè imperandum: Et sic etiam Nostrates passim & verissimè,



PROBLEMA NONVM.

*An possimus viribus liberi Arbitrij assentire
veritatibus supernaturalibus, ut
reuelatis à Deo.*

Prima sententia est tenentium non posse assentire
veritatibus supernaturalibus sine auxilio speciali
Dei.

Et probatur primò ex Concilijs superius allatis, Mileu. *Mileu. c. 5*
c. 5. & habetur de consecratione, d. 4. 5. c. Placuit: vbi *de Cōsecr.*
ex verbis Euangēlij: *Sine me nihil potestis facere*, additur, *d. 4. 5. c.*
Ergo nec credere. Et Araus. 2. *Si quis habet augmentum* *Placuit.*
ita etiam initium fidei &c. non per gratia donum, id est, per in- *Araus. 2*
spirationem spiritus sancti naturaliter nobis inesse dicit, Aposto-
licis dogmatibus aduersari approbatur, &c.

Idem in Trident. sefs. 6. can. 3.

Trid. sefs.

Ad idem etiam adducuntur Patres, quos non ad *6. c. 3.*
longum cito; quia plane idem dicunt, quod in Conci-
liis definitum est.

Probatur etiam hac ratione: Initium iustificationis
non est sine auxilio speciali, ergo nullo modo per vi-
res naturæ: patet fusè, & ex proposito definitur, in
Trident. sefs. 7. can. 5. c. 1. 2. 3. tunc subsumo: Sed *Trid. sefs.*
fides licet informis, est initium iustificationis. Ergo. *7. c. 5.*

Quibus non obstantibus,

c. 1. 2. 3.

CONCLUSIO EST:

Posse assentiri articulis fidei, seu veritatibus supernaturalibus ex viribus solis liberi Arbitrij.

Scot. Doctor Subt. allegatur à Curiel 1. 2. q. 109. & à Mo-
Curiel 12. lina qu. 14. art. 13. disp. 7. de Concordia, pro parte as-
qu. 109. firmatiua, & vere putem esse ad mentem eius, præser-
Mol. 9. 14. tim 3. d. 25. qu. vnicâ, quem sequuntur Gabriel 3. d. 23.
art. 13. qu. 2. art. 2. & alii.

Disp. 7. de Scio tamen aliquos Scotistas aliter intelligere Do-
Cocer. Sco. ctorem. Sed mihi adstipulatur Smising 1. de Deo, tract.
3. d. 25. 3. disp. 6. q. 13.
q. vn.

Gabr. 3. d. Et breuiter sic probatur à Doctoribus, hanc viam
23. q. 2. sequentibus:

Primò, quia experientia ipsa testatur, quando sunt
alt. 2. rationes & argumenta quæ rem aliquam reddunt cre-
Smising 1. de Deo, dibilem, statim liberum Arbitrium præbere assensum:
tract. 3. sed ea quæ fide tenentur ex miraculis pro eorum con-
disp. 6. firmatione factis, &c. nimis credibilia facta sunt; ergo,
qu. 13. cum solo concursu generali, arbitrium potest actu me-
re naturali assensum præbere. Minor patet Ioan. 10.
Si mihi non vultis credere, operibus credite.

Secundò, qui cum pertinacia errat circa vnum ar-
ticulum fidei, amittit fidem supernaturalem, qua re-
liquos omnes credebat; neque deinceps elicit actum
supernaturalem fidei, sed naturalem, circa reliquos in
quibus non errat: Constat autem de hæreticis, quod
relictis aliquibus articulis, assentiantur reliquis vt à Deo
reuelatis, neque videtur probabile eos adiunari pecu-
liari Dei auxilio, ergo.

Tertiò, ponamus aliquem paruulum non baptiza-
tum educari inter Christianos, vbi videt, & audit om-
nia mysteria fidei: &, ponatur quod Deus non vult
concurrere cum illo nisi generali concursu: indubie
ipse assentiet articulis nostris, si nihil audierit de aliis
erroribus, ergo.

Dices verum esse, talem crediturum articulis nostris, sed non vt reuelatis à Deo, adeo vt authoritas diuina, sit motiuum fidei illius.

Respondeo, quod sic: sicut patet de hæretico, qui credit Deum esse trinum & vnum, tanquam id quod habetur in verbo Dei: ob quod nihil sic inculcant hæretici, quàm nihil esse credendum, nisi habeatur in verbo Dei. Patet etiam de Catholico credente ex inuincibili ignorantia, quidpiam falsum, tanquam à Deo reuelatum, quod colligit ex aliquo textu male intellecto; sicut Cyprianus, Baptismum hæreticorum non valere; vel credente quidpiam, vt à Deo reuelatum, quod non est à Deo reuelatum, sicut opiniones Theologorum, quas vnus putat esse reuelatas & de fide; alius non: non potest autem fides diuina inclinare in falsum, nec in id quod non est vere reuelatum; ergo talis hæreticus, vel Catholicus credit fide humana, vt à Deo reuelatum: vt docte discurrit Smifings.

Scio Bellarm. l. 6. c. 3. de Gratia & libero Arbitrio, tenere cum aliis, *hæreticos in casu posito, non habere certitudinem ex parte obiecti, vel credere, quia reuelatum est, licet ipsi sic existiment.* Ratio eius est, quia non habent causam proponentem Dei reuelationem, scilicet Ecclesiam. Vnde si petatur ab hæreticis, vnde sciunt Deum reuelasse, respondebunt, ex diuinis litteris: si vrgeas vnde sciunt diuinas litteras *hoc significare*, cum alii aliter Scripturas interpretentur; vel vnde sciunt, has esse diuinas litteras: Finale responsum est, eos ita iudicare, & sic totum resoluitur in hoc, quod non Deo reuelanti, sed proprio iudicio dictanti adhærent. Hæc ille.

Quod licet valde probabiliter dictum fuerit, *presertim de multis eorum*, qui vere solis suis iudiciis pertinacissime adglutinantur;

Credo tamen quod communiter credant propter reuelationem Dei.

Quod si vrgeas, vnde sciant esse à Deo reuelatum

responderent, Deum sua testimonia reddidisse nimis credibilia per signa & multa prodigia.

Vel dic melius; eos non scire, sed credere, esse sic reuelatum. Si petas quare sic reuelatum esse credunt, Respondendum est, sicut nos credimus Deum esse trinum, quia hoc est reuelatum, esse vero reuelatum, quia est reuelatio: quando enim aliquid est denominatiuè tale, & aliquod formaliter tale; standum est in secundo: solet dari exemplum de luce, quæ se & alia facit visibilia: ita ipsa reuelatio Dei facit seipsam & alia credibilia. Sic Doctores communiter de obiecto formali fidei, cum Cano in locis Theologicis.

Et rectè huc tandem recurrendum est, licet Ecclesia proponat; quia Ecclesiam habere authoritatem infallibiliter proponendi, est vnum credendorum; & ideo creditum, quia reuelatum. Vt rectè Magister meus in scholiis in 3. vbi supra.

Hoc dico, non quod reuelatio sit obiectum formale credendi, vel ipsa ratio formalis quæ, id est, quâ intellectus præbet assensum veritatibus creditis; effectus enim realis requirit causam realem: constat verò reuelationem tam *actiuam*, quæ est dictio Dei ad extra, quàm *passiuam*, esse ens rationis: esse enim *reuelatum*, sicut esse *cognitum*, non superaddit nisi respectum rationis, vltra rem reuelatam, vel cognitam, vel saltem formam quandam rationis absolutam, vt tenet Doctor 1. d. 36. q. vnica, §. Concedo conclusionem. & alibi; minùs ipsa propositio Ecclesiæ, quæ supponit illam reuelationem.

Scot. 1. d.
36. q. vni-
ca §. Con-
cedo con-
clus.

Potest ergo dici, quod prima veritas reuelans est obiectum formale adæquatum respectu ipsorum, quibus immediatè fuerunt reuelati articuli, sicut Prophetis & Apostolis, nobis autem non sic; sed prima veritas reuelans est Ecclesia proponens, adeo vt tam reuelatio quàm Ecclesiæ propositio habeant se vt conditio in obiecto; vt etiam disertis verbis asserit Caietanus 2. 2. q. 5. art. 3. Hæreticus verò potest credere vt reuelatis à Deo per actum naturalem, & prout proponitur tali vel tali mo-

do pure humano, Catholicus verò prout proponitur per Ecclesiam; licet vt dixi, hoc est aliquo modo extrinsecum respectu fidei in se seu obiecti formalis eius, quæ est veracitas Dei, seu authoritas Dei reuelantis; & hinc in resolutione fidei, vltimum credibile est. *Deus verax seu prima veritas hoc reuelauit*, vt etiam rectè notauit Valent. *To. 3. disp. 1. q. 1.* Canus de locisc. 8. *ex D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 1.* vel vt loquitur D. Subt. 3. d. 24. q. vnica, & omnes Scotistæ ibidem, & q. 3. Prologi. Deus sub ratione deitatis est obiectum formale fidei; scil. ratio formalis quæ; obiectum formale quo, seu ratio formalis sub quâ, est prima veritas Dei reuelantis; cum quo etiam conuenit D. Thomas loco citato. *Thom. 2. 2. q. 1. art. 1. 9. 1. a. 1. Scot. 3. d. 24. q. vnica ex 9. 3. Prologi D. Thom.*

Petes an propositio Ecclesiæ sit à Deo per modum conditionis requisita, vt nullus ritè conuerti, vel Catholicus fieri possit, nisi hoc per modum regulæ explicitè credatur.

Respondeo per alia motiua, posse hominem induci ad credendum articulis fidei propter reuelationem diuinam, & Catholicus constitui, modo implicite Ecclesiam inuoluat; Sicut patet in nouiter conuerso, qui nondum audiuit de Ecclesia, & fortè sic fuit in Eunucho à Philippo conuerso.

Petes ergo in quo differunt fides diuina ab humana ab intrinseco.

Respondeo quod sola differentia est in quadam intrinseca & essentiali perfectione fidei diuinæ, secundum quam illa sola est commensurata diuinæ authoritati, quam habet pro motiuo; licet illud etiam subinde habeat fides humana; non est tamen commensurata; & hinc quia nemo potest certò scire an habeat assensum commensuratum motiuo credibilium, nec etiam an habeat assensum fidei diuinæ, hinc nemo nouit, an habeat fidem vel humanam vel infusam. Modus ergo ille commensurationis in tendendo in obiectum fidei distinguit illam ab humana fide, & non reuelatio. Sic Smifings vbi supra more suo rectissime. *Smif. vbi sup.*

Minus autem rectè Curiel vbi supra art. 1. dub. 3. vbi dicit etiam esse D. Thomæ, 2. 2. q. 5. art. 3. in corpore; postquam rectè concesserat, posse assentiri, vt reuelatis à Deo sine auxilio speciali; addit quod ratio formalis, non est reuelatio, sed lumen naturale, vt signa &c. sed trepidauit vbi non esset causa timoris; non vtique per reuelationem habent fides diuina & humana distingui, sed ab intrinsicis suis rationibus formalibus, vt iam dixi. Imò videtur inuolui implicancia in terminis, dicere quod credant quia reuelata, vel vt reuelatis, & tamen ponere signa illa esse formale motiuū præcise, quia hoc est credere esse reuelata propter signa, non autem credere vt reuelatis, &c. Deinde credere præcise propter illa signa, facit fidem solùm valde probabilem & credibilem, quia propter argumenta à ratione humana, vt lo-

Durand. 3. d. 24. q. 3. Maldonatus etiam in cap. d. 24. q. 3. 7. Matth. dicit miracula & reliqua signa quæ ibi enumerat, *solum probabile fidei argumentum facere.* Petigianis etiam in cap. 7. 3. d. 24. art. 8. §. Contra hanc conclusionem, dicit *Matth.* quod signa, &c. *Petigianis* *solum faciunt nostram fidem habere euidenter probabilem veritatem;* Ipsi verò habent fidem certam seu firmam, qua scil. firmiter credunt articulis, licet ex genere suo non infallibilem, quia non diuinam, sed aliam inferioris ordinis.

Est Durandus 3. d. 23. q. 9. n. 8. non timuit asserere, imo & fusè probare, hæreticum habere fidem infusam circa articulos, quos credit, licet in aliis pertinaciter erret; quem etiã secutus est grauissimus Estius in 1. Epist. Ioan. c. 4. & 3. d. 23. de quo plus miror propter Trid. sess. 6. c. 15. vbi dicunt Patres, *Non modo infidelitate per quam vt ipsa fides amittitur, &c.* Ex quibus verbis constat fuisse sententiam totius Cõcilij, per quamcunque infidelitatem, cuius generis indubiè est hæresis, perdi fidem diuinam: quod licet expressè non definitum fuerit secundum regulas omnium Doctorum, præsertim Cani eommuniter recepti, in locis, quia non est responsio iudiciaria ad quæsitum; tamen non leue est contra tot Pa-

tes in Spiritu Sancto congregatos in doctrinalibus aliquid opinari; communiter tamen putatur esse definitum in Mileu. can. 4. & Arauf. c. 25. contra Pelagium; sed fortè non est verum: Error enim Pelagii erat quod gratiæ Dei esset quod fides nobis prædicetur, sed facta prædicatione, fidem etiam diuinam à nobis acquiri, adeo vt non esset donum Dei in se. Et hoc condemnarunt illa Concilia: quod nihil est ad propositum: prædicti enim Doctores hoc non negant.

Mileu. c. 4
Arauf.
ca. 25.

Hæreticus quidem, vt dixi, potest habere ex fide sua assensum certum in articulis quos credit, id est, assensum firmum, ita quod non possit dubitare de articulis quibus consentit, quia aliter possit simul habere fidem & opinionem de eodem: quod est impossibile, quia fides excludit omnem formidinem de opposito, opinio autem non: Non tamen habebit assensum infallibilem, cui non potest subesse falsum; hoc enim est proprium fidei infusæ, tam propter diuersam præsentationem obiecti, quam propter ipsum habitum: sic etiam Doctor 3. d. 23. quæst. vnica. & post eum Lychetus ibidem.

Scot. 3. d.
23. qu. vn.
Lychet.

Quod autem hæreticus non potest habere fidem infusam simul cum suis erroribus, expresse tenent Doctor 3. loco citato: Quod tamen intelligi debet, non quod error alicuius articuli & fides infusa repugnent formaliter, vt rectè aduertit Lychetus, sed tantum demeritoriè, quia Deus de potentia absoluta posset alicui hæretico, etiam existenti hæretico, infundere habitum fidei, sicut suo loco dicturi sumus, quod charitas & peccatum non repugnant formaliter, sed tantum demeritoriè; tamen de potètia Dei ordinata, sicut charitas nullo modo stat in aliquo existente in peccato mortali, ita nec fides infusa stat in aliquo existèti in aliqua hæresi.

Scot. 3. loco
cit.

Tandem Petigianis, licet in apparentia docuisset oppositum nostræ sententiæ, in corpore, §. Er quantum spectat ad Doctorem Subtilem; concedit ad mentem Doctoris esse fidem humanam, atque, vt ipse loquitur, moralem, in assensu veritatum supernaturalium, &

Petig. in
corpore. §.
Et quantum
c.


§. obser-
uand.

Angles 2.
d. 28 q. vn.
art. 1.

expressius ante §. Sextum obseruandum, Vbi fatetur dæmones, & hæreticos credere articulos fidei ex auctoritate Dei, vel, propter sola argumenta supernaturalia: quod est conclusio nostra: vbi illud (ex, & propter) important motiuum formale. Angles etiam 2. d. 28. qu. vnica, art. 1. animaduersione 3. optime docet & explicat, hanc nostram sententiam, dicens differentiam inter nostram fidem & hæreticorum, esse, quod licet vterque credit iisdem articulis: *Quia in scriptura diuina continentur*; hoc est, quia ibi à Deo reuelantur; differunt tamen, quia Catholicus credit, quia etiam Ecclesia proponit: ipsi vero quia proponuntur ab omnibus baptizatis, &c. vbi motiuum est humanum.

Argumenta in oppositum non vrgent, quia solum loquuntur de fide diuina.

Ad Nostrates vero quod attinet, hic nihil decernitur; quæstio vtique pure Metaphysica est, nec intra Controuersias agitata.



PROBLEMA DECIMUM.

MAior difficultas inter Doctores, de potestate liberi arbitrii quoad opera bona moralia.

Vbi, vt exactè agamus, oportet explicemus, quid sit ipsum esse morale.

Quid est esse Morale.

Moralitas actus vt sic, seu in generica sua ratione, est: relatio actus ad legem cui refertur.

Bonitas verò moralis, est ipsa relatio conformitatis completæ in actu respectu legis. Dixi *completæ*, quia respectu omnium circumstantiarum. Dixi *relatio*, quia elicitur ex Doctore Subt. 2. dist. 17. qu. 2. Moralitas non dicit aliquod esse absolutum, nec solum extrinsecam denominationem vel respectum rationis, sed relationem realem inter actum, & legem (abstraho enim hic à moralitate voluntatis vel habitus.)

Scot. 2. d.
17. q. 2.

Quæritur ergo inter Doctores.

An viribus liberi Arbitrij (præscindendo ab auxilijs specialibus Dei) potest homo in statu naturæ lapsæ elicere actus sic conformes legi.

Sed adhuc de ipsis circumstantiis est lis inter Doctores, præsertim de illa, *Referendi actum in Deum*. An scilicet, ingrediatur seu requiratur ad rationem actus boni moralis.

Capreolus 2. d. 28. & Gregorius de Arimino. 2. d. 26. & deinceps, Casalius 1. par. l. 1. de Quadripartita iustitia c. 21. & alii, omnino illam circumstantiam, referendi in Deum requirunt ad opus bonum morale, Doctor etiam Subtil. 2. d. 7. n. 11. §. Tertia bonitas, requirit, quod fiat *propter Dei amorem, ex inclinatione tamen naturali.*

Capreol. 2.
d. 28. Gre-
gor. Ar.
2. d. 26.
Casal. 1. p.
l. 1. de qua-
drip. iust.
1. 21. Scot.
2. d. 7. n. 11
§. 3. boni-
tas.

Et probatur ex Augustino expressè contra Iulianum Pelagianum lib. 4. cap. 3. tom. 7. vbi dicit: *Noueris itaq; non officijs, sed finibus decernendas esse virtutes*; Postea subdit: *Quicquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, & si officio videatur bonum, ipso non recto sine peccatum est*; vbi dicit esse peccatum quod non sit propter Deum.

Aug. cõr.
Iulia. l. 4.
c. 3. tom. 7

Ambrosius de vocatione Gentium, l. 1. c. 2. *Quisquis in bonis moribus agit, male adhuc vivit, si non in Dei gloriam vivit.*

Amb. de
vocat. gẽt.
l. 1. c. 2.

Probatur etiam ratione, quia vt aliquid opus sit bonum, debet referri in Deum vt in vltimum finem, 1. ad Cor. 10. *Omnia in gloriã Dei facito*, & alibi. Et pater,

1. Cor. 10.

quia alias deficiet ei circumstantia vltimi finis: quia necessarium est quod omnis actus humanus habeat aliquem vltimum finem, sed nihil præter Deum potest esse volitum, vt vltimus finis, ergo.

Communior tamen sententia est hodie in Scholis cum Vasquez 1. 2. disp. 190. Non requiri, quod actus referatur actu in Deum, sed sufficere virtualem relationem, id est, quod opus ex natura sua virtute referatur in Deum.

Quod efficaciter probatur; Quia finis actus boni moralis est virtus, ergo non opus referri actu in Deum, quia virtus sufficienter terminat eum.

Curiel.

Vel sic, secundum Curiel, quod est conforme rectæ rationi, ex se ordinatur ad finem ad quem dirigit recta ratio, sed hoc sufficit ad opus morale, ergo non opus alia actuali relatione.

His positis.

Dico quod pro diuersitate harum opinionum, diuersimodè respondendum foret ad quæstionem.

Doctores enim prioris sententiæ dicunt, & habent dicere, (vt rectè etiam aduertit Casalius vbi supra,) quod ad opus bonum morale, requiratur auxilium speciale, quod etiam sentit Roffensis, art. 26. contra Lutherum, Nauarrus in summa. cap. 27. num. 29. & fuse Vega quæst. 12. de Iustificatione. Gregorius grauius admodum hanc opinionem sequitur & approbat ex factis Scripturis, Conciliis, & sanctis Patribus.

Doctor etiam, vbi supra, videtur tenere opus esse auxilio Dei; quia solum excludit charitatem ad rectè faciendum opus morale bonum, addit etiam: *Tale opus perfectum in esse morali potuisse fieri in statu innocentia.* Subdit, *vel fortè modo fieri potest à peccatore, si adhuc peccator existens, & non penitens, ex pietate naturali moueretur ad proximum; vbi, vt patet, tenendo relationem in Deum esse necessariam circumstantiam finis, non ausus est re-*

Casal. vbi
sup. Roff.
art. 26.
contra Lu-
ther.
Nauar. in
sum. c. 27.
num. 29.
Veg. 9. 12.
de iustific.
Gregor.
scos. vbi
supra.

ſolutè tenere hominem viribus naturæ poſſe illud facere.

Quid ego hac in parte teneam, ex ſubſequentibus melius patebit; interim non placet quod Valentia lib. de diuina gratia p. 4. c. 3. his verbis dicit: *Ad abſolutam actus rectitudinem moralem non requiritur relatio in Deum ex charitate ſupernaturali. Ita enim in Concilio Trid. definitum eſt, hoc ipſo quod ibi negatum eſt, omnia opera peccatoris ſupernaturali charitate carentis peccata eſſe oportere, &c.*

valent. l.
de diuina
grat. p. 4.
c. 3.
Trid.

Concluſionem eius in prioribus verbis poſitam, cum communi Scholarum amplector: rationem verò eius ex definitione Trident. falſam iudico.

Patet enim non ibi formaliter definiri, nec hoc dicit Valentia, quia non in terminis, vt cuius intuenti conſtat; addo nec virtualiter, nec conſequentia neceſſaria, immo nec probabili: quomodo enim ſequitur, Opera peccatoris non ſunt peccata, (quod ibi ſolum definitur,) ergo ſunt bona moralia: quaſi non poſſint eſſe indifferencia, vel quandam rectitudinem naturalem habentia, nedum ad regulas moris euecta. Quis probabiliter tenet peccatum & bonum morale, ſaltem in ſpecie, eſſe immediatè contraria, vt negatio vnus neceſſario inferat affirmationem alterius? Imo videtur ſapere errorem 16. Ioannis Hus condemnatum in Concil. Conſtant. ſeſſ. 15.

valent.

Sed ad opinionem allatam redeam.

Conſtant.
ſeſſ. 15.

Inter multitudinem argumentorum quæ tam à Doctore quàm ab aliis afferuntur, ponderoſiora exponam. Ex Ioan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*, Quod exponitur de fructibus mandatorum, & conſequenter de operibus bonis: ſic in Concilio Mileu. c. 5. & expreſſè de omnibus bonis in Trid. ſeſſ. 6. decreto de Iuſtificatione cap. 16.

ſcot.

Ioan. 15.

Mileu. c. 5.
Trid. ſeſſ.
6. decr. de
iuſtis. c. 16.
1. Cor. 12.
2. Cor. 3.

Etiã ad Cor. *Quid autem habes quod non accepisti? & c. 12. Nemo poteſt dicere Dominum Ieſum Chriſtum, niſi in Spiritu Sancto.* Etiã 2. ad Cor. 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra à Deo eſt.*

- Philip. 2. Ad Phil. 2. *Deus enim est qui operatur in nobis & vult & proficere pro bona voluntate.*
- Sap. 8. Sapient. 8. *Et sciui quoniam aliter non possum esse continens nisi Deus det.* Et tamen continentia est quoddam opus morale, 1. ad Cor. 13. *sine charitate nihil sum*, & Rom. 3. & ad Rom. 3. dicit, *Iudeos & Græcos sub peccato esse*, & c. 7. Galat. 3. *Legem Mosaicam esse legem mortis*, ad Gal. 3. *Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.*

Secundò ex Concilijs & Patribus in Concilio Mileu. c. 4. *damnatur, Qui dixerit non prestari nobis per gratiam Dei, ut quod faciendum cognouerimus, etiam facere valeamus atque diligamus.* Et in Concilio Araus. 2. c. 9. dicitur, *diuini muneris esse cum & rectè cogitamus: & pedes nostros à falsitate & iniustitia tenemus, quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum operatur ut operemur, & c. 20. Multa in homine bona fiunt que non facit homo: nulla vero facit homo bona que non prestat Deus, ut faciat homo; Et desumitur ex Augustino contra secundam Epistolam Pelagij l. 1. c. 8. immo omnia fere capitula huius Concilij, collecta fuerunt per Prosperum ex scriptis Augustini. & c. 22. Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum: si quis autem homo habet veritatem, vel iustitiam, ab illo fonte est quem debemus sistere in hac eremo.* Ex Augustino tract. 5. in Ioannem & c. 28. Araus. 2. *Quando ita faciunt scilicet homines, quod volunt ut diuina seruiant voluntati; quamuis voluntates agant quod agunt, illius tamen voluntas est, à quo preparatur & obitur quod volunt.* Sic habetur in Araus. 2. & desumitur ex Aug. tract. 19. in Ioannem.

Item Innocentius 1. in rescriptione ad Concilium Carthaginense, ait: *Omnes sancti nihil se sine adiutorio Dei agere posse testantur; & in rescripto ad Mileu. ait: Que cum ita sint, cumque in omnibus diuini paginis voluntati libera non nisi adiutorium Dei legamus esse necessarium, eamque nihil posse celestibus presidij destitutam,* Epistola Epist. 1. ad Episcopos Gallie c. 7. approbat sententiam Innocentij in Epi-

stola ad Concilium Mileu. *Nemo nisi per gratiam libero bene vitur arbitrio.*

Grauiſſima habet ad hoc propositum, Cælestinus ad Galliarum Episcopos; vbi primò acriter scribit contra eos qui Augustino iam mortuo de opitulatione diuinæ gratiæ concertanti se opposuerunt; vbi expresse c. 6. dicit: *Neminem etiam baptismatis gratia renouatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad euincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei, perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit. Quod Innocentij I. doctrina confirmat dicentis. Nam quamuis hominem redemerit à præteritis peccatis; tamen sciens illum iterum peccare, ad reparationem sui quemadmodum posset illum, & potest ita corrigere, multa seruanit, atque quotidiana præstat illa remedia, quibus nisi freti confisque nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores: necesse est enim vt quo auxilio vincimus, eo iterum non adiuvante vincamur.* Ecce hic dicit, nullas tentationes nos posse vincere, ergo nullum opus virtuosum: quia virtus versatur circa difficilia.

Fere omnes hæ definitiones in Arauficano desumuntur ex Augustino, vt ibidem patet, & alibi fusè ostendi, & ad loca Augustini fideliter comparauimus, quia plura ad hoc vbique habet; præsertim de Gratia & libero Arbitrio, vbi c. 18. dicit. *Quod non fit ex charitate, non bene fit, &c.* l. 1. de nuptiis & concupiscentia c. 3. & l. 4. contra Iulianum c. 3. & in Psalm. 31. libro de Spiritu & litera c. 27. 28. dicit opus absque fide esse malum.

Propter has grauiſſimas authoritates, sentio hanc sententiam esse probabilem; & eo citiùs quod reperio Doctorem Subr. (cuius iudicium propter subtilissimam acrimoniam maxime veneror) in illam inclinare; supposito scilicet quod relatio actus in Deum sit circumstantia necessaria ad eius bonitatem moralem.

Videntur enim sancti Patres æstimare nullum opus esse bonum nisi referatur in Deum; rectè autem referri in Deum non posse sine eius auxilio, & hoc videntur

Idem c. 6.

Innocent. I.

Arauf.
ex Aug.
& de
Grat. &
Libero
Arbit. c.
18. & l. 1.
de nupt.
& c. c. 3.
& l. 4.
contra
ful. c. 3. &
in Psalm. 31
l. de Spir.
& lit. c.
27. 28.
Scot.

probare multa ex prædictis locis tam Conciliorum, quam Patrum.

Reliqua verò non de operibus moralibus omnino agunt, sed de operibus in ordine ad salutem, de quibus præcipue actum est in Mileu. & Arauf. contra Pelagiũ, qui iustificationem & salutem nostris viribus liberi Arbitrij tribuendam docuit, vt inspicienti patet.

Mileu. & Arauf.
contra Pe.
lag.

Paul.

Cætera verò quæ ex sacris Scripturis adducuntur, pronunc dico (vltiorem discussionem ad materiam de iustificatione defero) D. Paulum, vbique prout ratio temporis & loci tunc exigebat, deprimendo insulas inflationes Iudæorum, summe extollebat gratiam Christi, & hinc dicit, *sine charitate & gratia Christi omnes sub morte esse*; & huiusmodi locutionibus frequenter vtitur, quia scilicet sine iure ad vitam æternam; *sed manere sub maledicto in peccato & morte*, quia per Christum nondum viuificatos: Ianua vitæ tam spiritualis quàm æternæ nondum ipsis aperta fuit; Patet autem secundum ipsum & veritatem, si præscindas gratiam Christi, nulla opera legis nec circumcisionem, nec præputium aliquid valere: verè ergo mortui sunt, nec potentes dicere nomen Iesu Christi, vt oportet, sine Spiritu Sancto, &c. vt egregie ibidem Apostolus.

Curiel vbi
sup.

Ad illud quod dicitur de continentia, secundum Curiel intelligitur de Sapietia, & quidem requisita ad finem supernaturalem, aut de omnibus veritatibus moralibus collectiuè, quod fusè probat ex contextu. Vide ipsum vbi supra de hac quæstione.

Ad illud verò quod dicitur in Arauf. ex Aug. *nihil esse à nobis præter mendacium & peccatum*; non intelligitur de peccato actuali, sed de fragilitate ad incidendum in peccata, sicut dicitur, *Omnis homo mendax*, id est, non semper mentitur, sed fragilis est & facillè labitur; Patet autem sic esse mentem Concilii, quia addit: *Si quis autem homo habet veritatem & iustitiam*, &c. Vbi non opponit actum peccati actui iustitiæ, sed statum, statui, id est statum naturæ, quo inclinatur homo ad peccatum, statui iustitiæ

Arauf.
ex Aug.

iustitiæ, quo inclinatur per gratiam Christi ad bona opera.

Cæterum, non adeo extendendo bonitatem operis moralis, vt referatur in Deum, sed ponendo ipsam virtutem pro fine operis; in quo sensu indubiè loquuntur Philosophi de opere morali, quod tamen non adeo perfectum est etiam in genere moris & virtutis, vt 2. d. 7. dixit Doctor Subtr. ad sensum omnium Sanctorum Patrum, cum reliquis Doctoribus Theologis supra citatis.

Tunc consequenter tenendum iudico cum ipso Doctore 2. d. 28. q. vnica. §. Contra hoc arguitur. Et cum Suarez; 1. p. l. 2. de Præd. c. 11. & aliquot capitibus sequentibus, & tom. 1. de Gratia: l. c. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. non requiri auxilium speciale ad illud.

Et in hoc sensu puto cum Suarez ibidem, esse communem sententiam Scholarum; Immo nullatenus contradicere opinioni priori; quia ibi agunt de perfectiori ratione bonitatis moralis: hic autè de restrictiori: ibi de relatione vltimata in Deum, & hic de relatione in virtutem ipsam. Et sic conciliantur sententiæ & dicta Sanctorum Patrum cum vtraque sententia.

Immo ipse Vasquez vbi supra c. 2. & 3. licet verbis parum differat, sensu tamen cum hac opinione communi sentire videtur.

Dicit quidem & rectè, non requiri relationem in Deum (loquendo scilicet presè secundum sensum Philosophorum, de bono opere morali,) quod addit verò requiri auxilium speciale ex parte Dei, tamen postea c. 12. explicando seipsum, dicit se intelligere de auxilio; non in substantia supernaturali. Sed in modo; quia scilicet datur ob merita Christi, & ob finem supernaturalem, vel quia non est debitum naturis rerum. Postea; *Nihil aliud est in se quam connaturalis motio obiecti, excitans intellectum ad congruam cogitationem, per quam voluntas moratur ad bonum morale amplectendum vel malum vitandum.*

Quis non videt hic esse *ad rationem*? summa ergo est quod

non requiratur auxilium speciale, sed solum cōnaturalis motio obiecti, & concursus generalis: quod etiam omnes dicunt.

Probatur ergo hæc sententia; Primò, quia homo in statu innocentia poterat operari omne opus bonum morale cum solo concursu generali: ergo in statu naturæ corruptæ potest operari aliquod bonum morale cum eodem concursu; quia natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ita quod à bono toto naturæ priuetur.

Confirmatur, Quia liberum arbitrium ita se habet in his duobus statibus in ordine ad bonum morale, sicut se habet homo æger & sanus in ordine ad operationes naturales: sed liberum arbitrium, vt patet in Trid. non est extinctum per peccatum, sed attenuatum & infirmatum.

Trid.

Araus. 2.
§. de reparatione
liberi Arbitrij.
Concil.
Valent. c. 8

In Concilio etiam Araus. 2. §. De reparatione liberi Arbitrij. *Arbitrium voluntatis in primo infirmatum, id est, in Adamo, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari.*

Idem patet in Decretis Concilii Valentiani celebrati à trium Prouinciarum Galliaë Episcopis, Lugdunensi, Viennensi, Arelatensi, anno 855. vbic. 8. sic habetur: *Item de gratia per quam saluantur credentes, & sine qua rationalis creatura, nunquam bene vixit, & de libero Arbitrio per peccatum, in primo homine infirmato, sed per gratiam Domini Iesu Christi fidelibus redintegrato & sanato, id ipsum constantissime & fide plena fatemur, quod sancti Patres autoritate sacrarum scripturarum nobis tenendum reliquerunt, quod Africana, quod Arausiana synodus professæ est, quod beatissimi Pontifices sedis Apostolicae, catholica fide tenuerunt.*

Ecce vbi Concilium definit liberum arbitrium non mortuum, sed ægrum, infirmatum per peccatum Adæ, sanatum per gratiam Christi. Et hoc docet fuisse fidem sanctorum Patrum, summorum Pontificum & duorum illorum celeberrimorum Conciliorum.

Hieron.
supra
Ezech.

Hieronymus etiam super Ezechielem de Nabuchodonosore agens, dicit: *Ex eo quod Nabuchodonosor mercedem*

accepit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei iudicio prateriri.

Ecce manifeste concedit eum bonum opus fecisse, cum Ethnicus fuerit.

Tandem Augustinus in 3. Hypognofticon (si fit eius) *Aug. 3. Hypog.*
Est igitur in nobis liberum arbitrium, quod quisquis esse negauerit, Catholicus non est: & quisquis esse dixerit quod sine Deo bonum opus, id est, quod ad eius sanctum propositum pertinet, neque incipere, neque perficere possit, Catholicus est. Sententia digna Augustino.

Iterum de correp. & gra. c. 47. *Liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum parum est, nisi adiuetur ab omnipotenti Deo. Hæc ille.* *Idem de correp. & grat. c. 47.*

Quis igitur ambigendi locus? non dicit nullum est, sed *parum.*

Ex quibus omnibus patet liberum arbitrium posse aliqua pura moralia; alias planè extinctum esset; contra fidem.

Dices Augustinum contra Iulianum Pelagianū l. 1. c. 3. Tom. 7. qui obiecerat Augustino Fabium, Fabritium, Scipionem, Regulum, veras habuisse virtutes. *Idem contra Iul. Pelag. l. 1. c. 3. To. 7.*

Respondet ipse, *Eos nullas virtutes habuisse, sed vitia virtutibus similia; vel si virtutes fuerint, potius gratia Dei attribuendas quàm viribus eorum.* Ergo simpliciter asserit impotentiam voluntatis ad bona opera moralia sine auxilio speciali.

Respondeo quod idem Augustinus ibidem declarat *Idem.* quo sensu loquatur; subiungit enim: *Scito nos illum bonum hominem dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum sine Dei gratia quæ datur per unum mediatorem Dei & hominum, nemini posse conferri, per quod solum potest homo ad æternum Dei donum regnumque produci, omnia proinde cetera quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes vera, videantur opera bona, quid ad me?*

Ecce solum negat virtutes ipsiis quæ ad vitam æternam conducunt, & illa opera bona, quæ secundum illum ibi,

sola simpliciter bona sunt; quod etiam verissimum est, nec aliæ virtutes habent perfectum statum virtutis sine charitate.

Gregor.

Arim. 2.

d. 38. q. 1.

act. 2. in

3. Coroll.

Vel etiam potest dici consequenter ad doctrinam datam cum Gregorio Ariminensi 2. d. 38. q. 1. art. 2. in tertio Coroll. rationem cur in Infidelibus non sit virtus vera, vel bonus actus vllus, esse, quia nullam habent cognitionem Dei, & consequenter nec posse referre actus suos in Deum. Sic ille excellentissimus propugnator Augustini.

Scot. 3. d.

26. q. vni-

ca §. ad

primum

etc.

Aug. l. 4.

contra

Iul. c. 2.

Sed præstat hic audire Doctorem Subtilem 3. d. 36. q. vnica. §. Ad primum argumentum, vbi sic dicit, quando autem dicit Augustinus subinde, quod non sint veræ virtutes sine charitate, sicut l. 4. contra Iulianum c. 2. vbi probat, quia talis non gloriatur in Domino.

Respondet Doctör, Potest dici quod nulla virtus inclinatur ad finem vltimum, nisi mediante illa, cuius est per se respicere finem vltimum: & ita si sola charitas respiciat finem vltimum immediatè, aliæ non erunt ad finem vltimum nisi mediante charitate. Quatenus autem sunt quedam instrumenta ordinandi ipsum ad finem vltimum, in quo est sita perfectio, & ideo sunt imperfectæ sine charitate, sine qua non possunt sic ordinare: tamen quia ista imperfectio, non est earum secundum propriam speciem, ideo qualibet earum potest esse perfecta in sua specie absque charitate. Pro tanto igitur dicuntur esse informes sine charitate, & formate per charitatem, pro quanto charitas ordinat ipsas & earum fines in finem vltimum, in qua ordinatione est vltima earum perfectio licet extrinseca. Per hoc patet ad Augustinum; nam virtutes non sunt veræ sine charitate, quia non perducunt ad beatitudinem. Hæc ille.

Scot. ea-

dem d.

Aug. ser.

de patient.

49. 1. par.

de pæn.

d. 3. c. si

quis, etc.

Deinde etiam de mente Augustini alibi constat, ut etiam notauit Doctör Subt. eadem dist. quod sint veræ virtutes morales sine charitate, vel vlla virtute Theologica, vbi citat Augustinum, in sermone de patientia, & est 49. primæ partis & de Pœnitentia d. 3. c. Si quis de hæretico, vel schismatico; Si moriatur ne neget Christum, nunquid eius patientiam

commendabimus? Igitur habet patientiam, & non fidem, neque charitatem.

Deinde Augustinus in epist. 130. agens de continentia Polemonis: *Quod si ille hoc donum fecisset, non solum continens, sed etiam religiosus & pius, & continentiam habuisset, non solum ad honestatem presentis vite, sed etiam ad meritum æternæ.* Virtutem ergo agnouit continentiam, sed non ad meritum vitæ æternæ. Sed etiam Tannerus in 1. 2. disp. 2. c. 4. manifestè, & adducit August. de Spir. & lit. c. 2. 28. & æstimat esse communem sanctorum Patrum. Aug. ep. 103.
Tann. 1. 2. disp. 2. c. 4. Aug. de Spir. & lit. c. 2. 28.

Doctor etiam probat duplici ratione, dari virtutes morales sine charitate.

Primò, quando aliqua ordinantur essentialiter, sicut dispositio & forma, ad quam est dispositio, licet dispositio possit esse sine forma, non tamen è conuerso: sed virtutes videntur esse quædam dispositiones ad charitatem, sicut fœlicitas naturalis ad supernaturalem. Ergo.

Secundò, definitio virtutis moralis potest perfectè saluari in aliquo sine virtute Theologica. Hæc ille.

Hactenus ergo satis conueniunt Doctores.

Est tamen maior & minor latitudo quoad vsum liberi Arbitrij in ordine ad bona moralia, secundum Doctores Theologicos.

Quid autem in his teneant Nostrates de hoc problemate, in sequenti patebit ex ipsorum articulis.



P R O B L E M A

V N D E C I M V M.

*Quanta Latitudo in vfu liberi Arbitrij
quoad moralia.*

CVriel vbi supra, vult ad omne opus bonum morale licet difficillimum ex obiecto, vel propter tentationes, vel rebellionem appetitus, si non includit diurnitatem nimiam, voluntatem posse se extendere. Curiel. vbi sup.

Smif. tra. Smifings tract. 3. disp. 6. de Prouidentia Dei in fine
3. disp. 6. 167. tenet liberum arbitrium, posse aliquod subinde
de prouid. bonum opus morale facere, sed diu resistere tentatio-
Dei, in fi- nibus non posse, nisi opitulante gratia.
ne 167.

Veg. l. 2. Vega lib. 2. super Trident. c. 11. & in Opusculo de iu-
supr. Trid. stificatione quæst. 12. in declaratione suæ Conclusionis,
c. 11. & statim ab initio dicit: quod *ad alia quæ nullius aut certe exi-*
Opusc. de *gua sunt difficultatis, potest liberum Arbitrium, de se: ad gra-*
ust. q. 12. *uiora autem, non sine speciali auxilio Dei.* Huc ego, vt inge-
 nuè dicam, prorsus inclino, præsertim propter auctori-
 tates Sanctorum Patrum.

Sed quid moror? Hactenus pax; Non dico cum Lu-
Cõf. An- thero, vel Caluino, qui omnia nostra bona opera pec-
gl. act. 10. cata esse voluerunt, sed cum Confessione Anglicana, in art.
 10. vbi solum negatur liberum Arbitrium habere vires
 ad actus Deo acceptos, sine adminiculo gratiæ diui-
 næ.

Verba Articuli sunt: *Conditio hominis post lapsum Ade-*
talis est, quod per vires nature & opera bona non potest se conuer-
tere, & preparare ad fidem, & in vocatione Dei; Vnde non ha-
bemus potestatem faciendi opera bona, & Deo accepta, sine gra-
tia accepta Dei nos præueniente, vt bonam voluntatem nancif-
camur, & nobiscum cooperante quando eam voluntatem nacti
sumus.

Rectè admodum per totum, & conformiter ad Arauf.
 Mileu. & Trid. vt ex superius allatis, & inferius afferen-
 dis fusè constat.

Arauf. 2. Prior pars est decisio Arausicani 2. §. 3. *Si quis innuoca-*
§. 3. *tione humana gratiam dicit posse conferri, non autem ipsam*
Isa. c. 65. *gratiam facere vt innocetur à nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ.*
Rom. 10. *c. 65. vel Apostolo idem dicenti ad Roman. 10. Inuentus sum à*
non querentibus me, palam apparui his que me non interroga-
bant.

Posterior §. 7. *Si quis nos per natura vigorem, bonum ali-*
quod, quod ad salutem pertinet vita eterna, cogitare, vt expedit,
aut eligere, id est. velle, &c. absque illuminatione & inspiratione
Spiritus sancti, dixerit: heretico fallitur spiritu, non intelligens.

vocem Dei in Euangelio dicentis, *Sine me nihil potestis facere, & illud Apostoli, Non quod idonei sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et per omnia idem in Trident.

Trid.

Nullum autem verbum, vt hic videre est, contra potestatem liberi Arbitrii in ordine ad opera moralia.


Et potest confirmari autoritate multorum Doctorem Protestantium, specialiter Doctorem Vvhitakeri *whitak. de de peccato originali, 2. 3. vbi sic dicit: Si per morale pecc. orig. opus, virtutes intelligas Philosophicas, non negamus posse hominem, sine speciali gratia, multa fortiter & temperanter & iustè agere.* Hæc ille. 2. 3.

Dixit virtutes Philosophicas, vt excluderet virtutes ad salutem conducentes. ipsissima doctrina nostra: Montacutius etiam in Apellatione c. 10. fusè, tam suo, quam aliorum nomine, hanc veritatem prosequitur, & propugnat. vide etiam Foxium fol. 1533. & est communis eorum sententia. Montac. in appell. c. 10. Fox. f. 1533.

Tandem noster Vega lib. 2. c. 18. super Trident. rem diu ante conciliauit. verba eius sunt: *Si fateamur nos non habere sufficientem libertatem ad opera supernaturalia, & spectantia ad religionem, nisi Deus adiuet, & eos interpretemur hac ratione dixisse, nos non habere libertatem respectu talium operum, quia non habemus libertatem sine gratia Dei ad illam sufficientem, inuenta erit prorsus ratio, quâ illi nobiscum, & nos cum illis in hoc articulo concilemur.* Veg. l. 2. c. 18. sup. Trid.

Augustinus etiam totam controuersiam dirimit epist. 47. *Sana & Catholica doctrina est: qua neque liberum Arbitrium negat, neque tantum ei tribuit, vt sine gratia Dei valeat aliquid, siue vt ex malo conuertatur in bonum; siue vt ad bonum sempiternum perueniat, vbi iam non timeat, ne deficiat.* Aug. ep. 47.

Ad hoc subscribunt Nostrates; ad hoc etiam Nos ab initio Ecclesiæ in omnibus Conciliis, & denique in Trident. sess. 6. decreto de iustific. c. 16. Trid. sess. 6. c. 16. de iustific.



PROBLEMA DVODECIMVM.

De possibilitate mandatorum.

An homo sine gratia potest implere omnia Præcepta.

*Molin. q.
14. art. 13.
disp. 19.*

Hic primo notandum ex Molina quæst. 14. art. 13. disp. 19. cum communi Doctorum, Præcepta legis communi diuisione in tria genera distingui: Quædam sunt mere naturalia, quæ simpliciter, & sine vllâ suppositione deriuantur ex ratione naturali, sicut præcepta Decalogi: Alia sunt quæ ex parte obiecti proprii, & finis vltimi, ad quem nos dirigunt, sunt supernaturalia; & solum dicuntur naturalia ex suppositione, siue quoad modum suppositionis, scilicet, quia supposita eleuatione humanæ naturæ in finem supernaturalem, resultant naturaliter, hoc est, sine concursu liberæ impositionis, & sunt consonæ rationi naturali, prout habet adiunctum lumen fidei; & sic dicuntur naturalia, quia facta prædicta suppositione sunt consona rationi naturali, vt sunt præcepta fidei, spei, & Charitatis.

Tandem alia sunt supernaturalia, non solum ex parte obiecti & finis, sed etiam quoad modum suæ institutionis, quia non resultant facta prædicta suppositione, sed requirunt liberam impositionem, qualia sunt præcepta de receptione & administratione sacramentorum.

Dubium autem esse potest, An quæstio intelligatur de his omnibus præceptis, vel tantum de primis.

Doctor

Doct̃or Subtil. 2. d. 28. quæst. vnica. §. Et potest illa opinio: non adeo clare suum sensum aperit, insinuat tamen, vt rectè notauit illustrissimus Magister meus in scholiis, liberum Arbitrium non posse sine gratia adimplere præceptum supernaturalis amoris Dei, sicut nec præceptum fidei & spei: Et addit recte admodum hanc rationem: nam si adimplet hoc præceptum, disponit se de congruo ad iustificationem; Et hoc est peculiare huic præcepto, quod modus tendendi in Deum, vt in vltimum finem supernaturalem, sit ei intrinsecus, & sic nunquam impletur nisi à iusto, in facto esse vel in fieri: & citat ibidem D. Thomam 1. 2. q. 106. ar. 10. vbi etiam Bannes, & Lorca & alii. Hæc ille.

Scot. 2. d. 28 q. vn. §. et potest, &c.

D. Th. 1. 2. q. 100. art. 10.

Bannes, Lorca, &c.

Veg. q. 17. Opusc. de iust. Scholiator.

Scot. 3. d. 27. 4. 3. §.

Et certe Vega, fidelis etiam Scotista, opusculo de iustificatione, qu. 11. planè sic intelligit Doctorem; & est receptor sententia Scholarum.

Aduertendum tamen, quod etiam rectè notauit Scholiator, secundum Doctorem; liberum Arbitrium sufficere ad implendum præceptum naturale amandi Deum, quod etiam fusè habet Doctor, 3. d. 27. art. 3. §. Istis igitur rationibus: & inter alias rationes, quas ibi videre est, non est incongrua hæc:

Si possum amare creaturam super omnia, possum etiam iisdem viribus amare sic creatorem, cum sit infinites diligibilior.

Quod confirmatur ratione Scoti, quia ratio naturalis recta dicit Deum summe diligendum: ergo voluntas potest eum summe diligere ex puris naturalibus, aliàs voluntas non esset libera ad tendendum in quodlibet secundum illam rationem boni, secundum quam ostenditur sibi ab intellectu.

Probatur etiam à Doctore, ex 9. Ethic. vbi Philosophus vult quod fortis Politicus secundum rectam rationem debet se morti exponere pro bono Reip.

Scot. ex q. Ethic.

Philosophus tamen non poneret talem habiturum aliquod præmium post hanc vitam; sicut patet ex multis locis, in quibus dubitat animam esse immortalem:

Arist.

& magis videtur inclinare in partem negatiuam ; saltem si quilibet sequendo rationem naturalem, dubitat de vita æterna, propter eam de qua dubitat, nullus debet se exponere morti: sed si debet se exponere, hoc est, quia in non exponendo est certissima amissio boni virtutis: ergo circumscripto omni præmio, futurum est consonum rationi rectæ, vt fortis Politicus velit se non esse, ne pereat bonum Reip. secundum autem rectam rationem, magis est diligendum bonum diuinum, quam bonum alicuius particularis, ergo debet velle se non esse propter bonum diuinum.

Dices fortem hoc facere propter præsentem delectationem, quam experitur in actu virtutis, vnde non eligit suum non esse, sed optimum esse secundum esse virtutis.

Contra; patet quod simpliciter magis amatur illud pro cuius salute volo aliud non esse: sed fortis ne male sit Reip. vult se & actum virtutis non esse, ergo simpliciter magis diligit bonum publicum, quod vult feruari, quàm se vel actum virtutis, pro cuius salute non se exponit, sed pro Reip.

Deinde optime confirmatur: Nam si homo vel Angelus, naturaliter plus seipsum quàm Deum diligeret, dilectio naturalis, non perficeretur per charitatem: sed destrueretur, quod est erroneum: quia naturalia omnia perficit, secundum omnes. Quod autem destrueret, patet, quia charitas inclinatur ad dilectionem Dei super seipsum, dilectio verò naturalis ad sui amorem supra Deum, in illo casu, quæ sunt impossibilia, vt patet. Consequens ergo est quod homo & Angelus naturaliter plus amant Deum, quam seipsos: ergo super omnia.

Scot.

Petig.

Sunt aliæ rationes, apud Doctorem, & suos; qui omnes conueniunt; exceptis Petigianis & paucis modernis, qui eum torquent ad oppositum, saltem pro natura corrupta, ratione liberi Arbitrij attenuati.

Sed sane ratio corruptionis naturæ non vrget, quia inde sequitur solum hominem non posse diu vitare omnia

repugnantia, tamen ad tempus, & præsertim quando non occurrunt nimis graues tentationes, & diuturnæ, potest resistere, & hunc actum elicere naturalem.

Dixi præceptum naturale amandi Deum, &c.

Quod vt rectè intelligatur,

Notandum primò, actum efficacem amandi Deum, fumi dupliciter: Primò quasi extrinsece & ratione effectus, vt cum re ipsa extenditur ad excludendum ea omnia quæ repugnant amicitia cum Deo, & non est vnus simplex actus, sed includit omnes actus qui necessarij sunt ad obseruationem obligantium præceptorum sub mortali: alio modo potest dici efficax intrinsece & secundum propriam speciem, quæ ita firmiter atque perfectè coniungit voluntatem cū Deo, vt det ipsi virtutem sufficientem ad implendum omnia præcepta obligantia sub mortali, & ad resistendum omnibus quæ repugnant amicitia Dei, licet ex accidenti voluntas non præster hoc ad quod inclinatur amor. Sic Molina quæstione 14. a. 13. disput. 4. m. 3. nec dissentit Curiel vbi supra.

*Molin. q.
14. a. 13.
disp. 4.
m. 3.
Curiel vbi
supra.*

Quo posito, tollitur præcipua illa obiectio in oppositum, scilicet hominem non posse in statu naturæ corruptæ ponere omnia requisita huic actui efficaci, quia non potest obseruare omnia præcepta; quorum tamen obseruatio includitur in actu illo.

Ad quod facilè respondetur, actum quidem illum efficacem quantum ab intrinseco, ad hoc inclinare, & de se sufficientem esse, sed per accidens impediri; nec hoc est nouum; quia in primis parentibus antequam in peccatum corruissent, dilexerunt Deum super omnia, & virtualiter saltem statuerunt seruare omnia mandata, tamen postea illud de comestione cibi vetiti violabant.

Notandum secundò, cum Curiel 1. 2. q. 109. a. 3. Deum posse considerari, vt est principium & finis bonorum supernaturalium; & obiectum beatificum; & quantum ad ea quæ de ipso cognoscuntur solum per

lumen fidei, & per rationem supernaturalem: & alio modo vt est author & finis boni naturalis, à quo vniuersæ res naturales habent esse, & ad quem tanquam ad finem naturalem ordinantur, & denique quantum ad ea omnia quæ de ipso per lumen naturale possunt cognosci.

Et habet duplicem rationem obiecti, supernaturalis & naturalis; & hinc dixi de amore supernaturali, Deum non posse sic amari secundum præceptum eius sine eius auxilio, secus verò prout est obiectum naturale, modo iam explicato, & hic est sensus Doctoris, & omnium Doctorum.

Scot.

Nec aliquid notabile militat in oppositum.

Quoad tertium verò genus præceptorum, Certissimum est, illa non posse impleri per vires naturæ, immo nec sine gratia habituali, saltem in ultimo instanti, sic Vega q. 11. Conclus. 4. & est communis Doctorum, propter dignitatem Sacramentorum.

Reg. q. 11.

Conclus. 4.

Nec valet, quod ibi affert in oppositum, scil. de homine ficto recipiente baptismum, qui tamen non potest denuo recipere eum: vbi constat eum satisfecisse præcepto in peccato mortali.

Respondeo enim quod in tali casu non adimpleuit præceptum, licet postea non teneatur ad præceptum, propter illud impedimentum; sicut omnes tenentur ad ieiunium, tamen incidens quis in infirmitatem non adimplet, nec tenetur ad illud.

Scot. 4. d.

q. 3.

Immò dico fortius, de homine qui dum baptizatur, habet solam habitualem intentionem, quem tamen constat baptizari secundum Doctorem 4. d. 4. q. 3. nec adimpleuit præceptum; adimpletio enim præcepti est actus humanus, secundum omnes communiter; ad actum autem humanum non sufficit habitualis intentio, aliàs dormientes possent elicere actus humanos. sic communiter Doctores, nec tamen tenebitur iterare baptismum.

Dicendum igitur necessario, quod omnes vi præcepti

diuini tenentur baptizari, & per actum humanum; nisi scilicet iam baptizati sint, quia tunc excusantur à præcepto, licet non adimpleuerint: sic in proposito omnes tenentur in gratia vel cum gratia, adimplere præcepta recipiendi Sacramenta, (& hoc est speciale ex dignitate Sacramentorum, quia ad salutem ordinantur intrinsecè) nisi iam receperint.

His igitur omissis, quæstionem intelligendam puto, præcipuè de primis. Et de hoc sunt opiniones.

Prima est Gregorij de Arimino 2. dist. 26. quæst. 1. a. 2. & 3. etiam Dionysij Carthusij. 1. dist. quæst. 1. Quod homo in natura lapsa nullum præceptum naturale seruare potest; etiam quoad substantiam, absque auxilio gratiæ: probatur Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.*

2. Ad Cor. 3. *Nec sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis.*

Sed hæc sententia fere à tota Schola, saltem quoad hanc latitudinem, reiicitur: nec illi textus vrgent, nisi nos nihil posse (vt oportet) seu in ordine ad salutem sine gratia Christi, quod non est ad propositum.

Vnde Molina m. 2. vbi supra adducit multas auctoritates Augustini, Hieronymi, Anselmi, & addit oppositum esse inauditum apud Patres Antiquos, scilicet quod homo non possit per concursum generalem, & liberum Arbitrium vitare singula mortalia peccata, & consequenter dicere habet posse aliqua præcepta adimplere.

Carthusianus vbi supra vterius processit, & vult neminem posse aliquod præceptum implere sine gratia gratum faciente. sed solus ambulat.

Non putem tamen esse contra fidem; quia nec in Mileu. Araus. vel Trid. (quæ tamen præcipua Concilia sunt quoad materiam de gratia & libero Arbitrio) aliquid contra hoc decernitur.

Gregorius quidem vbi supra dicit, Deum aliquando subtrahere auxilia specialia à grauibus peccatoribus,

adeo vt vere non possint adimplere præcepta quando occurrit obligatio, & tamen quod vere peccant propter malitiam voluntatis antecedentis, quâ se proieciunt in illam miseriam.

Aug. l. 1. retr. 15. Quod etiam probatur ex Augustino; qui dicit aliquos ita relinqui à Deo, vt non possint conuerti vel abstinere ab vltioribus peccatis, sicut l. 1. retr. 15. *Qui cogenti cupiditati bona voluntate non potest resistere, iam hoc ita peccatum est, vt sit etiam peccati pœna.* Et libro de perfect. iustitiæ resp. 15. *Peccatum est cum vel non est charitas quæ esse debet, vel est minor quam debet, siue hac voluntate vitari possit, siue non possit: quia si potest, præsens voluntas hoc facit, si non potest, præterita voluntas hoc fecit.*

Hæc quidem loca probant Deum non semper dare auxilium abundans, vt loquuntur Doctores, seu efficax, quo talis malitia vinceretur, non tamen denegare vel substrahere auxilia sufficientia, & simpliciter necessaria ad conuersionem; quia tunc sequeretur Dei potentiâ saltem moraliter compellente (quia non necessario concursu concurrente) fieri quod peccator non possit conuerti; quod tamen expresse negat Augustinus, serm. 80. in ipsis terminis. Desertio ergo diuina est proxima ratio occasionis obdurationis; efficiens vero proprii libertas Arbitrii, qui propterea non potest conuerti quia non vult, vt rectè Aug. tract. 53. in Ioan. nem.

Aug. tra. 53. in Ioan. Cœc. Senonense. Contra Gregorium, etiam est Concilium Senonense, vbi dicitur. *Nec tanta gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem præterit, in quo Deus non stat ad ostium & pulsat, &c.* Non ergo negat auxilium necessarium ad vitandum peccatum mortale. Vnde optime Vega l. 13. in Trid. 19. dicit quidem omnes peccatores omni momento posse conuerti, sed addit, non posse omni momento eam potentiam in actum reducere.

Molina quidem putat, quod si Deus omne subtraheret auxilium non debitum naturæ, tamen vere pec-

caret homo, quia in possibilitate Arbitrii sit vitare quodcumque peccatum: Et hoc putat esse omnium Sanctorum Patrum; quod tamen nullus credo; si tentatio sit grauiſſima & diuturna, quia tunc vere, licet non phyſicè, tamen moraliter eſſet impoſſibile pro libertate poſt lapſum attenuata.

Deus quidem acceptauit ad meritum actus B. Virginis, & aliorum confirmatorum in gratia, licet voluntas eorum erat valde efficaciter præuenta à gratia; tamen non imputaret in peccatum, ſi prorsus careret gratia omnino neceſſaria, propter difficultatem nimiam in opere, quia iugum eius ſuaue, promptior, ſcilicet, ad præmiandum, quam ad puniendum. Hæc eſt communis Doctorum.

His ergo opinionibus dimiſſis, Sententia hodie communis; quod homo in ſtatu naturæ corruptæ, etiam in peccato mortali, poteſt obſeruare quodcumque præceptum, eſt Doctoris, 2.d.28. & D. Thom. 1.2. qu. 109. cum ſuorum ſequacibus, modò non occurrat diu tentatio grauis.

Scot. 2. d.
28. & D.
Tho. 1. 2.
qu. 109.

Dixi (quodcumque) id eſt, ſingula ſigillatim ſumpta, non autem collectiue, vt omnes Doctores.

Et ratio eſt. Quia vt rectè Vega, quæſt. 13. Concluſ. 1. Non ſtat aliquem ſeruare omnia præcepta diuina, quin habeat in actu, vel conſequatur gratiam gratum facientem, cum ſufficiant ad perducendum hominem ad vitam æternam, ſecundum illud Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Homo autem non poteſt de ſe conſequi gratiam. ergo.

Vega 13.
Concl. 1.

Matth. 19

Hæc concluſio non indiget alia probatione, quam iis quas oppoſuimus pro libertate in ordine ad actus morales: nec aliæ obiectiones militant contra eam, quam quæ ibi allatæ ſunt.

Nec in hoc Problemate, eſt vlla lis inter nos & Noſtrates, vt melius patebit Problemate ſequenti, vbi eorum articulos de hoc puncto referam & exponam.

Conclusio ergo vltima;

*Iustus per gratiam Dei potest omnia Mandata
seruare.*

Trid. sess.
6. c. II.

Definitur expresse in Trident. sess. 6. c. II. *Nemo temeraria illa & à sanctis Patribus sub anathemate prohibita voce uti debet, Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia; non iubet, sed iubendo mouet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuvat ut possis. Cuius mandata graua nõ sunt, cuius iugum strauæ est, & onus leue: qui enim sunt filij Dei; Christũ diligunt: qui autẽ diligunt eũ, ut ipsemet testatur, seruãt sermones eius, quod vtiq; cũ diuino auxilio prestare possunt.* Diuinus fane discursus, & tanto Concilio dignus. Sed quia authoritas eius non tanti fit à plebisque aduerfariorum; annectam aliud antiquius, scilicet

Arauf. 2.
c. 25. ex
Aug.

Arauf. 2. c. 25. ex Augustino collectum: *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod acceptã per baptismum gratia, omnes baptizati Christo auxiliante & cooperante quæ ad salutem pertinent, possint, si fideliter laborare voluerint, adimplere.*

Subsumo: Adimpletio mandatorum Dei pertinet ad salutem Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata;* Ergo baptizatus per gratiam Dei potest ea adimplere.

Maior est de fide, quia sic definita in Arauf. & à tota Ecclesia à tempore Augustini decantata & accepta: Minor etiam est de fide, quia doctrina Christi in terminis. Ergo conclusio est etiam de fide. Vel reduc, si potes, ad aliud genus cognitionis: solum enim differt ab aliis articulis de fide, quod mediante discursu constet eius veritas, articuli autem ipsi sint immediatè reuelati: hoc tamen non extrahit extra limites fidei, nisi forte velis contendere quod solum sit veritatis Theologicæ, quæ valde affinis est fidei in stricto sensu.

Est igitur saltem certa veritas; etiam ex principiis
ipforum.

ipforum, qui omnes admittunt doctrinam traditam à Patribus in primis 450. vel 500. annis.

Vnde etiam illud Augustini, lib. de Spir. & lit. c. 10. *Non quia legem impleuimus, gratia data est: Sed datur gratia, ut legem implere possimus.* Quid clarius? Ang. l. de Spir. & lit. c. 10.

Quid opportunius dici potuit, quasi præueniendo positionem Lutheri, Caluini, & sequacium; quod scilicet lex datur ad ostentationem peccati, & non ad implementationem eius: expresse contra verba Christi Domini: *Vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

Quod si subinde legeris apud Augustinum, nos non posse Dei mandata adimplere; certissimè intelligas ipsum de viribus nostris agere, præcindendo ab adiutorio gratiæ diuinæ; aliàs enim epist. 90. expresse dicit: *Ex Dei beneficio ipsa lex impletur.* Immo in quo sensu impossibilitatem mandatorum asserit; in terminis declarat. tom. 4. exposit. quarumdam propositionum, ex epist. ad Rom. *Cum quisque legem viribus suis putat implere nihil ei prodest ista præsumptio, immo etiam tantum nocet, ut vehementiori peccandi desiderio rapiatur.* Idem ep. 90.

Sexcenta sunt loca Scripturæ expressissimè pro hac veritate, verbi gratiâ, Eccles. 15. *Adiecit mandata & præcepta sua, si volueris seruare, &c.* Et Deut. 3. *Mandatum quod ego præcipio hodie, non supra te est.* Exod. 20. Deut. 10. Ioan 15. Quid moror? To. 4. exposit. quarta Propos. da ex ep. ad Rom.

Fundamentum præcipuum ipforum est, quia æstimant omnia opera nostra esse peccata, etiam iustorum. Eccles. 15. Deut. 3. Exod. 20. Deut. 10. Ioan. 15.

De hoc sæpius, agendo de operibus moralibus, & postea agendo de actibus consequentibus iustificationem, erit sermo.

Est etiam manifestè contra scripturas. Matth. 18. *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor malos fructus:* & illud Ioan. 15. 5. *Ego sum vitis & vos palmites: qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum vultum.* Matth. 10. Ioan 15 5.

Vide de hoc etiam postea, de perseuerantia. Isaia. 60

I

Isaia 64.

Nec valet illud Isaia 64. in oppositum. *Et facti sumus ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatae vniuersae iustitiae nostrae.* Quia ibi loquitur de impiis, nos autem de piis: ibi solum de sacrificiis & neomeniis, de quibus gloriabantur, non de aliis operibus. Illa verò execrabatur Deus. Nihil ergo ad rem.

Aliud fundamentum propter præceptum de amando Deum, *Ex toto corde, tota anima, &c.* Propter illud, *non concupisces*: illa duo præcepta prædicant esse impossibilia.

Sed nec vrgent, de illo amando Deum; habet intelligi, non de amore intensiuo, id est, quasi maiori conatu, seu actu amemus Deum, super omnes creaturas, sed appetitiue: id est, præferamus Deum ut obiectum nostri amoris præ omnibus creaturis, hoc est, amare toto corde, &c. vt communiter loquuntur Doctores; & specialiter Doctor Subtilis 3. d. 27. q. vnica: quem tamen vt

scot. 3. d.
27. q. v.
nica.

rectè intelligas, legas oportet Scholia: vbi pulchre conciliantur & explicantur verba textus obscuriora.

scot.

Alii dicunt, quod Deus debet amari super omnia firmiter; non tamen supra omnia feruenter: sed illum modum loquendi ibi reiecit Doctor, quia loquendo de amore intellectiuo, non sensitiuo, si est aliâ feruentior, est etiam firmiter, & si quis tenerius diligit, & minùs firme, teneritudo enim est ex parte sensitua.

Quando autem dicit Doctor, Deum esse amandum super omnia intensiuè & extensiuè, intelligit tenerius & firmiter, pro modo loquendi aliorum: & non sensu quo explicauimus illos terminos in initio: & certe in hoc sensu potest impleri præceptum de amando Deum in hac vita per gratiam eius, vt dixi quæstione præcedente.

Deut. 6.

Dices ex Doctore Augustinum & Anselmum, quibus conuenit Magister loco citato, tenere illud præceptum Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* non posse impleri pro hoc statu, nec quod teneamur illud implere, sed quod implebimus in statu futuro.

scot.

Respondit Doctor hoc non valere: *Quia pari ratione fuisset dandum præceptum de visione Dei, non vt impleretur,*

sed ut sciremus quò esset tendendum; cuius oppositum satis patet. Hæcille, & vere obuiat ipsissimæ euasioni Caluini, & sequacium: & est dignum notatu.

Resoluit ergo Doctor, Præceptum amandi Deum super idem. omnia, posse impleri à viatore secundum amorem appetitiuum: sed non quantum ad omnes conditiones seu circumstantias quæ exponuntur per illas additiones, ex toto corde & ex tota anima, quia non potest esse in vita ista tanta recollectio virium, ut amoris impedimenti possit voluntas tanto conatu ferri, quanto posset, si vires essent vnite, & non impedita: & quoad talem intensionem actus expulsis impedimenti & recollectis viribus debet intelligi dictum Augustini & Magistri, quod præceptum illud non implebitur in via: nam pronitas virium inferiorum pro statu isto, impedit superiores ab actibus perfectis. Sic Doctor; & pulcherrime. Vbi patet eum negare nos teneri vel posse amare Deum actu intensiuo supra omnia pro statu isto; quia dicit, Non possumus habere tam perfectum actum, propter distractionem potentiarum.

In re ergo dicit idem quod alij Doctores, licet alio modo explicat illos terminos.

D. Thom. 2. 2. q. 44. a. 6. dicit hoc præceptum posse imperfectè adimpleri à viatore; vbi rem declarat exemplo duorum militum, quorum vnus pugnat & vincit hostem, & hic perfectè implet, quia consequendo victoriam habet finem præcipientis; alius pugnat & non vincit, hic imperfectè implet, quia obedit duci, licet non ad finem imperantis. Deus autem præcepto amoris, velit etiam venialia excludi, quod non fit in via, licet bene quoad omnia contraria charitati quæ sunt mortalia.

Aliter autem, nec male respondet Maldonatus super cap. 17. Lucæ vers. 10. vbi dicit illud præceptum Deut. 6. *Vt Deum ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus diligamus, non esse speciale, sed generale præceptum: nec enim in decalogo continetur; quare accommodate ad præcepta decalogi quæ proprie præcepta sunt, intelligendum: totis igitur viribus Deum diligimus, quando totis viribus in decem præ-*

ceptorum obseruantiam incumbimus : ex tota anima diligimus, quando parati sumus vitam effundere, quàm præceptum Dei vllum violare, etiamsi alia bona quæ præcepta non sunt, quæquæ facere possemus, facere nolimus. Hæc ille.

Richard. Richardus etiam Smitheus vir doctissimus S. Theologiae professor tempore Mariæ Reginae in suo doctissimo opusculo contra Petrum Martyrem eodem plane modo intelligit illud præceptum, his verbis: *Illo præcepto tenemur sic diligere Deum ex toto corde, &c. Vt omni conatu illius impleamus mandata.*

Scot. Nec puto differre à sententia Doctoris, vbi dicit quod teneamur ad hoc præceptum, quoad substantiam eius: hanc autem esse substantiam, autumo.

Maldon. Pulchrè postea addit Maldonatus super illa verba. *Totius viribus Deum diligere, & quantum possumus diligere: cui dubium est nos posse diligere quantum possumus? si enim non possumus, quomodo possumus? & si possumus, quomodo non possumus?*

Possumus ergo in hac vita totis viribus Deum diligere, quia possumus quantum possumus; & sic adimplere præceptum.

Clarius tamen in via Doctoris potest conciliari error eorum (id est, communiter ipsis imputatus) cum veritate: quia ipsi solum loquuntur de præcepto inuolente illas conditiones: quod Doctor concedit pro hoc statu esse impossibile, sic etiam D. Montacutius in suo responso c. 16. solum dicit, regeneratos non posse perfecte secundum singulos apices obseruare mandata Dei secundum communem dispensationem gratiæ diuinæ, quod vtique verum est, secundum iam dicta.

Montacut.
suo
resp. c. 16.

Addit tamen & rectè, iustum posse ad tempus obseruare omnia mādata per auxilium illud commune gratiæ, licet non toto tempore vitæ suæ, quod est ipsissima doctrina Trid. sess. 6. can. 22. *Si quis dixerit iustificatum, vel sine auxilio Dei speciali in accepta iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.*

Trid. sess.
6.

Vbi patet requiri vltra communem dispensationem

gratiæ, singulis iustis concessæ, auxilium speciale ad perseverandum in obseruatione mandatorum.

Nota etiam quodhic liber quoad hoc punctum fuit ab omnibus acceptus in Anglia; vt patet in informationibus. Examinabo tamen postea ipsos articulos Confessionis Anglicæ.

Et sanè hæc doctrina piētissima est, & conformis Antiquitati: vt fufius videre est in Arausican. 2. & Mileu.

Gregorius quidem de Arminio, 2. d. 29. quæst. 1. in resp. ad quoddam argumentum; Plus dicit: Dicit enim iustum non posse, vel vlla opera meritoria, sine auxilio speciali Dei: & addit oppositum dicere, esse contra omnes Catholicos. Consequenter, ergo ad hanc sententiam, dicendum foret, iustum non posse adimplere vllum mandatū saltem fructifere, sine auxilio speciali, id est, sine noua applicatione meritorum & iustitiæ Christi, & consequenter, nec sine noua imputatione eius: omne enim nouum beneficium non debitum primæ iustificationi, habetur per nouam applicationem & imputationem iustitiæ Christi; vt est communis Doctorum.

Doctor tamen Subtil. 1. d. 17. fo. 258. col. 2. ante n. 25. §. Ad primum dico, tenet quod si semel quis receperit gratiam iustificantem, scilicet, gratum facientem, tunc vi iustius gratiæ & liberi Arbitrii potest sine vltiori auxilio in multa saltem leuiora opera bona & meritoria: verba Doctoris sunt: *Quod actus qui est meritum est in potestate mea, supposita influentia generali, si habeo vsu liberi Arbitrii & gratiam, sed completio in ratione meriti, non est in potestate mea, nisi dispositiue; tamen sic dispositiue, quod ex dispositione diuina, semper sequitur illud completiuum ad agere meum, sicut semper sequitur animatio ad organizationem factam à causa naturali.*

Ecce apertè dicit, iustum posse facere aliqua bona opera per auxilium commune debitum ipsius statui.

Araus. 2.
Mileu.
Gregor. de
Arim. 2.
d. 29. q. 1.
in resp.

Scot. 1. d.
17. fo. 258.
Col. 2. an.
ten. 25. §.
Ad primum.

Mileu.
c. 10.

Et certe videtur insinuari in Mileu. c. 10. *Item placuit ut quicumque dixerit gratiam Dei, in qua iustificamur per Iesum Christum dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere quae iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, ut non committantur, anathema sit.*

Ergo videtur inferri debere, quod saltem ad aliquod vel aliqua mandata; modo non sit nimis grauis eorum adimpletio, gratia illa iam recepta cum libero Arbitrio possit sufficere.

Ad alterum *de non concupiscentis*; isti existimant; istum fomitem derelictum post baptismum esse peccatum. & hic eorum error; hoc enim semel admissio, sequitur intentum eorum.

2. Cor. 5.

Cui obuiat Apostolus, dicit enim de Christo 2. ad Corinth. 5. *Deus pater eum qui non nouerat peccatum, scilicet Christum, pro nobis peccatum fecit.* Sic D. Paulus: constat autem Christum non esse peccatum, sed eateus dicitur peccatum, quia erat sacrificium pro peccato; sic etiam

Colof. 3. 5.

concupiscentiam Paulus ad Colof. 3. 5. vocat peccatum, quia scilicet est poena peccati, & quia trahit ad pecca-

Aug. l. 1.

c. 13. cont. 2

ep. Pelag.

Idem l. 1.

retract.

cap. 14.

Idem l. 1.

cap. 14.

Idem l. 1.

cap. 14.

Idem l. 1.

cap. 14.

Idem l. 1.

cap. 14.

Idem l. 1.

cap. 14.

Idem l. 1.

cap. 14.

Idem l. 1.

cap. 14.

Idem l. 1.

cap. 14.

Aug. l. 1. c. 13. contra duas epistolas Pelagianorum. Hæc inquit, *Concupiscentia carnis etiam si vocatur peccatum, non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur.* Vel eodem sensu concu-

piscentia dicitur peccatum, sicut lib. 1. retract. c. 13. August. vocat voluntatem sine charitate totam esse vitiosam cupiditatem, id est, inclinare ad cupiditatem, non autem ipsam voluntatem in actu primo esse ipsam vitiosam cupiditatem, quia hoc est falsissimum, & rationi maxime dissonum; sic in proposito concupiscentia dicitur peccatum, quia ad peccatum inclinat.

Dices sanctos Patres subinde dicere quod peccatum originale est concupiscentia; quandoquidem ergo concupiscentia manet post baptismum, sic etiam peccatum originale, licet non imputetur per & propter Christum.

Respondeo, manifestum est eos loqui materialiter, id

est, materiale peccati originalis esse inclinationem seu pronitatem in voluntate ad concupiscendum delectabilia inordinate; quod utique verissimū est: loquendo autem de formali; peccatum originale est priuatio iustitiæ, secundum Anselmum l. 1. de Concept. Virginis c. 27. & ex illo D. Thomas, & Doctor Subtilis 2. d. 32. q. vnica. & omnes alii: non ergo manet in ratione peccati; quia non secundum esse formale, in quo est ratio peccati, sed materialiter; quod nihil est.

Ansel. l. 1.
de Concep.
Virg. c. 27
D. Thom.
Scot. 2. d.
32. q. vn.

Non est opus alias eorum probationes afferre, quia nihil superaddunt iam dictis.

Quod vero ad Confessionem Anglicam attinet: non expresse declarat hanc veritatem; passim tamen insinuat; & art. 7. in fine dicit: *Nullus Christianus est immundus ab obedientia mandatorum, quæ moralia dicuntur.* Quod est contra Lutherum de libertate Christiana, dicit etiam art. 5. *Omnes etiam regeneratos excepto Christo in multis peccare.* Non ergo in omnibus, quod dixerunt Lutherus & Calvinus; & est præcipuum fundamentum huius erroris. Immo art. 12. *Diserte dicitur, opera iustorum esse Deo per Christum accepta.* Non ergo ut *pannus menstruat*, non ipsi execrabilia, quod volunt illi.

Conf. Angl.
art. 7.
fine.
art. 5.

Etiā ar-
tic. 12.

Deinde quod Calvinus, & sui dicunt, præcepta non imponi ad impletionem, sed ad ostensionem nostræ fragilitatis, art. 7. planè est in oppositum, quia dicit nos obligari ad *obedientiam eorum.*

Art. 7.

Ex his ergo non obscurè deducitur Confessionem Anglicam, hac in parte conuenire cum Ecclesia Catholica & sanctis Patribus; non habent enim conuenire in conclusione Caluinistarum, nisi etiam in eorum fundamentis.

Quòd verò art. 9. dicitur, *Concupiscentiam de se habere naturam peccati*, durius videretur, nisi paulò antè præmisisset quomodo deberet intelligi. His verbis: *Sensualitas, affectio, vel desiderium illud carnis non est subiectum legi Dei.* Dicitur ergo habere de se naturam peccati, quia de se non subordinatur legi diuinæ, & hoc solum: non

art. 9.

ergo formaliter habet naturam peccati, sed dispositiuè, quia scilicet disponit seu inclinât nos contra legem Dei. indubiè igitur non alium habet sensum, quam illum quem superius dabat Augustinus verbis D. Pauli, idest, quod habeat naturam peccati, quia à peccato est & ad peccatum trahit.

Dicitur etiam in art. non subordinari legi diuinæ; quia scil. excitat pugnas aliquando tragicas inter carnem & spiritum, quas eleganter describit Paulus ad Galat. 5. 17. & propterea à multis veteribus vocatur *tyrannus in membris*, ab aliis *languor nature*, à D. Paulo *lex membrorum*, ab Augustino *lex carnis*: quæ epitheta licet non important formaliter peccatum, tamen satis insinuant, aliquo modo naturam peccati, seu non subordinationem legi diuinæ: quod abundè sufficit ad articulum.

Augustinus tractatu de verbis Apostoli, fusè describit naturam eius. & ex D. Paulo, pugnas eius contra spiritum. Post quem, Scholastici idem pertractant in 2. præsertim d. 14. vel 1. 2. q. 9. &c.

Conueniunt vtique ratione huius *somnis* in appetitu sensitiuo esse inclinationem naturalem ad materiale peccati, & ad formale nunc per accidens.

Quod inde patet, quia appetitus fertur in bonum sensibile, & est potentia naturalis: potentia autem naturalis agit in quantum potest, nec retardatur vsque ad vltimum, nisi exteriori impedimento; ergo fertur quantum est in se, & naturaliter, in obiecta sensibilia in summo, & ad vltimum de potentia: sed in hac appetitione vehementi, non potest non repugnare rationi; cui rebellioni annexum est peccatum; ergo quantum est de se, naturaliter propendit in peccatum, & hinc peccant homines, quia vt notat Doctor 2. d. 14. plerumque sequuntur appetitum sensitiuum, & ex hac appetitus naturalis inclinatione, nonnulli homines secundum malam complexionem, & influxum syderum, sunt propensi ad quædam vitia; quia enim appetitus sensitiuus est potentia organica & materialis,

terialis, fit vt complexio corporis, & influxus syderum; quæ in corpus habent efficaciam; vt ibi declarat Doctor, valeant determinare appetitum sensitium ad hæc vel illa obiecta; & inde opus est gratiæ & donis supernaturalibus ad reprimendum appetitum & vitanda peccata quæ propter eius impulsum imminet.

Immò nec solum in appetitu sensitio, sed appetitus rationalis, licet secundum primariam & potissimam inclinationem feratur in bonum rationis & virtutis; quia vt Soto. 1. de Natura & Grat. c. 5. *Natura hominis est vere secundum rationem, sicut grauis mouere ad centrum.* Tamen habet secundariam, iuxta quam fertur aliquando ad id quod est peccatum; quia voluntas inclinatur in obiectum delectabile spirituale, sicut appetitus sensitius in sensibile; & accidit tam vni, quàm alteri, quod fit subinde malum & peccatum.

Et hinc Doctor Subt. de peccato Angeli dicit Angelos peccasse ex nimia affectione commodi, quod est propositum. Dicit etiam ibi voluntatem, vt est appetitus intellectiuus, naturaliter inclinare ad illud commodum; quod tamen, vt patet, est materiale peccati.

Fateor equidem hanc rebellionem potentiarum non esse præcisè propter peccatum; quia vt communiter concedunt Doctores, fuisset illa rebellio in puris naturalibus, quia tunc etiam singulæ potentix fuissent latæ in obiecta sua nimis, quia naturaliter; & hinc bellum fuisset perpetuum. Iustitia autem originalis fecit omnes appetitus subditos voluntati rectæ, & vnicebat ipsum hominem fini vltimo, licet non vt bono supernaturali, per merita attingendo, quod est opus gratiæ. Et hinc post lapsum, illa rebellio est in pœnam peccati, quia peccatum demeritoriè auferebat donum illud supernaturalis iustitiæ originalis per quod superprimebatur.

Vt etiam egrè declarat D. Thom. 1. 2. quæst. 9. ar. 6. *Tho. 1. 2. 9. 6.* Vbi vocat legem naturalem; quæ secundum ipsum nihil aliud est, quàm inclinatio potentiarum sensitiuarum in

sua obiecta, quæ habet reduci ad legem naturæ, & à Deo est directè & indirectè: directè, si consideretur, vt est inclinatio naturalis in propria obiecta: vniuersa enim inclinatio naturalis à Deo est: indirectè vero, vt auertit rationem, & illi repugnat, sic à Deo est vt à remouente prohibens; nam Deus propter culpam primi parentis abstulit iustitiam originalem, qua ablatâ potentia sensitia rebelles sunt contra rationem. Hæc ille.

Paul.

Aug. l. 5.
cont. Iul.
c. 5.

Et inde iure optimo tota hæc nostra miseria attribuitur peccato, & ipsa concupiscentia quæ est fomes rebellionis, à D. Paulo & sanctis vocatur peccatum, & à Nostratibus naturam peccati habere dicitur. Non me later Augustinum aliquando vocare concupiscentiam, propriè peccatum, præsertim lib. 5. contra Iulianum, cap. 3. sed intelligit non de concupiscentia, de qua hæc tenus egimus, scilicet cōtracta à parētibus, & quæ quasi in habitu consistit, sed loquitur de concupiscentia actuali, quia addit: *Cui inest inobedientia*. vt rectè Vega: Sic etiam nos omnes fatemur; sed nihil ad præsens institutum.

Idem li. 2.
de peccat.
merit. & c.

c. 4.

De nuptiis
& concup.

li. 1. c. 29.

contr. Iul.

li. 2.

D. Iacob.
Veg. li. 14.
in Trid.

c. 4.

Deinde Augustinus frequenter explicat seipsum. Alibi enim dicit: *Concupiscentiam in baptizatis residentem relictam esse ad certamen, vt quisquis legitime certauerit, coronetur, & eam adeo nihil posse obesse, nisi mens paruerit*. sic l. 2. de peccatorum meritis & remissione. c. 4. de nuptiis & concup. l. 1. c. 29. contra Iulianum l. 2. & alibi, vt etiam supra notauimus; de eius mente igitur abunde constat.

D. etiam Iacobus disertè vtramque veritatem declarat his verbis. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia abstractus & illectus*; Deinde: *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum*; Vbi vt optime ponderat Vega l. 14. in Trid. c. 4. *Cum ad peccatum, conceptionem & partum Iacobus requisit, satis indicauit non omnes prauos affectus à concupiscentia prodeuntes peccata esse, & c.*

Addo ego, multo fortiùs indicasse Iacobum ipsam concupiscentiam (si propriè loquamur) nullatenus esse

peccatum; quia secundum eum est solum radix peccati, siue vt loquuntur Sancti, conformiter ad eius textum, inclinatur ad peccatum. Sed non hæreo; quia hæc in parte, quoad rem, summa pax.

Diutius perstiti in explicatione huius militiæ vitæ hominis super terram; quia multi hic in scopulos proiecti sunt. sed ad institutum redeamus.

Hic propter dicta aliquorum Caluinistarum opportunè potest quæri,



PROBLEMA

DECIMUM TERTIUM.

*An violatio vnius præcepti sit grauior
quàm alterius.*

NOstrates sane derident errorem putiorum Caluinistarum, & antiquorum Stoïcorum, quibuscum in multis præcipuis punctis conueniunt: sicut de fatali Decreto & providentia longe constat.

Stoïci ergo, prout testatur Cicero in Oratione pro Murena, voluerunt *omnia peccata esse equalia*: sic etiam Iouiniani; & hi volebant pœnam in inferno futuram æqualem. vt testatur noster à Castro, verbo, Peccatum.

De hoc habes Hieronymum & ipsum Augustinum in Epistola ad Hieronymum quæ est 29. non longè à principio, ait enim sic: *Clarissima disputatione tua satis apparuit non placuisse authoribus nostris, immo veritati ipsi, omnia paria esse peccata.*

Fundamentum Stoïcorum est, vt rectè & fusè refutat & declarat noster Herrera tract. de peccatis, quia existimabant peccare nihil aliud esse quàm transgredi; sicut si

quis sibi terminum lineæ præfigeret: vbi terminus seu punctum lineæ & indiuisibile. & hinc non plus vnus quàm alius illud transgreditur, quia non habet magis & minus.

Scot. 2. d. 37. Et ex fundamentis Doctõris Subtilis 2. d. 37. potest argumentari, vbi dicit peccatum formaliter esse priuationem: sed priuatio non suscipit magis & minus. ergo omnia æqualia.

Ioan. 19. Pater oppositum esse de fide, quia Ioan. 19. *Qui me tradidit, maius peccatum habet.*

De re ergo conueniunt omnes Doctõres Catholici, licet secundum diuersas sententias de essentia peccati eandem veritatem diuersimodè declarant.

V. l. q. dist. 99. c. 7. Sed omiſſis aliorum vijs, quas videre est apud Vasquez, disp. 99. c. 7. & alios:

Herrera vbi sup. Notandum ex Herrera, vbi supra, & alijs communiter triplicem esse inæqualitatem in peccatis.

Prima in peccatis quæ opponuntur oppositis virtutibus specie differentibus.

Secunda inter peccata specie differentia quæ opponuntur eidem virtuti.

Tertia inter peccata solo numero differentia.

De prima constat maius esse peccatum priuationis maioris & nobilioris virtutis; verbi gratia, odium Dei quod priuat charitate, quam iniusticia: sicut maius malum cæcitas quam surditas, quia visus est præstantior potentia quàm auditus.

Secunda, etiam patet per excessum & defectum in peccatis, quia verbi gratiâ, virtus illa media, scil. liberalitas, consistit in mediocritate duorum extremorum; sed vnum extremum tollit vnam rationem bonitatis, & alterum alteram; vt prodigalitas rationem debite retinendi, & auaritia rationem debite largiendi: & hinc grauius peccatum est auaritia; quia maior est rectitudo liberalitatis in erogando quam in retinendo.

Nota etiam hic, neutrum horum vitiorum habere adæquatam priuationem illius virtutis, sed partialem; &

hinc distinguuntur specie.

Secundo possunt esse plura peccata contra eandem virtutem, quæ licet opponantur eidem virtuti habituali, sunt tamen contra diuersas rectitudines actuales distinctas specie, quæ ad eandem virtutem pertinent; ex inæqualitate rectitudinum, potest esse inæqualitas priuationum; sicut grauius esse patet homicidium quàm furtum, iuxta latitudinem iustitiæ, circa vitam quàm pecuniam.

Tertiò tantum numero diuersis, triplex est inæqualitas. Prima propter excessum materiæ, sicut furtum decem assium quam quinque: secunda propter diurnitatem durationis, vnde delectatio morosa grauior quo diutior. Tertiò propter intensiorem actus, sicut qui maiori malitia peccat quam alter in eodem actu.

Hæc certè sunt tam clara lumini rationis, quod nescio qua cæcitate intellectus possunt negari.

Ad rationes verò in oppositum; facilè respondetur ex doctrina Doctoris Subtilis; scilicet quod licet priuationes non suscipiant magis & minus ratione sui, seu secundum se, bene tamen ratione formæ oppositæ; sicut quando priuat perfectiori forma, dicitur maior priuatio; vt dictum est.

Ad illud Stoïcorum, peccatum non consistit in indiuisibili morali, sed habet latam magnitudinem, vt iam ostensum est.



PROBLEMA

DECIMUMQVARTVM.

An violatio eiusdem præcepti potest esse subinde mortalis & venialis.

CAluinistæ contendunt non dari talem distinctionem: quia omnia generant mortem, secundum illud Iacobi 1. *Peccatum cum consummatum fuerit generat mortem.* & illud primæ Ioannis 3. *Qui facit peccatum, ex diabolo est: vbi illæ indefinitæ locutiones æquipollent vniuersali; quasi diceret, omne peccatum generat mortem, & qui facit quodcumque peccatum, ex diabolo est.*

Deinde inter venialia, maximè mendacia enumerantur: dicit tamen Spiritus Sanctus: *Os quod mentitur occidit animam; & iterum, perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Ergo nullum veniale.

D. Basl. in regulis breuiorib. q. 4. Etiam D. Basilius in Regulis breuioribus q. 4. *Quis est qui peccatum vllum cuiuscumque modi illud sit, leue audeat appellare, cum asseruerit Apostolus, quid per transgressionem Deum inhonoras? & quæst. 293. Differentiam maiorum & minorum peccatorum nusquam in nouo testamento reperiri; siquidem est vna Domini sententia, qui facit peccatum, seruus est peccati.*

Hieron. Hieronymus. *Hand scio an leue aliquod sit dicendum peccatum, quo diuina Maiestas offenditur.*

Alia sunt aliorum sanctorum Patrum dicta quæ ad idem referuntur; sed hæc maiorem habent apparentiam.

Supponendum primò, ex communi Doctorum sen-

rentia, dupliciter sumi peccatum veniale in hac quaestione: aliquando pro veniali ex genere suo; vt verba otiosa, leuitates, & huiusmodi: aliquando pro veniali ex imperfectione operis, licet in re graui, vbi deest perfecta deliberatio vel presentatio sufficiens malitiæ in obiecto, &c. altius quidem posset cum Horan. l. 5. c. 26. peti natura peccati venialis & mortalis, dicendo, mortale vel veniale sic esse ab euentu. Vnde Ambrosius dixit omnia mortalia fieri venialia per pœnitentiam, vel dici sic ex causâ, quando verbi gratiâ, fit non ex malitia. Vnde Paulus: *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci*; vel tandem ex natura sua, quia ex se non adeo charitati dissonum. Sic in proposito.

Horan. l. 5.
c. 26.

Ambr.

Paul.

Supponendum secundò, peccata venialia propriè esse peccata, vt optime etiam notauit Durandus, 2. d. 42. quæst. 6. quia vere Scripturæ dum de venialibus agunt simpliciter, sine restrictione peccata vocant, nec mirum: quia vt rectè Doctor Subt. 4. d. 41. quæst. 1. veniale peccatum est Dei offensa, & vt loquitur D. Th. 1. 2. qu. 88. peccatum veniale displicet Deo.

Durand.

2. d. 42.

q. 6.

Scot. 4. d.

21. qu. 1.

D. Th. 1. 2.

q. 88.

Supponendum tertio, cum communi Doctorum etiam Doctoris Subtilis 2. d. 21. q. 1. (licet alii ipsum perperam intellexerint) peccatum veniale esse contra legem Dei & eius mandata, nec solum contra consilia, licet, vt dixi superius, in remissiori vel imperfectiori gradu: peccatum enim mortale, est deordinatio opposita, vt loquitur Doctor ibi, obseruationi præcepti, sine qua finis, id est beatitudo, non potest sequi aliquo modo.

Scot. 2. d.

21. q. 1.

Veniale verò est violatio præcepti, quæ non facit cadere à fine necessario; vt etiam loquitur Doctor; vel cuius impletio non est necessaria ad finem; & ideo à Doctore vocatur consilium, quod infringitur per peccatum veniale, licet vere secundum eum sit præceptum, non tamen propriè, seu strictè, quia sic illud solum est præceptum, cuius adimpletio est necessaria ad consecutionem vltimi finis. sic etiam Faber 4. dist. 14. disp. 5. q. 1.

Idem.

Faber 4.

d. 14. disp.

5. q. 1.

explicat Doctorem, & fusè ibi probat.

Supponendum quartò quod etiã rectè aduertit no-
veg. l. 14. in Trid. c. 12. sub finem ex Richardo de
sancto Victore in fine tractatus de differentia venialis à
12. ex Ri- mortali: mortale à veniali differre, quod prius *Non pe-*
chard. de *test à quoquam committi sine grandi corruptione sui, aut con-*
sancto Vi- *temptu Dei, aut graui lesione proximi: & reliqua omnia ef-*
fore. *se venialia.*

Supponendum quintò ex communi Doctorum, præ-
scot. 4. d. fertim Doctõris Subtilis. 4. d. 21. qu. 1. contra Gerfon.
21. q. 1. p. 3. tract. de vita Spirit. l. 1. corol. 1. quod peccatum ve-
Gerf. p. 3. niale per se temporalem pœnam mereatur, etiã si se-
tract. de cundum rigorem puniretur ad condignum: Gerfon ve-
vita Spir. rò voluit venialibus respõdere pœnas æternas ex natura
l. 1. corol. 1 rei: licet ex misericordia Dei temporalis nunc exigatur:
 Gerfonis verò rationes si aliquid probant, probarent
 etiã nulla esse venialia cum Calvinistis: sed vere non
 vrgent, & ideo non refero.

His positis. Conclusio Catholica est, dari peccata
 mortalia & venialia.

Et manifestè definitur in Trid. sess. 6. ca. 11. locus ob-
Trid. sess.
6. c. 11. uuius est. Concilium Mileu. can. 6. 7. 8. licet non vsum
Mile. c. 6. fuerit his terminis, plane tamen in tribus istis capitibus
7. 8. seu canonibus, hoc intendit: Quia loquitur de peccatis
 quæ stant cum gratia, vera iustitia, & sanctitate: &
 confirmat multis Scripturis.

Et ex Scripturis sic probatur. Primo ex Iacobo:
Iacobus *Vnusquisque tentatur, à concupiscentia sua abstractus & il-*
lectus. Deinde, *Concupiscentia cum conceperit, parit pec-*
catum: peccatum verò cum consummatum fuerit, generat
mortem. Quid clarius? quam dari aliqua peccata, quæ
 scilicet consummata generant mortem, & alia scilicet non
 consummata, vtique propter defectum pleni consensus
Matth. 5. &c. quæ non generant mortem.

Solet etiã vrgeri, Matth. 5. *Omnis qui irascitur fratri*
suo, reus erit iudicio: qui dixerit fratri suo, Racha, reus erit
Concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehenna ignis. Vbi
 gehen-

gehennam ultimo peccato Christus assignat, non vero duobus prioribus; ergo non sunt mortalia; sic etiam diuus Gregorius lib. 21. mor. c. 5. hunc locum interpretatur, quem citat, & sequitur Vega vbi supra.

D. Greg.
l. 21. mor.
c. 5. Vega
vbi sup.
Mald. in
c. 5. Matt.

Maldonatus vero in caput 5. Matthæi: vult vtrobique capitalem pœnam intelligi, & sic non ibi distingui genus, sed gradus pœnarum in eodem genere, secundum consuetudinem Iudæorum; diuersis illis terminis significatos. vult vtrique Christum ibi intelligere per illa verba, *qui irascitur*, non omnem appetitionem vindictæ, sed eam quæ tendit ad homicidiû: voluntatem igitur occidendi, *iram* vocat: per illa verò verba, *qui autem dixerit Racha*, vult Christum intelligere, expressionem illius voluntatis per cõtumeliosa verba: per illa verba, *qui dixerit, fatue*, magis contumeliosa ex eodem fundamento scilicet voluntatis occidendi deprõpta: quæ omnia peccatum graue important, licet primo secundum, secundo tertium magis est; & vt in ratione peccati, sic pœnæ; licet vt dixi, vtrobique æterna: tota igitur locutio Christi debet intelligi accommodatè ad priora verba de homicida, qui secundum legem haberet mori: in Euangelio autem non solum homicidam in re, sed voluntate; non minori dignum vult esse pœna in foro Dei.

Hæc certè explicatiõ non est incongrua, si benè perpendas cursum Scripturæ in illo loco: non ergo huic loco innitendum in proposito.

Alii sunt textus multo efficaciores, quos videre est apud Controuertistas.

Apud Patres vero frequens est hæc distinctio peccatorum.

Præsertim Augustinum qui epist. 108. & Homil. 28. & 40. & alibi frequenter; dicit peccata venialia oratione Dominica dimitti. Etiam in sententiis cap. 46. & sermone de Sanctis. 41. iustitiam non impedire, nec animam occidere venialia peccata.

Aug. ep.
108. &
Hom. 28.
& 40.
& sentent.
ca. 26. &
serm. de
sãctis. 41
Aug. de

Inter cætera, August. de Spir. & lit. c. 27. *Sicut enim*

spirit. & non impediunt à vita aeterna iustum, quadam peccata venialia, sine quibus haec vita non ducitur: sic ad salutem aeternam nihil profunt impio aliqua opera, sine quibus difficillime vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur.

Ecce apertè dicit, dari peccata aliqua, quæ non impediunt à vita aeterna, & esse in iustis, & tandem vocat venialia.

Bayus de Quod verò adducunt Bayus de meritis operum, & meritis o- sectarii ex August. tract. 12. in Ioann. 3. Quoniam minuta perum. plura peccata, si negligantur occidunt. Minuta sunt gutta, quæ Aug. tra- flumina implent: minuta sunt grana arene, sed si multa are- stat. 12. in na impenatur, premit, atque opprimit; hoc facit sentina negle- 10ann. 3. cta, quod facit fluctus irruens, paulatim per sentinam intrat, sed diu intrando, & non exhauriendo mergit nauem, &c. Hæc Augustinus.

Ex quibus verbis ipsi dicunt, constare de mente Augustini, nulla esse venialia: quod mihi valde mirum est, quâ fronte hoc ipsi attribuunt vi huius loci, cum plane oppositum dicat. Facit enim differentiam inter mortalia & venialia: illa statim occidunt, & hinc ea vocat *lethalia* & *grandia peccata*, qualia sunt, *homicidia*, *adulteria*, *furta*, vt ibidem specificat. Dicit etiam dari alia quæ tract. 1. in epist. Ioann. vocat *leuia*, & hic *minuta peccata*, & enumerat peccata *linguæ*, *cogitationum*, aut *immoderationis in rebus concessis*, &c. Non igitur omnia peccata sunt *grauia* secundum Augustinum, vel omnia *lethalia*, sed aliqua *leuia*. Quid clarius?

Ad illud autem, quod addiderit, ea, si negligantur, occidunt; minus arridet quod respondet Vellossillus in Ad- vellosil. in uertentiis Theologicis 3. quæsito in fine, in Tom. 9. Aduert. Aug. his verbis: Pro Augustino respondemus, quod quando Theol. 3. quæsit. in dixit, quod plura peccata minuta si negligantur, occidunt, & tom 9, quod multa leuia faciunt vnum grande, agebat vicem concio- Aug. natoris, qui vt populum à peccatis retrahant, grauitatem delictorum exaggerantes, affirmant minuta peccata, si negligantur, sepe animam occidere. Hæc ille, sed non puto sanctos in concionibus ea quæ falsa iudicant, populo prædicare.

Primò vt dixi, hæc verba nullatenus iuuant causam Sectariorum de nõ distinctione venialium à mortalibus: quia hoc tibi expressè asserit Augustinus, & sexcenties alibi, vt etiam notaui.

Videtur quidem tangere aliam quæstionem inter Doctores Scholasticos grauiter agitatam, quam optime illustrat Nauar. & post eum & alios fusè & docte Faber *Faber. 4. d. 14. disp. 6. ca. 1.* An venialia possint ex multiplicatione tandem accrescere ad mortalia: vel in aliis terminis, An venialia diminuât charitatem inhærentem animæ hominis iusti: quia si sic, tunc ex multitudine venialium, tandem totaliter corrumpetur charitas, cum non sit infinita; & sic fient *lethalia*: & ad hoc videtur aliquantulum alludere Augustinus. *d. 14. disp. 6. c. 1.*

Sed melius ponderando textum eius integrum, plane putem ipsum velle, venialia non per se, seu formaliter, sed per accidens, tandem fieri mortalia: homo enim frequenter peccans venialiter in aliqua determinata materia, verbi gratiâ, furti, acquirit habitum, & fortem inclinationem ad furandum, quâ facillime ruet in furtum graue, quod est mortale: vel homo frequenter iurans, licet iuramentum ex leuitate præstitum, est solum veniale, *si tamen contemnit, quando appendit*, vt tibi loquitur Augustinus, facile committit mortale; non solum peierando, quod de se est mortale, sed ipsa consuetudo iurandi, per accidens potest esse mortalis, propter periculum cui se exponit, peierandi; vt communis est Doctorum: & sic verissimum est, *quod minuta peccata, si negligantur, occidunt.* & huc accedit illud Gregorii. *Qui minora Greg.*
contemnit paulatim, decidit.

Deinde Augustinus in Enchiridio ad Laurentium c. *Aug. En-*
79. sic loquitur: *De quotidianis breuibz leuibzq; peccatis, sine chir. ad*
quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfac-
cit. Nescio quid euentius poterat ad propositum dici. *Laurentiũ*
c. 71.

Nec valet dicere cum Calvinistis, illa leuia peccata, censurâ Ecclesiæ vel æstimatione hominum esse venialia,

Ibidem
c. 22.

non vero in se, seu in iudicio Dei. Augustinus enim categorice loquitur, & præscindendo à quocumque respectu extrinseco, vocat huiusmodi peccata, *lenia*, & viam facilem illa delendi apponit, scil. *quotidianam orationem*, & *ibidem* c. 22. addit: *Pro salute quorundam mentimur, peccatum ergo est, sed veniale, quod beneuolentia excusat.* Ecce beneuolentia excusat, id est, quia patratum est ex quadam officiosa beneuolentia pro salute proximi, solum veniale est. Hinc doctrina nostra, & omnium Theologorum, in celebri illa diuisione mendacii in perniciosum, quod est mortale, officiosum & iocosum, quæ venialia sunt.

Hieron. in
Matth. 5

Hieronymus etiam frequens; præsertim in verba illa Matth. 5. *Non exhibis inde donec reddas nouissimum quadrantem.* vbi Hieronymus: *Quadrans genus nummi est, quod habet duo minuta. hoc est ergo, non egredieris de carcere donec etiam minuta peccata persoluas.* Origenes etiam hom. 35. ad idem habet in eodem loco.

Origen.
hom. 35.

Hieron.
contra Pe-
lag.
Aug.
Iacob.

Tandem Hieronymus contra Pelagianos frequenter: Augustinus in sexcentis locis agnoscunt dari aliqua peccata quæ cum iustitia stant, & alia quæ gratiam destruunt. quod est intentum nostrum.

Nec scripturæ in initio ad oppositum citatæ, vllatenus vtgent. Ad Iacobum responsum est in corpore.

Ioan.
vers. 10.

Ad illud Ioannis; manifestè loquitur de peccato mortali, loquitur enim de peccato quod non stat cum iustitia, vt patet vers. 10. Non ergo illæ locutiones sunt simpliciter indefinitæ, sed in istis textibus ad mortale restrictæ.

Sap. I. v.
II.

Ad illud de mendacio quod *occidit animam* Sap. I. intelligitur de mendacio pernicioso, quia de detractorio, vt patet vers. II.

Psal. 5.
vers. 6. 7.

Ad alterum ex Psal. 5. manifestè intelligitur etiam de pernicioso (quod ex D. Augustino sumunt Doctores pro mortali peccato) quia loquitur ibi de mendacio doloso, vt patet vers. 6. 7.

Ad illud Basilij, Azorius l. 4. Instit. mor. c. 8. §. Secundo quæritur, dicit Basilium loqui solum de mortalibus.

Azor. l. 4. Instit. mor. c. 8. §. secundo. Reg. ubi sup. c. 5. Basil. hom. 13. in P'sal. 15. & hom. 41. in Prouerb. Idē hom. 57. Bellar. l. 1. c. 13. de amissione gratia. Eust. Sebast.

Vega verò ubi supra c. 5. negat Basilium illa verba habuisse licet circumferantur in nomine eius. verba eius sunt: *Qui potuit ista Basilus scribere qui hom. 13. in initium Prouerb. ex professo docet & peccata & supplicia pro eis reposita inæqualia esse? atque idem de premijs sanctorum, hom. 57. assueerat.* Hæc ille, post quem Bellarminus etiam l. 1. cap. 13. de amissione gratiæ, omnino demonstrat, hæc regulas non esse Basilij, sed potius Eustathii Sebastieni, cuius multi & graues errores in Concilio Gangrensi damnabantur, & alibi dicit Nicephorum l. 9. cap. 16. l. 13. cap. 29. & Sozom. l. 3. c. 13. Eustathio tribuere; non ergo hic multum immorandum; cum sint incerti authoris, & alibi satis constet de mente Basilij.

Niceph. l. 9. c. 16. l. 13. c. 29. & Sozom. l. 3. c. 13. Hieron.

Ad illud Hieronymi manifestum est, ipsum non loqui de comparatione vnius peccati ad alterum, quia sic agnouit aliud leue, aliud graue, vt superius ostensum est; vult igitur pius Doctor, peccata licet leuissima, si diuinæ maiestati comparentur, esse grauiora, quia offensæ grauissimæ maiestatis; quod omnes agnoscimus.

Quoad Confessionem vero Anglicam nihil contra hanc veritatem decernitur; vnde à nobis esse censendi sunt, quicquid Calvinistæ in oppositum mulsitant.

Confess. Angl.



PROBLEMA

DECIMUMQVINTVM.

*An potest dari ignorantia inuincibilis
legis Dei.*

Primò explicandum est, quot sunt leges quæ sub hoc nomine censentur.

1. Sunt igitur quatuor: Lex æterna: *Quæ est ratio diuine prouidentie, quâ cuncta gubernantur; Quæ quoniam in Deo ab æterno est, lex æterna nominatur: & ab hac omnes aliæ leges deriuantur.*

De qua ibi: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio, ab æterno ordinata sum.*

2. Secundâ est, lex naturalis: *Quæ est impressio legis æternæ nostris animis indita & scripta; & appellatur lex naturalis, quia à natura indita, & in finem naturalem*
Rom. 2. *dirigit. De qua habetur ad Roman. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt.*

3. Tertiâ est, lex diuina: *Quæ est ordinatio rationis à Deo excogitata, quæ in finem supernaturalem, hominem dirigit.*
Hier. 31. *De qua Hierem. 31. Dabo legem meam in visceribus eorum.*

4. Quarta est, lex humana: *Quæ ex naturali indita per rationem & syllogismum collata est; ab humano scilicet ingenio inuenta; quæ colligitur ex principiis suapte natura notis per syllogismum. De qua ad Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Lex vero Ecclesiæ seu canonica etiam vocatur humana, & colligitur ex principiis collatis à Deo. De qua Paulus: *Præpo-**

Rom. 13.
Paul.

suis vestris subdite estote.

Quæstio posset procedere de his omnibus: & verè apud Doctores, de singulis controuertitur, nec abs re erit saltem singula tangere.

Secundo explicandum est, quid & quotuplex sit ignorantia. Ignorantia est defectus seu carentia scientiæ, seu cognitionis; & proprie dicitur respectu subiecti capacis & cui debetur; aliàs, si sit respectu subiecti non capacis, non dicitur ignorantia proprie, sed nescientia, id est, non dicitur priuatio scientiæ, sed negatio eius.

Nec solum sub nomine ignorantia, intelligitur illa priuatiua absentia cognitionis debita, sed etiam ignorantia, vt vocant, prauæ dispositionis, seu contraria, id est, error quo aliquid putatur verum quod est falsum, vel è conuerso.

Et vtraque harum habet diuidi in vincibilem & inuincibilem. Vincibilis est illa, quam potest homo vincere ex diligentia & studio. Inuincibilis quam non potest vincere.

Reducitur etiam huc illa famosa diuisio apud Iuristas, de probabili & improbabili. *Iurist.*

Probabilis est, quando quis habet fundamentum probabile; vt dum rusticus credit aliquid esse licitum, ductus testimonio sui Parochi vel parentum: vel quando homo occurrentibus rationibus in vtramque partem suo iudicio probabilibus, eligit eas quæ sibi videntur probabiliores, quæ tamen reuera sunt contra veritatem, cui ipse aliàs benè affectus est: tunc iste (licet contra veritatem erret, & sic laboret ignorantia contraria) nulla culpâ errat: sic Doctores communiter, secundum illud: *Ignorantia iusta & probabilis excusare debet.* Instit. Mand. §. Vtilitas.

Huc etiam reduci debet: quando articuli fidei non modo debito proponuntur; vt rationibus frivolis, vel ab hominibus impiis: tunc enim credere esset actus imprudentiæ, secundum D. Tho. 2.2.q.1.ar.4. Ad secundum. & tangit Victoria de Indis. *D. Tho. 2.2. q. 1. ar. 4. Ad secundum. & tangit Victoria de Indis.*

Sunt multa alia diuisiones apud Doctores, sed hæc sufficiant pro præsentibus.

Tertio explicandum est, quot modis aliqua dicuntur necessaria scitu.

Aliqua necessaria sunt, necessitate mediæ, seu finis: quæ talia sunt, quod sine illis, finis iustificationis & salutis æternæ, nullo modo potest comparari: sic fides supernaturalis, cuius licet dari potest ignorantia inuincibilis quæ excuset hominem à peccato & pœna non credendi, tamen sine illa non potest cælum intrare; sed damnabitur propter peccata contra legem naturæ, sine quibus talis infidelitas durare non potest. sic multi Doctores.

Alia sunt necessaria necessitate præcepti, id est, ad quæ homo tenetur sub mortali, & æterna pœna. Hæc tamen ita se habent, vt propter impotentiam & ignorantiam aliquando homo excusetur à culpa & pœna: & sine illis gratiam & gloriam consequetur. Sic sine cognitione multorum quæ creduntur, & quæ sunt iuris diuini, vt postea patebit.

Soto. 4. d. 5. & l. de natura & gratia. c. 12. Veg. l. 6. c. 20. super Trid. Idem loco cit. & Gab. 2. d. 21. quæst. 2. art. 3. & 3. d. 21. qu. 2. Putant in lege naturæ, & in casibus in lege gratiæ, aliquem saluari posse cum sola cognitione naturali, nec requiri habitum fidei.

Quoad ignorantiam illorum quæ sunt de necessitate mediæ, seu finis, est differentia inter Doctores; nam Soto 4. d. 5. q. 5. & l. de natura & gratia c. 12. Cui etiam conuenit noster Vega l. 6. c. 20. super Trid. volunt nunc in lege gratiæ non requiri maiorem explicitam fidem quam in lege naturæ. Immò Vega loco citato, & Gab. 2. d. 21. quæst. 2. art. 3. & 3. d. 21. qu. 2. Putant in lege naturæ, & in casibus in lege gratiæ, aliquem saluari posse cum sola cognitione naturali, nec requiri habitum fidei.

Soto. 4. d. 5. q. 2. Horat. lib. 2. c. 13.

De quibus dicit Horant. l. 1. c. 18. (vt suam opinionem de necessitate doni supernaturalis fidei respectu cognitionis vnus Dei creatoris & remuneratoris, etiam pro omni statu explicuisset.) *Probe noui viros magno nomine, huic nostræ assertioni suam omnino opponere, quorum grauitas, bonorumque studiorum lucubrationes, multum & diu elaborata, me mouerunt, ne rem dubiam, cuius sub indice adhuc*

lis est,

lis est, mox heresis notare censurâ, quemadmodum multi faciunt, qui cum vix mactarint (vt dicitur, opinor, apud Homerum) iam excoriant: quos hac quidem parte imitari neque cupio, neque volo, tantum abest, illis inuideam. Vtinam huius magni viri modestia esset frequentior apud Doctores modernos.

Immò Alvarez de auxiliis disp. 56. cum aliis, videtur tenere quod ad iustificationem non requiratur cognitio obiecti supernaturalis omnino.

*Aluar. de
auxil. disp.
56.*

Alii, quod tam ad gratiam quam ad gloriam requiratur fides explicita Christi. Sic Diuus Bonauent. 3. d. 25. & alii.

*D. Bonau.
3. d. 25.*

Alii quod ad salutem saltem requiratur explicita fides Euangelii, vel Christi, licet non ad gratiam, seu iustificationem; & hæc est communior in scholis, vt declarat & sequitur Herrerâ præsertim propter cap. *Firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica; vbi definitur, neminem saluari extra Ecclesiam.* Et pro hac opinione citatur Doctor Subtilis 3. d. 25. quæst. 1. quam tamen non inuenio. Loquitur enim ibi solum de iis quibus authenticè prædicatum est; vt patet.

Herrer.

*Scot. 3. d.
25. q. 1.*

Ego vero æstimo Doctorem esse illius sententiæ, quod non sit de necessitate mediæ quoad gratiam, vel gloriam explicita fides Christi, vel Euangelii, vt 4. d. 3. q. 4. fusè probare videtur ex hoc fundamento; quod nullus tenetur ad aliquod præceptum diuinum, nisi per aliquem idoneum & authenticum ministrum sibi promulgetur; vel famâ veridicâ & testimonio bonorum, cui debet quilibet rationabiliter credere.

*Idem 4.
d. 9. q. 4.*

Et postea §. Quantum vero ad istum articulum, dicit, quod tempus obligationis credendi Euangelio incæpit Hierosolymis in die Pentecostes; addit: Inde autem ad alias ciuitates, secundum ordinem, cuiuslibet loco vel genti erat tempus obligationis; scilicet quando ibi publicè & solemniter prædicabatur lex Euangelica; ita quod tempus non incæpit simul apud quoscumque, sed, de Sion exhibat lex, & verbum Domini de Hierusalem; iuxta Prophetiam Isaia. ca. 2. & quibusdam incæpit tempus obligationis ad mensẽ post Pen-

*Et §. Quæ-
tũ vero ad
istum arti.*

Isa. c. 2.

tecosten: & aliquibus ad annum: aliquibus ad decem annos, & sic deinceps, sicut prædicabatur. Hæc ille. Eodem modo August. super c. 15. Ioan. illa verba Saluatoris ponderat.

Quid clarius quam quod hodie non obligat Euangelium, vbi prædicatur authenticè, id est, quod homines possunt hodie saluari, sine explicita fide Christi, quia in illo sensu loquitur Doctor de Iudæis. Et sanè quicquid illustrissimus Magister meus in scholiis teneat super 3. d. 25. cum Magistro suo doctissimo Herrera tract. de peccatis; putem planè hanc esse sententiam Doctoris, & communem; quam etiam sequitur Vega; vbi supra fidelis Scotista, & Faber 4. d. 3. ex Thomistis Bannes 2. 2. q. 2. a. 8. Cano, & alii.

Quam etiam optimè probat Vega ex Augustino in quæstionibus noui Testamenti: *Si non fuit à quo quis disceret, neque ad eum aliquo modo rumor doctrinæ perueniret, tunc non vitio ignorat, & immunis est à damnatione.* Sic August. vbi tam gratiam, quam gloriam concedit, sine fide explicita. Eundem citat Gabriel. 2. d. 2. 2. q. 2.

Immò Trident. videtur fauere; quia sess. 6. c. 4. habet hæc verba: *Quæ quidem translatio post Euangelium promulgatum, sine regenerationis lauacro aut eius voto fieri non potest, &c.* vbi patet ad sensum Concilii posse hominem iustificari alio modo, vbi Euangelium non est promulgatum.

Tandem à Doctore vbi supra, efficaciter probatur. Ioan. 15. *Si non venissem, & loquutus eis fuisset, peccatum non haberent.* Vbi optimè hunc locum ponderat.

Scio Doctores alterius sententiæ responsuros, tales non damnandos pro peccato infidelitatis præcisè, sed propter alia peccata quæ impediunt illuminationem & auxilium Dei speciale. Sed sanè Doctor ibi arguit, Iudæos potuisse per circumcisionem ab originali mundari & saluari sine Euangelio; & pariformiter argumentari potest ad omnes alios, quibus non est authenticè promulgatum Euangelium: aliàs ratio eius ibi non valet.

Scot.

Magister

Schol. su-

per 3. d. 25

Cum Her-

rer. tract.

de peccatis

Vega vbi

sup. Faber

4. d. 3.

Bannes 2. 2.

qu. 2. a. 8.

Cano, &c.

Veg. quæst.

noui Test.

ex Aug.

Gab. 2. d.

2. 2. q. 2.

Trid. sess.

6. c. 4.

Scot. vbi

sup. Ioan.

15.

Et grauiſſimus noſter Corduba lib. 2. quaſtionum Cordub. l.
 Theologicarum q. 5. §. Secunda propoſitio, ſubſcribit 2. Quæſt.
 huic ſententiæ his verbis: *Fides Chriſti ſimpliciter ante pro-* Theol. q. 5
mulgatum Euangelium ſufficiens fuit ad vitam gratiæ & glo- §. 2. pro-
riæ obtinendam: poſt diuulgatum autem Euangelium, neceſ- poſ.
ſaria eſt explicata: excepto apud inuincibiliter ignorantēs, quibus
ſufficit implicita ad vitam gratiæ; ad vitam autem gloriæ
utrum ea illi ſufficiat problema eſt: ſed probabilius eſt, quod
etiam ſufficit implicita.

Conuenit etiam doctiſſimus noſter Medina l. 4. de Medina l.
 recta in Deum fide c. vlt. 4. c. vlt.

Nunquid etiam Chriſtus clare poſuit ordinem obli- De recta
 gationis? *Ite & docete omnes gentes, &c. Et qui non cre-* in Deum
diderit, condemnabitur. fide.

Primò ergo docendi ſunt, deinde *nifi crediderint, &c.*
 Vbi ergo non ſunt Doctores fidei, nec obligat ad cre-
 dendum.

D. Paulus etiam ad Rom. 10. expreſſè idem docet: Rom. 10.
Quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo audient
ſine prædicante? Poſtea; ergo fides ex auditu. Quibus
 verbis apertè docet, fidem de lege, nemini, niſi per vo-
 cem prædicantium reuelari. Oritur igitur obligatio cre-
 dendi ex prædicatione: immo ſecundum eum eſt im-
 poſſibile credere ſine prædicante, nempe de lege. nec
 facilè putem aliquem de lege condemnandum, propter
 illud quod de lege eſt impoſſibile. Quod eſt intentum.

Et conſequenter ad hanc viam ceſſant multæ alterca-
 tiones: quia aliqui volunt articulos de Trinitate, de
 Chriſto, de Incarnatione &c. poſſe quidem inuincibi-
 liter ignorari, adeo vt homo poſſet iuſtificari ſine eis, D. Thom.
 ſed non poſſet ſaluari, quæ eſt D. Thom. 3. d. 25. q. 2. 3. d. 25. q.
 a. 2. & aliorum. 2. a. 2.

De Chriſto probatur, quia Ioan. 3. *Qui incredulus eſt fi-* Ioan. 3.
lio, non habet vitam æternam. item eodem loco dicitur. *Si-*
cut exaltauit Moyses ſerpentem in deſerto, ſic exaltari oportet
filium hominis, vt omnis qui credit in eo, non pereat. Et
 ſpecialiter ex facto Cornelii Act. 10. cui Cornelio licet Act. 10.

iusto, Angelus præcipit vt conueniret Petrum; ille inquit: *Docebit te quid te oportet facere.*

Aug. l. de Præd. s. 7. ex hoc dicit: Si sine fide Christi posset aliquis esse saluus, nunquam ad credendum mitteretur Cornelius ad Petrum.

Ego licet hæc argumenta apparentia sint, putem ea cadere pondere suo. Hic enim nihil de explicita fide Christi. Quod si vrgeas, saltem aliqua eorum de explicita intelligi;

Respondeo, Esto; nisi casu quo daretur ignorantia inuincibilis, quæ omnes excusat; vt dixi, nec contra hoc vlllo modo concludunt. Inde enim Cornelius missus est ad Petrum, quia licet iustus esset, tamen teneretur ad explicitam fidem Christi quantum est de se, & absolute loquendo. Poterat tamen excusari per ignorantiam inuincibilem, si eâ laboraret, vt rectè Corduba vbi supra quæst. 4. §. Ad supra dicta.

Cordu. vbi sup. qu. 4. §. Ad sup.

Ad caput, *Firmiter.* Responderetur, tales non esse extra Ecclesiam formaliter.

Alia etiam afferunt loca & rationes ad idem pro illis articulis. Sed minus vrgent.

Vellofil.

Aduert.

in 4. tom.

Aug.

Non placet igitur quod Vellofillus aliàs doctissimus in Aduertentiis in 4. to. Aug. propè finem contra Ludouicum Viues his verbis asserit: *Communis schola Theologorum Scholasticorum docet, quod si aliquis habens solam fidem implicitam Christi, à qua non tingatur, nec Doctorem ac Magistrum habeat qui fidem Christi illum doceat, argumentum est à posteriori, quod non fecit totum quod requirebatur, vt salutem cõsequeretur; vt de Cornelio & Eunuchò Regine Candacis, & alijs ex Actis Apostolorum constat.* Licet enim communior sit hæc Doctorum opinio, non tamen adeo certa, quod opposita sit temeraria, licet ipse in prioribus verbis ita voluit. Immodò vt patet ex dictis, probabilis est & à doctissimis viris problematicè defensa. sed nec etiam timenda est censura eius, cum alibi frequenter notam temeritatis alicui opinioni inurat, quæ verior est; vt patet ad 27. quæsitum in sanctum Ambrosium, vbi §. Dubium vltimum,

Idè ad 27 quæsit. in S. Amb. §. Dub. vlt.

dicat opinionem Scoti, qua. 3. d. 23. q. 1. ait, fidem infu- Scot. 3. d. 23. q. 1.
 sam & acquisitam non differre ex eo quod infusa semper
 inclinatur ad verum, acquisita vero aliquando ad falsum,
 contra D. Thomam erroneam videri; quam tamen Ca- Caiet. 2. 2. q. 4. ar. 5.
 ietanus 2. 2. q. 4. ar. 5. miratur pro eius subtilitate; sicut
 vere potuit; & tu ipse miraberis, si apud Doctorem, to-
 tam perlegeris. Sed Vellofillus ibi frequens est in suis Vellof. sup. to. Aug. fol. 417. col. 2.
 censuris; sicut inter cætera loca dicit super tom. August.
 fol. 417. col. 2. quod est contra communem sensum tam
 Patrum, quàm Theologorum negare scientiam Dei esse
 causam rerum; cùm tamen constet ex dictis in primo
 Problemate quod cõmunior & probabilior opinio scho-
 larum est in oppositum. Ad idem præcipitium alibi in-
 cautus irruit.

Tandem præter Doctores grauissimos citatos pro hac
 sententia; in eam etiam descendit Victoria in 4. Rele- Vict. in 4. Rel. de In- dis. 4. tit. Richar. de mediavil. 3. q. 1. Petig. 3. d. 25. q. 1. ar. 8. §. Prima
 ctione, quæ est de Indis in 4. titulo (vt ei tribuitur.) No-
 ster etiam Richardus de media Villa, 3. 25. ar. 3. quæst. 1.
 Petigianis etiam 3. d. 25. q. 1. ar. 8. §. Prima sententia, &
 probat ex principiis D. Thomæ, vbi iudicat eam proba-
 bilem; si numeras igitur grauitatem horum Doctorum,
 omnino grauior est hæc sententia.

Ego vero hoc solum contendo, quod hæc sententia
 non mereatur censuram; cùm nihil est in oppositum, quod
 cõuincat intellectum, licet forte opposita est communior. §. Prima sct. D. Th.

Omnes quidem vtriusque viæ conueniunt singulos
 articulos Symboli, & qui in Ecclesia communiter cele-
 brantur, esse de necessitate saltem præcepti: quoad
 omnes Christianos.

Est tamen magna differentia: vt etiam notauit Do- Scot. 3. d. 25. q. 1.
 ctor, 3. d. 25. q. 1. in eius explicatione: singuli enim tenen-
 tur pro captu suo explicitè illos credere; vt etiam no-
 tauit Petigianis ibidem articulo 4. non autem singuli
 tenentur omnes distinctè credere; quia vt optione
 Doctor: *Deus nullum obligat ad impossibile; & ideo si* Scot.
sit aliquis rudis qui non possit concipere quid est natura &
quid persona, non est necesse quod habeat actum explicitum.

de articulo pertinente ad essentiæ unitatem, & personarum Trinitatem distinctè, sicut habent clerici literati, sed sufficit talibus credere, sicut Ecclesia credit. Hæc Doctor.

Quilibet tamen habens usum rationis, tenetur pro aliquando ad aliquem actum explicitum, & maxime ad illa quæ sunt grossa ad capiendum, sicut quod Christus natus est, & passus, & alia quæ pertinent ad redemptionem. sic igitur omnes tenentur ad aliquem actum explicitum pro aliquando, & ad alios in generali, ut scilicet credat quod Ecclesia credit, sed ad omnia credenda explicitè tenentur maiores in Ecclesia, qui præficiuntur aliis, & tenentur alios instruere in fide, in verbo veritatis, & exemplo honestatis, sic Doctor. aliter citò deficeret fides simplicium.

idem.

Maiores igitur qui habent alios instruere, tenentur fidem explicitam habere de omnibus; & pro tempore, illa quæ credenda sunt aliis explicare secundum capacitatem eorum. Hæc ille: & est omnium Doctorum. & utinam à Prælatibus bene perpensum.

Petes ex Doctore, an tales rudes possunt licite sicut ignorare, id est, nescire articulos aliquos explicitè: an etiam possunt licite errorem contrarium veritati tenere.

idem.

Respondet Doctor, quod licet possunt primum, non tamen secundum: *Quia tenentur cauere omne contrarium non solum articulis memoratis, sed etiam omne quod est contrarium veritati scripture scilicet canonis Biblicæ; quia non posset aliquis pertinaciter adherere contrario alicuius veritatis in Biblia, quin iudicaretur hereticus: sicut etiam in moralibus, quilibet tenetur cauere omne peccatum mortale, tamen non tenetur scire in quo gradu superbia est peccatum mortale, quia nec multi experti sciunt. Sic ille.*

idem.

Petes quid si ille cui incumbit instruere simplices, prædicaret aliquod oppositum fidei, an potest simplex licite adhærere doctrinæ eius? Respondet Doctor, quod si sit aliquid credendum, quod tamen non prædicatur communiter in Ecclesia; sed si specialiter prædicatur in uno loco, de

nouo, non est necessarium simplici credere illud, adherendo illi firmiter tanquam vero: immo necessarium est magis, illi non adherere quousque sciat illud credi ab Ecclesia tanquam verum: & cum hoc sibi constiterit, tenetur illi firmiter adherere. Hæc ille.

Hæc doctrina Doctoris sine omni dubio est verissima, & valde applicabilis ad præsentem statum rerum in Anglia. vbi manifestum est multos articulos non Symboli, sed canonis Bibliæ per Ecclesiam declaratos, non ritè promulgari; & consequenter ad eius doctrinam, multi à cognitione eorum excusantur.

Petes annon teneantur saltem ad faciendam diligentiam, vt ignorantia talium expungatur.

Ad quod dico primò. quod si aliquis fuerit, qui nullam de his notitiam habeat, vnde moueretur ad quærendam de illis doctrinam; certum esse, nullam requiri industriam & sollicitudinem, saltem si nullatenus dubitauit: quia non tenetur ad id, quod est ipsi impossibile; est autem impossibile quod quis quærat aliquid quod nunquam ipsi in mentem venit. vt rectè Angles 2. d. 22. q. 2. §. Hinc apertissime colligitur.

Angles 2.
d. 22. q. 2
§. Hinc
&c.

Et hinc forsân aliqui, licet pauciores, excusari possent.

Dico secundò, casu quo habuerit aliquam notitiam præuiam, tenebitur consulere doctos viros qui ad veritatem explicandam sufficientes, & periti censerî possent; quia secundum D. Paulum. *Fides ex auditu.* ad Rom. 3.

Rom. 3.

Petes quid si Doct. sint fallaces, vel errâtes? tûc quid remedii; an saltem tenebitur recurrere ad orationes, & dolere de peccatis, vt obstacula auferantur Spiritus sancti?

Ad hoc dico, multos Doctores tenere partem affirmatiuam. tenendum tamen putem, quod non requiratur diligentia orationis vel pœnitentiæ, vt talis ignorantia fidei sit inuincibilis respectu multorum, quia vt talis diligentia sit debita, oportet vt sit possibilis, id est

cognoscat illud esse medium efficacem ad illum finem: quod non video, quomodo cognoscat, qui credit suos Doctores esse veraces. sic etiam Vega l. 6. c. 18. in Trid. Herrera de peccatis, de ignorantia, & alii.

Vega l. 6. c. 18. in Trid.

Herrer. de peccatis, de ignorantia.

Si verò aliquis sit in biuio, propter auctoritatem Doctorum pro vtraque parte; & non potest resolvere, ad quid se determinaret, nec haberet alios Doctores quos consuleret, si tunc conciperet homo propter sua peccata ipsum in eas angustias redigi, teneretur quantum in se esset, pœnitentiam agere.

Aug. l. de vit. credendi c. 8.

Hoc contigit D. Augustino l. de vtilitate credendi c. 8. vbi de se refert fuisse valde perplexum inter sententiam Catholicam & hæreticam: tunc inquit. *Nihil aliud restabat, quam vt diuinam prouidentiam lachrymosis vocibus deprecarer.* Et in hoc casu, vera est sententia prima.

Petes adhuc fortiùs, An in nullo casu possit impunè dari ignorantia prauæ dispositionis, seu contraria veritati? sicut in multis est hodie in Anglia, sicut de Purgatorio, de Sacramentis, &c.

Vega l. 6. c. 18. super Trid.

Ad quod non ego, sed doctissimus Vega l. 6. super Trid. c. 18. post alia, dicit. *Ignorantia pura negationis, id est, nescientia de multis veritatibus fidei actu dari potest sine culpa.* Patet. addit. *Et par est ratio de ignorantia prauæ dispositionis, vt vocant.* Hæc ille.

Contra Gers. in lect. 4. de vita spir. & Hugonem 2. de sacrament. p. 6. c. 5.

Vbi expressè egit contra Gersonem in lect. 4. de vita spiritali, & Hugonem 2. de Sacramentis p. 6. c. 5. & alios, qui asserebant Deum non permittiturum vt aliquis decipiatur in aliqua veritate fidei absque sua culpa quod ipse putat falsum, & dicit quod Deus etiam iustis nulloquam hoc priuilegium concessit.

Ego vt ingenuè mecum sensum hac in parte aperiam. Putem quod vulgus committendo se instructioni pastorum, fidentes de eorum scientia & bonitate; si decipiantur: putabitur ignorantia inuincibilis, vel saltem probabilis; sic etiam Herrera. quæ vere excusat à culpa.

Herrera

Immo aliqui Doctores tantum tribuunt instructioni Pastorum, quibus incumbit cura ouium, quod si docerent hic & nunc, Deum velle odio haberi, quod teneatur Parochianus rudis eis credere: quod tamen putò falsum, cum sit contra lumen rationis, & legi naturæ nobis inditæ, & in se repugnans.

Scio equidem D. Thom. quodl. 3. a. 10. insinuare, *D. Thom. quodl. 3.* quod in his quæ pertinent ad fidem aut bonos mores, non excusatur quis ex eo quod sequatur opinionem alicuius Doctoris magnæ authoritatis: aliàs qui secuti sunt errores Arii, excusarentur à peccato. *a. 10.*

Quod etiam puto verum, casu quo viderint illum Doctorem licet celeberrimum, opponere doctrinæ acceptæ ab Ecclesia. & sic concedit Doctor vbi supra, §. *Scot. vbi* Dico tunc ad propositum, *Quod si ab aliquo prædicetur nouum, non statim est ei assentiendum, neque vlla ratione ad hærendum; immò, vt satis colligitur ex dictis eius supra, putat eum peccare credendo. quod vtique certum æstimo.* *sup. §. Di. co tunc etc.*

Sed casus noster in Anglia est; quod communiter recipitur doctrina in multis contraria veritati per Ecclesiam declaratæ, & à Doctoribus magnæ authoritatis edocta; non ab vno, nec paucis, sed ab omnibus, nec in vno loco, sed in omnibus, sub ditione huius imperii. nec videtur vulgò rationabile de eorum probitate dubitare, & interim plerumque sunt veritati in se bene affecti.

Ego, vt dixi ante, omnino iudico, multos ab omni prorsus culpa immunès, & si post baptismum elicuerint actus contritionis, (dilectionis Dei super omnia, quæ etiam secundum Vegam sup. Trid. iustificat) quod est vnicum remedium (deficiente secunda tabula post naufragium) ipsos posse saluari; & pie spero sic actu multos saluos. & hanc æstimo sententiam communiorem Doctorum cum Doctore Subtili, in verbis eius vltimo allatis. quia sic prædicatur communiter in Ecclesiis eorum; & nouum esset si doctrina catholica quoad puncta controuersa prædicaretur.

D. Tho.

Ad illud verò D. Thomæ de sequacibus Arrii, satis ibi respondi: deinde addo non esse omnimodam paritatem rationis; quia ibi turpissime erratum est contra articulum de Trinitate; hic verò non quoad articulos symboli, saltem cum Protestantibus non est lis, licet fortè cum Puritanis, sicut de descensu Christi ad inferos, &c. Sed non cum illis ago. nec inæquali necessitate gradiuntur hi & illi articuli, vt ex supra dictis constat.

Cordub. l.
2. q. 4. fol.
33. col. 1.
§. ad sextum.

Et sanè doctissimus Cordubal. 2. q. 4. fol. 33. col. 1. §. Ad sextum. videtur plane nobiscum sentire, vbi dicit, quod licet sit necessarium habere veram fidem Christi & omnium articulorum: non tamen est aequè necessarium, habere veram fidem explicitam de omnibus articulis fidei, sicut de Christo. Nam in vera fide explicita de Christo, quam homo habet, iam habetur implicita vera fides omnium articulorum fidei, sufficiens ad gratiam & salutem; dum homo faciens quod in se est ad sciendum, errat inuincibiliter circa aliquem articulum fidei, paratus stare doctrine Ecclesie, quando ei innotuerit sufficienter: & ita licet alicui articulo fidei discredat explicitè, credit tamen eidem implicitè in generali fide, vel credulitate quam habet articulorum omnium quos explicitè credit, & tenet Ecclesia. Hæc ille.

Azor.

Azorius etiam Tom. 1. l. 8. Instit. moral. c. 6. §. Nunc quæritur, nobiscum plane sentit; vbi dicit, rusticus & imperitus qui suo Parocho fidem habens, credit aliquid contra articulos fidei, excusatur à peccato. vbi ad idem citat Scotum & Gabrielem 3. d. 25. q. 1.

Scot. &
Gabr. 3. d.
25 q. 1.
Alrif. l. 3
q. 3. &c.

Verum est quidem quod Alrifiodorensis l. 3. q. 3. cum aliquibus aliis, dicit quod si vetula audiat suum Prælatum prædicantem aliquam hæresim, non excusatur per ignorantiam inuincibilem; quia nisi sua culpa obstiterit, potest à Deo de veritate edoceri, faciens quod in se est.

Cordub.

Sed Corduba rectiùs concedit, illam vetulam posse inuincibiliter ignorare & inculpabiliter manere in illa hæresi, & saluari, si cito moriatur, audita illa hæresi; quia

implicite habet fidem de omnibus credendis, dum est parata credere quod credit Ecclesia, cum ei fuerit sufficienter notificatum. Optimè autem stat, scire aliquid in generali & confusè, & ignorare illud in particulari & distinctè. & dicit Doctores in hoc concordare. Addit tamen: libenter concedo quod non stabit diu in illa hæresi, contra quam Ecclesia communiter solet prædicare veritatem, si ipsa vetula faciat quod in se est ad sciendum; quia per prædicatores edocebitur veritatem fidei. Hæc ille. Quod verum æstimo, vbi Ecclesia habet suos prædicatores publice exercentes munia sua; secus hic, vbi si omnino, clanculum agunt. Vnde pari ratione non video, quare non possit accidere quod aliquis toto tempore vitæ maneat inculpabiliter in hæresi & saluari, dum veritati rectè sit affectus, id est, quod crederet singulis articulis, si sufficienter essent ipsi notificati.

Et videtur hodie communis sententia Scholarum & Doctorum, quod laici errantes cum suis Doctoribus seu Pastoribus omnino ab omni culpa excusentur, immo multoties sic materialiter errando, ob actum Christianæ obedientiæ, quam Pastoribus suis debent, merentur: ut videre est apud Valentiam tom. 3. disp. 1. qu. 2. par. 5. & alios, nec differt Angles, 2. d. 2. 2. q. 2. dub. 2. nec Vasquez p. 2. disp. 121.

Hoc dico casu quo nunquam dubitarunt de veracitate suorum Prælatorum; quia tunc recurrendum est ad illud Doctoris Subtil. superius, & omnium Doctorum: *Quod Deus nullum obligat ad impossibile.* Impossibile autem est cogitare de remedio, si nunquam constiterit saltem dubitatiuè de infirmitate. Quod si dubitauerint, indubiè quærendum esset vterius; quod si quærendo, adhuc authoritas & ratio videatur ipsis fortius vrgeri pro suis erroribus, Iudicent doctiores an probabilis ignorantia censenda sit? Præsertim in articulis quorum explicita fides, secundum nullam Doctorum opinionem, sit de necessitate iustificationis vel salutis; sicut in casu.

Valent. 107.
3. disp. 1. q.
qu. 2. p. 5.
Angl. 2.
d. 2. 2. q. 2.
dub. 2.
Vasq. p. 2.
disp. 121.
Scot. ubi
sup.

Caiet. 2. 2. Caietan. etiam ad mentem D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 6.
qu. 2. a. 6. dicit, quod simplices, vt mulieres, idiotæ, & huiusmodi, si seducti errant absque pertinacia in subtilitatibus fidei, non incurrunt hæreticorum culpam aut pœnas. subtilitates autem fidei, intelligit indubiè, illa quæ non sunt expressè in Symbolo & huiusmodi; in quibus est schisma Nostratum.

Huc etiam vel maximè accedit: quod secundum communem Doctorem, propositio fidei, vt obliget ad assensum credibilis, debet fieri euidenter credibilis; secundum illud Sapient. 19. *Qui cito credit, leuis est corde.* Vt ergo credatur sine leuitate, necesse est vt præsupponatur euidentia credibilis. Vt ex Victoria de Indis, declarant posteriores; hoc autem, tam ex parte proponentis quàm ex modo proponendi, id est, debitis motiuis & testimoniis; de quibus pulchrè agit Doctor Subtil. in Prologo, quæst. 2. & vt dicit Soto de natura & gratia l. 2. c. 6. *Fides intellectualis supponit fidem moralem.* Hæc autem non semper in casu nostro occurrunt, & consequenter, non semper obligatio credendi, licet aliquo modo puncta controuersa proponuntur; si non fiat debitis motiuis & circumstantiis.

Ad veritatem hanc amplius declarandum; annectam quid hac in parte doctè asserit Zanches super Decalogum, lib. 2. c. 1. num. 8. loquens de infantibus baptizatis inter hæreticos nutritis. Vbi dicit, hos non teneri statim credere, nec propterea hæretici reputabuntur, donec fidem sibi sufficienter propositam respiciant. *Ipsi enim à concionatoribus, magistris, & ijs, quorum cura subsunt, hereses docentur, & si quid de Catholica fide, vt à veris Christianis traditur, audiunt, id non est nisi intellectum fidei huiusmodi blasphemando, irridendo, ac fortiter impugando; atque proinde tam alieni à vera fide cognoscenda sunt, tantaque illius ignorantia laborant, ac nutriti inter infideles: indigent ergo, hi omnes simili fidei propositione, ac vere infideles, vt heresis ac infidelitatis errores, quos ab infantia imbiberunt, & edocti sunt, deponere teneantur veram amplectendo fidem.* Quid clarius poterat dici pro opinio-

ne nostra? pro qua rectissimè paulò antè citauit doctissimum nostrum à Castro lib. 1. de iusta hæret. punit. c. 8. dub. 2. Simancas de Catholic. Instit. tit. 31. num. 7. Aragon. 2. 2. quæst. 11. art. 2. dub. vlt. licet locuti fuerint solum de infantibus inter infideles nutritis: sed propter paritatem rationis, indubiè nostram sententiam ex suis fundamentis efficaciter probant. vnde secundum omnes hos Doctores, tales non peccant contra fidem, quam inuincibiliter ignorant, nec amittunt habitum fidei, donec sufficienter illis propositam, vt dixi, respuerint.

Quando autem putetur sufficienter proposita fides, adeo vt obligentur ad credendum; fusè à numero 4. ad 8. declarat, sed breuiter in hoc consistit: *Quando scilicet ita fides rationibus, vitæ sanctitate, contrariorum errorum confutatione, signis aliquibus confirmatur, vt prudenter ratio ipsa incipiat præscribere res fidei auditas esse credendas, & contrariam sectam esse falsam.* Optime ibi profequitur, & plane conuenit Tannerus 2. 2. disp. 1. de Fide, Spe, & Charitate, num. 39. quæ omnia mire dilucidant nostram sententiam, & Apostolicos viros, quos Missionarios dicimus, ad studia maiora tam pietatis, quam eruditionis excitant, si villicationis huius rationem iustam de conuersione animarum aliquando reddent.

Faber etiam 4. d. 14. q. 1. disp. 7. num. 40. dicit: *Sim- plices inter infideles vel hereticos, si dubitent aliquando de sua religione, videntur satisfecisse suæ conscientiæ, si adeant eos, quos ipsi & alij sibi proximi communiter putant esse sapientes: si autem illi confirmarint eos in suo errore, videntur excusandi, quia fecerunt, quod potuerunt, & quod sibi videbatur fuisse faciendum in conscientia.* Sic ille.

Sed multo maius est quod dicit Emman. Sa, verbo Fides, in impressione correctiori Romana etiam de illis, qui inter Catholicos educantur; ex quibus multos dicit excusari ob ignorantiam ab explicita cognitione Trinitatis, & Incarnationis, præsertim cum deest qui doceat; hanc enim opinionem cum recitasset, subdit: *Hanc opinionem etsi adhuc solebam improbare, nunc non ausim.* Quid

enim? Dicemusne perire infinitam Christianorum, alioqui bonorum multitudinem, qui de mysterio etiam Trinitatis, & Incarnationis, vix quidquam norunt rectè, Aduerte, Immo peruersè sentiunt, si interrogas: potius crediderim condemnari istorum Pastores ob negligentiam docendi. Vbi citat Rozellam apud Syluestrum, & Medinam: fere, dicit idem tenere.

Bannes 2.
2. q. 2. a. 3. Quam sententiam licet Bannes, 2. 2. quæst. 2. art. 3. vocat erroneam: non tamen tangit nostrum casum, vbi non de articulis Trinitatis & Incarnationis erratur, vt notum est. Vides etiam quid Emman. Sa, à fortiori ad Nostrates dixisset, ob defectum Doctorum rectè instruentium.

valent.
Analys.
fidei Ca-
sh. l. 2. c. 3.
lit. D. Tandem Valentia in Analyfi fidei Catholicæ, l. 2. c. 3. lit. D. tenet nostram sententiam in terminis. vbi sic loquitur: *Iam verò quod per inuincibilem ignorantiam aliqui quandoque excusentur, fieri quidem potest: vt autem ita excusentur omnes, non est vlllo modo probabile. Quis enim credat omnino nullos esse ex omnibus sectarijs, qui & idoneo iudicio pradii sint, & opportunitatem aliquando habeant, ad cognoscendum veritatem, &c. Quæ est ipsissima doctrina nostra; vt ex dictis patet.*

Aug. ep.
162. ad
Donat. Nec longe differt August. epist. 162. ad Donatistas: *Qui sententiam suam quamuis falsam, atque peruersam, nulla pertinaci animositate defendit; præsertim quam non audacia præsumptionis sue pepererit, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus accepit, querit autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi paratus, cum inuenerit, nequaquam est inter hæreticos deputandus. Per hæreticum autem putem Augustinum intelligere quemcumque ob defectum fidei mortaliter peccantem. quod est propositum.*

Hæc nostra opinio confirmabitur ex dictis quæstionis sequentis.



PROBLEMA

DECIMUMSEXTUM.

*An potest inculpabiliter ignorari lex
naturæ & Decalogi.*

In hac quæstione, sicut in omnibus aliis: ubi veritas non est manifesta in scripturis, vel Ecclesiæ definitionibus; est varietas opinionum inter viros doctos.

Magnus Alensis doctissimus compatriota noster 2. p. *Alens. 2.*
q. 113. de peccato, de Ignorantia cum aliis post eum, *p. q. 113.*
æstimat nullam dari inuincibilem & inexcusabilem ignorantiam eorum quæ sunt iuris naturalis, præsertim propter illud Psal. 4. *Psal. 4.*
Signatum est super nos lumen vultus tui. & illud ad Rom. 2. *Rom. 2.*
Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Si scriptum ibi, ergo non potest ignorari.

Communior tamen & recepta sententia post Adrianum quodl. 1. a. 3. ad tertium, & alibi est nostri Cordubæ l. 2. quæst. Theol. q. 4. propositione prima & sequentibus, & nostri Herreræ tract. de peccat. disp. de Ignorantia, (ubi in terminis & fusè hanc quæstionem tractat,) & aliorum communiter, quod potest dari ignorantia inuincibilis respectu legis naturæ & decalogi.

Adquam opinionem rectè intelligendam,

Notandum cum ipso, quod triplicia sint præcepta iuris naturæ: quædam sunt prima principia, quæ se ha-

Adrian. quodl. 1. a. 3. ad 3. Cord. l. 2. Theol. 4. propof. 1. Herrev. tract. de peccat. disp. de igner.

bent in practicis sicut prima principia in speculatiuis. *Vi bonum est prosequendum, malum est fugiendum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* & hæc ab Aristotele 3. *Arist. 3. Ethic. c. 1.* vocantur *uniuersalia*. Vbi dicit quod *Ignorantia uniuersalium non est inuita, sed voluntaria*, & sunt per se nota. vnde de his: In omni sententia non datur ignorantia inuincibilis.

Secundò sunt conclusiones quæ statim ex talibus principiis per discursum inferuntur; & huius generis æstimantur communiter præcepta Decalogi, quoad substantiam scilicet præceptorum. sicut verbi gratiâ, ex hoc principio, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* statim & facillimè infertur: sed ego nolo alter me interficiat, ergo nec licet mihi alterum occidere. Vbi facilis valde discursus; & de his militat sententiæ Cordubæ & reliquorum; quod ad tempus potest esse ignorantia inuincibilis: ex nimia scil. habitudine intellectus. sic Germani, vt in Commentariis Cæsaris de bello Gallico, putabant furtum licere. Et probabilius sane videtur ex communi errore patriæ potuisse valde multos simplices & hebetiores excusari.

Comment. Casar. de bello Gall.

Cord. Hieron. l. 1. ep. p. 1. contra Iovin. ep. 6. c. 36. Cord. Herrera.

Et vt notat Corduba: Hieronymus lib. 1. epist. par. 1. contra Iouinianum epist. 6. cap. 36. refert apud multas nationes licuisse multa genera homicidiorum. Ignorantia tamen horum, vt rectè Corduba & Herrera, non est frequens in homine cognoscente Deum, & habente vsum rationis.

Ipse tamen dicit, quod si quis putet furtum licere, quia vidit communiter sic existimari, & maiores quos interroget, sic affirmare: ipse ignorat inuincibiliter.

Tertio sunt conclusiones remotiores, quæ non adeo facilè nec immediatè deducuntur ex illis principiis per se notis: & huius generis sunt præcepta Decalogi, non absolute, seu secundum substantiam actus sumpta: sed vt dicit Corduba propositione prima, quando cum quibusdam circumstantiis talia præcepta sumuntur; sicut verbi gratiâ, mentiri pro saluanda vita. quod tenuit

Cord. pro- p. 1.

perspi-

perspicacissimus Martinus de Magistris quæst. 5. de Mar- Martin. de
tyrio & Cassianus, cum aliis Patribus quos collatione 17. Magist. 9.
ad 20. enumerat: sic etiam Bodinus de republ. & alii, 5. de Mar-
furari ad subueniendum pauperibus, furari ab inimico, tyrio Cass-
&c. & multa apud eum huius generis præcepta reperies, Bodin. de
aliquando ex communi errore licita. rep. Græ.

De his ergo dicunt Doctores prædicti, quod diu & communiter potest esse ignorantia inuincibilis; & profecto manifestum est doctos viros de multis huiusmodi præceptis dubitare, immò planè decipi.

Nec mirum; quia indigent magno discursu, ad quem non attingunt, immò nec doctissimi aliquando, sicut constat, de præcepto indissolubilitatis matrimonii & simplicis fornicationis, &c. De homicidio etiam in voluntate saltem; laudatum reperiunt in sacra pagina Genes. 22. de Abraham in filii sui immolatione: de furto Exod. 11. 12. vbi præceptum est filiis Israël vt spoliarent Genes. 2.
Ægyptios bonis suis: de mœchari, Osee 1. *Fac filios for- Exod. 11.*
nicationum; licet quidem facta fuerint huiusmodi ex dis- 12.
pensatione Dei, tamen vbi paritas rationis & motiui esset in obiecto, videretur posse extendi dispensatio illa, quod tamen falsum est. Osea 1.

Ex hoc triplici genere præceptorum legis naturalis, videtur vtramque sententiam posse conciliari.

Nec illi textus Scripturæ obuiant huic doctrinæ, vt patet ex dictis, quia certum est legem naturæ secundum prima principia secundi generis, communiter esse scriptam in cordibus hominum; quia per lumen rationis ipsi inditum facile deducuntur. vt dictum est.

Potest tamen his assignari tertia opinio, quæ est Doctoris Subtilis 3. d. 37. quæst. vnica, vbi dicit: Aliquid esse de lege naturæ scilicet strictè loquendo solum dupliciter. Scot. 3. d.
37. qu. vna.

Primò, vt prima principia practica nota ex terminis: & dicit, quod in iis, nec Deus potest dispensare, & consequenter nec per vllam ignorantiam, licere.

Secundò, vt conclusiones euidenter & necessariò ex iis deductæ, quales sunt duo priora præcepta primæ Tabulæ, sumendo ea negatiuè; verbi gratiâ, primum, *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, id est, *Non facies Deo tuo irreuerentiam*; & in iis nec Deus potest dispensare.

Scet.

De tertio præcepto est dubium apud Doctorem ibi.

Tertiò largius loquendo, de lege naturæ, tunc quodcumque dicitur, quod est multum consonum illi legi, licet non sequatur necessariò ex principiis practicis, quæ nota sunt ex terminis.

Et hoc modo dicit, certum esse omnia præcepta etiam secundæ tabulæ esse de lege naturæ, quia eorum rectitudo valde consonat primis principiis practicis necessariò notis.

In his igitur Deus potest dispensare propriè, id est, facere licita, secundum eum ibi.

Et in his putem ad mentem Doctoris, posse dari ignorantiam inuincibilem. Et ratio mea ex Doctore est: Quia violatio eorum non continet malitiam necessariò auertentem ab vltimo fine: potest enim faciens contra præcepta ista, non concipere se auerti ab eo; sic ille.

idem.

Et dabat rationem, quia in affirmatiuis eorū, si bonum istud non esset præceptum, posset finis vltimus amari & attingi: & si illud malum non esset prohibitum, sicut in negatiuis, staret cum eo, acquisitio finis vltimi.

Ex quo infero; ergo potest ignorari, illa esse peccata, vel esse auersua ab vltimo fine; cum non necessariò annectantur illorum violatio & finis vltimi auersio.

Hanc iudico mentem eius, & necessariò ex eius principiis sequi; nec solum ad breue, sed diu posse ignorari à cognoscente Deum, & habente vsum rationis.

Quod verò dixi supersius esse mentem Doctoris; ex eo quòd Deus non posset dispensare in præceptis primæ Tabulæ, ergo nec licere ignorari.

Viderur omnino sequi ex fundamento eius, probat enim quòd Deus non potest dispensare, quia in his quæ ibi prohibentur, est malitia necessaria auertens à fine vl-


timo, adeo vt si non prohiberentur, tamen cum eorum violatione, non staret acquisitio finis vltimi, verbi gratiâ, Deus non potest attingi ab eum odio habente, licet nulla esset lex: non enim potest concipi, Deus odio habetur & Deus amatur, (per dilectionem autem Deo fruimur in beatitudine) cum habeant contrarietatem naturalem: odium enim Dei habet contrarietatem naturalem cum lege naturæ æterna, & cum diuinis attributis. ex quo sequitur esse impossibile, hominem habentem vsum rationis posse putare, quod liceret Deum odio habere vel ei irreuerentiam exhibere, vel alium præter eum colere: cum plane sit implicancia in ipso conceptu, modo cognouerit Deum, & in quo consistat beatitudo.

Addo, nec putem quoad hanc partem, hanc sententiam differre à duabus prioribus. de prima patet; de secunda etiam sententia, meo videri non est differentia: quia dant instantias solum & semper de præceptis secundæ tabulæ: non autem negant de duobus primis primæ tabulæ: præsertim negatiuè sumendo; prout Doctor.

Quoad alteram verò partem de ignorantia secundæ tabulæ, plane coincidunt; nisi dixeris, vt etiam notauimus, ex principiis Doctoris, posse diutius dari ignorantiam eorum.

Applica dicta in hac quæstione; & vide quid sequatur ad Confirmationem solutionis nostræ in priori.

Has quæstiones de ignorantia apposui, & fusiùs examinaui, propter multos, qui terrentur à receptione fidei Catholicæ, dum à nostris audiunt, parentes suos extra Ecclesiam defunctos, necessario damnari; affectus enim in parentes intimus est, nec talia facillè patitur. vnde præstaret abstinere; cum non adeo certum sit, si melioris vitæ & contritionis indicia præstiterint, & veritati bene fuerint affecti. vt de plerisque speramus.



PROBLEMA

DECIMVMSEPTIMVM.

De Iustificatione.

SEd ante omnia de hac materia, quia subinde interuenit occasio loquendi de merito, sit,



PROBLEMA

DECIMVM OCTAVVM.

De Merito.

An detur, & quotuplex sit Meritum.

Definitio meriti
Veg. q. 4. QVoad rationem meriti, succincte definitur à Vega q. 4. *Meritum est actio libera, acceptata ad aliquod premium.* Hæc quidem definitio explicat rationem meriti vt sic; prout est quid superius commune merito de condigno & congruo; non tamen dat rationem vnus vel alterius, nec distinguit inter illa; deberet ergo addi pro explicatione condigni: *Meritum de condigno est actio libera ab homine in gratia elicita, qua ex iustitia acceptatur ad premium &c. De congruo est actio libera ex congruitate quadam acceptata ad premium, &c.*

Hic quidem controuertunt Doctores Scholastici;

an ad rationem formalem meriti, ingrediatur acceptatio diuina: vel, an sufficiat elici ab homine iusto.

D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 3. cum sequentibus tenet, quod ratio præcisa cur actus est meritorius de condigno est, quia elicitur à gratia, quâ mediante Spiritus sanctus mouet liberum arbitrium ad operandum actum illum; quia scil. per gratiam homo fit filius adoptiuus, cui de iure debetur hæreditas, nec potest eâ priuari sine iniustitia. Hoc est vnicum fundamentum huius sententiæ.

D. Thom. 1. 2. q. 114. 4. 3.

Altisiodorensis l. 3. tract. 12. c. 1. q. 2. & c. 2. q. 1. vult meritum, prius & principalius à fide quam à charitate pendere. sed est contra communem Doctorum, nec vlli fundamento nititur, nisi dixeris remote, in quantum fides necessario præsupponitur. quod nihil est dictu. Vega etiam in opusc. q. 3. §. Et de hoc, dicit non improbabilem esse opinionem tenentium fidem esse primam & potissimam causam iustificationis. quod videtur coincidere cum Altisiodorensi.

Altisiod. l. 3. tract. 12. c. 1. q. 2. & c. 2. q. 1

Veg. opusc. q. 3. §. & de hoc.

Scotus verò 1. d. 17. q. 1. in corpore articuli primi, vult quod actus non sit meritorius præcisè, quia proueniens ex gratia, sed quia acceptatur à Deo tanquam dignus vita æterna: acceptatur autem, non tantum quia prouenit à gratia, sed quia actus est talis, quod ad ipsum producendum inclinatur habitus gratiæ: gratia enim est habitus operatiuus, & inclinans ad producendum huiusmodi actus. & hinc à merito excluduntur actus indifferentes & peccata venialia, licet fiant ab homine iusto.

Scot. 1. d. 17 q. 1. &c.

Notandum etiam, quod illud (de iustitia) non importat iustitiam strictè sumptam, quia vt sic secundum Doctorem 3. d. 21. q. vnica, vt etiam rectè notauit Vasquez 2. p. disp. 213. c. 4. non interuenit talis iustitia inter Deum & hominem, scil. commutatiua; quia non æqualitas simpliciter, seu ex natura extremorum. rectius ergo vocatur iustitia secundum similitudinem, sicut illa quæ est inter Dominum & seruum, vt ait

Idem 3. d. 21. q. vnica Vasquez 2. p. disp. 213. c. 4.

scot. 4. d.
46. q. 1.
C. 6.

Doct̃or. 4. d. 46. q. 1. in tota quæstione & præsertim in solutione i. argumenti principalis. Potest etiam vocari iustitia ex suppositione scil. decreti seu promissi diuini de acceptatione ad tantum præmium; & in hoc sensu, aliquando etiam à Doct̃ore vocatur, de rigore iustitiæ, quia scil. ex vi talis decreti iam valet ad tale præmium. Non igitur ex natura actus oritur obligatio ad præmium, quia Deus naturaliter nullam habet obligationem ad retribuendum aliquid creaturæ; Deus enim respicit creaturam contingenter, vt apud omnes Doct̃ores in materia de Prouidentia patet. Ergo debet oriri ex liberalitate diuina, id est, quia Deus iniuit pactum, vbi se obligauit ad retribuendum: facta autem pactio, nunc est debitum de iustitia.

Meritum quidem Christi potest dici meritum ex iustitia, ratione personæ offerentis, & sic non innitebatur gratiæ acceptantis, sed dignitati suæ personæ. secus autem valde est in nobis, vbi ex parte personæ & rei oblata, summa paupertas, si excludas Dei promissionem acceptationis, vel pactioem retributionis.

Tota autem pactio nihil aliud est quam acceptatio illius actus pro digno talis mercedis. vnde constat meritum de condigno essentialiter consistere in acceptatione diuina actus nostri. hoc egregie declarat Doct̃or Subtilis 1. d. 17. q. 1. in corpore articuli primi.

Idem 1. d.
17. q. 1.

Intellige de acceptatione æterna, quâ Deus ab æterno præuidens hunc actum ex talibus eliciendum, voluit ipsum esse ordinatum ad præmium, & ita actu voluntatis suæ ordinando ad præmium voluit ipsum esse meritorium, qui secundum se consideratus absque tali acceptatione diuina secundum strictam iustitiam non fuisset dignus tali præmio ex intrinseca bonitate, quam habet ex suis principiis.

Doct̃or his verbis, vult illam acceptationem, seu ordinationem Dei, esse principalem rationem meriti; concursus vero gratiæ esse conditionem necessariò requisitam.

Et certè videtur patere, quia posita acceptatione diuina æterna, actus est meritorius, etiam sine gratia: sicut de potètia absoluta potest fieri, quod illà ablata, manente gratia non sit meritorius. Immo Holcoth. i. sentent. vt eum citat Mirand. in Apol. de libertate credendi, de facto ponit totam rationem meriti in acceptatione, nec requirit gratiam vel libertatem. Quæ suppositio, licet secundum leges positas à diuina prouidentia sit impossibilis, valet tamen optime, ad hoc vt cognoscatur vera & formalis causa meriti: sicut dicimus, si homo non esset animal, sed tantum esset rationalis, sequeretur hominem distingui à bruto; nam si per impossibile auferrentur omnia ab aliqua re tam essentialia quam accidentalialia, & solum relinqueretur id quod est per se, & propria causa alicuius effectus, sequeretur effectus. vt rectè Smigletius disput. 13. quæst. 10. & est tritus hic modus argumentandi in scholis, & præsertim apud Doctorem.

Smiglet.
disp. 13.
q. 10.

Probatur à Doctore dupliciter.

Primò, si actus esset meritorius tantum ex bonitate quam habet ex principiis intrinsecis agentis, scilicet, ex gratia & voluntate, sequeretur, quod Deus non posset ei, qui sic operatur, non retribuere beatitudinem; nam esset iniustum detinere: quod est falsum. quia si secludatur acceptatio diuina, Deus non obligatur, aliàs pura creatura posset mereri vitam æternam de condigno ex virtute propria, quia tam homo quàm gratia sunt creaturæ.

Probatur secundo, Deus præmiat vltra condignum semper: at si actus ex principiis intrinsecis esset complete meritorius: Deus non præmiaret vltra condignum, ergo habet hoc ex acceptatione diuina.

Dices si actus meritorius est talis solum ex promissione diuina seu eius acceptatione, ergo non ex iustitia, sed ex fidelitate præmiabitur, quod est contra definitionem meriti de condigno.

Respondeo, quod adimpletio promissionis nudæ,

est solum actus fidelitatis, vt rectè tangitur in argumen-
to: Adimpletio vero promissionis, quæ habet naturam
pacti, id est, vbi à promissario exigitur conditio, sicut
inter dominum & seruum, vbi dominus promittit sti-
pendium ex conditione seruitutis, adimpletio illius pro-
missi est ex iustitia, sic in casu.

Dixi, quæ habet naturam pacti, &c. & rectè, quia
non omnis promissio conditionata inducit titulum iusti-
tiæ promissario, sicut in Scripturis, dum promittitur
peccatoribus remissio si poenituerint, collatio remissio-
nis vel primæ gratiæ, non est ex iustitia, secundum om-
nes, quia requiritur solùm vt dispositio ad illam, non
vt opus sufficiens ad fundandam iustitiam. Scio alios
velle in hoc casu non esse promissionem, sed certam as-
sertionem remissionis futuræ. Sed non video quid pro-
missio superaddat assertioni diuinæ in se: iustitia ergo
oritur solum ex conditione quæ exigit quandam condi-
gnitatem operis, non solum aliqualem decentiam operis
vel operantis. Et sic solemniter determinatum est
hoc anno Cantabrigiæ in comitiis Doctoralibus dari
meritum; scilicet; *Ex pacto diuino.*

Summa igitur est, quod actus meus dicitur merito-
rius, quia elicitus, seu imperatus à gratia, ex pactio-
ne diuina acceptatus ad præmium: vnde ipsa acceptatio
est intrinseca actui; quia Deus mecum producendo
per specialem concursum, acceptat eum, scilicet pro-
ducit ad finem præmii: & sic actus ille adæquate con-
sideratus secundum illum, inuoluit illam acceptatio-
nem: Deus enim ab æterno ordinauit huiusmodi actus
esse dignos vitæ æternæ, quando eliciuntur à gratia ha-
bituali, non igitur tota ratio meriti à gratia ipsa.

Trid: sess.

6. c. 16.

sess. 14. c. 8

Necessitas autem acceptationis ad meritum patet in
Concilio Trid. sess. 6. c. 16. sess. 14. c. 8. vbi opera nostra,
meritoria vitæ æternæ asserit, quia à Patre acceptantur per
Christum.

Vasq. &

Suar. 3. p.

disp. 39.

sess. 1.

Quod Vasquez & Suarez, 3. par. disp. 39. sect. 1. affe-
runt contra hanc doctrinam Doctoris, non vrget; quia
proue-

prouenit ex falsa intellectuione huius opinionis: & facile soluitur ex dictis.

Et certè hoc modo exponendo rationem meriti, cessat altercatio inter nos & *Confessionem Anglicam*, quoad *Conf. Anglic. a. 10.* rem art. 10. per totum, & est communis omnium Protestantium Doctorum, vt postea patebit.

Non moueo lites de nomine: scio enim viros Theologos Eckium, Marsilium, apud Vegam vbi suprà, & Belarminum, & alios negare omne meritum de condigno: licet concedant de digno, respectu beatitudinis, caste admodum loquuntur: timuerunt vtique tribuere condignitatem operibus nostris respectu tantæ fœlicitatis: & meritò secundum diuum Paulum, quia vt ex illo dixit Doctor Subt. suprà: *Non sunt condignæ paffiones huius temporis, &c.* *Eck. Marsil. apud Veg. vbi sup. Bell. &c.* *Scot. sup. ex D. Paris.*

Sed attende ad rationem Meriti iam explicatam ad mentem eius, & euanesceat ille timor. Numquam scilicet condignæ sunt, si excludas completiuam rationem condignitatis, scilicet acceptationem diuinam: Iuant ergo Doctores hi nostram sententiam; vnde merito Vellofillus eorum sententiam dicit coincidere cum Doctoris Subtil. opinione; sic ille tom. 8. D. Aug. ad 13. quæsitum. *Vellof. tom. 8. D. Aug. ad 13. quæsitum.*

Nec me latet grauissimum popularem nostrum Vvaldensem, lib. de Sacramentalibus tit. primo, distinctionem meriti, de condigno & congruo subrisisse: immo *Vval. l. de sacrament. tit. 1. &c.* *saniozem Theologum, & fideliozem Catholicum & Scripturis sanctis magis concordem, dicat se reputare eum, qui negaret simpliciter hominem mereri gratiam vel gloriam, & concederet cum limitatione Apostolorum & Scripturarum, hominem non mereri regnum cœlorum, nisi ex gratia & voluntate largitoris, & Deum non attendere meritum nostrum, sed suam gratiam & misericordiam.* Hæc ille. quem puto conuenire cum doctrina data Doctoris Subtilis qui (vt audistis) parrum tribuit nostris meritis. sed valde innititur misericordiæ diuinæ, in materia de merito: Secundum igitur Vvaldens. non dicendum, nos mereri gratiam vel gloriam, simpliciter,

sed adiungendum, seu potius modificandum, dicendo: *Ex gratia Dei, ex misericordia Dei, &c.* Intelligit vero per gratiam & misericordiam, acceptationem illam æternam, cui tribuit Doctor Subtilis rationem meriti de principali: non autem gratiam illam, quæ est qualitas in nobis; illa enim non vocatur misericordia Dei, quæ tenet se ex parte Dei, & non est in nobis.

Scot.

Arim. 1. Ariminensis etiam 1. d. 17. q. 1. a. 2. dicit, nullum esse meritum condignum beatitudinis, sed de congruo.
d. 17. q. 1. a. 2.
Durand. 1. Durandus 1. d. 27. q. 2. tenet nullum esse meritum de condigno apud Deum, nisi largo modo. Marsilius in 2. d. 27. Brugensis in Psal. 35. Eckius in Centuriis de Præ-
Mars. 2. d. 27. Brug. dest. tribuitur etiam Cusano, nec longe differt Staple-
in Psal. 35. tonus nostras; de qua re non pœnitebit si legeris Suarez
Eck. Cent. in 3. p. D. Thom. disp. 10. sect. 7. q. 2.

de Præd. Sed certè non differunt nisi in castigatori phrasi; scil. *Cusan.* excludendo æqualitatem operis ad præmium, nisi ele-
Stapl. uetur per acceptationem diuinam, quæ est ipsa doctrina
Suar. 3. p. Scoti. Sunt ergo manifestè omnes à parte nostræ fen-
D. Thom. ditentia.
disp. 10.

sect. 7. q. 2. Et vt notauante, in hac latitudine locutionis, cla-
Conf. rissime conuenit Confessio Anglicana; vt patebit quæstio-
Angl. ne sequenti. vbi ipsa verba Confessionis referam & exponam.

Immò quoad rem, est de fide tam apud ipsos, quam
Araus. 2. nos, ex Araus. 2. can. 18. *Debetur merces bonis operibus si*
c. 18. *fiant, sed gratia quæ non debetur, præcedit vt fiant.* Et Pa-
 tres ex Aug. desumpserunt; qui sermone 16. de verbis
 Apolloli dicit: *In his quæ iam habemus, laudemus Deum*
largitorem: in his quæ nondum habemus, teneamus debito-
rem. Debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo,
sed quod ei placuit promittendo.

Aug. in Idem etiam clarissime Aug. sup. Psal. 83. explicans il-
Psal. 83. la verba Apostoli. *De reliquo reposita est mihi corona iusti-*
tia, &c. Quid tibi reddet, nisi quod tibi debet? unde tibi
debet? quid ei dedisti? quis prior dedit illi, & retribuitur ei?
debitorem Dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed promit-

tendo; non ei dicitur, Redde quod accepisti; sed, redde quod promisisti.

Et ex hoc patet quo sensu Patres in Arauf. nominarunt (*merces*) quia non quæcunque, sed merces debita, quia *debetur merces*, quæ est ipsissima ratio meriti.

Alibi etiam ad idem, Augustinus frequenter, sed in re tam clara non hærendum.

Valde etiam fauet sententiæ nostræ: quia rationem debiti ex parte Dei, & consequenter meriti ex parte nostri, tribuit promissioni diuinæ, *quia quod ei placet, promittendo*. quod idem est cum acceptatione diuina & æterna, quam posuit Doctor.

Huic etiam optimè conueniunt plura loca Augustini ferm. 67. in Cant. *Nolo merium quod gratiam excludat*, id est, non gratiam in nobis in hærentem, sed Dei acceptantem. ad idem etiam illud l. 9. Confessionum c. 13.

Aug. ser.
67. in
Cant.

Væ laudabili vitæ beatitudinem, si remota misericordia discutias eam: quæ est ipsissima doctrina nostra; non enim aliud excludit meritum, nisi illud, quod excludit gratiam & acceptationem diuinam: cui etiam conforme est illud l. 9. Confes. c. ult.

Idem l. 6.
Confes.
c. 13.

Quisquis tibi numerat merita sua, quid tibi numerat, nisi munera tua? Vtique munera Dei sunt, cum formaliter merita sunt propter acceptationem diuinam. Huiusmodi sunt plures textus passim apud illum, qui planè confirmant doctrinam nostram: nec aliquid euincunt pro errore Caluini: vnde in Epist. 105. ad Sixtum, quærit, Nullane igitur sunt merita iustorum? & sibi respondens ait, sunt plane; quia iusti sunt, sed vt iusti fierent, merita non fuerunt: & de Præd. sanct. c. 12.

etiam l. 9.
Conf. c.
ult.

Idem ep.
105. ad
Sixt.


Pro bonis meritis in resurrectione nouissima, inquit recipienda esse præmia, & pro malis horrenda supplicia. Sed clarius 14. de Trin. c. 19. *vitam æternam pro meritis precedentibus reddi, & merito iustitiæ tanquam stipendium sicut mortem reddi merito peccati*. Ecce vbi præmium & supplicium æquè respondere meritis apertè asserit: dum Caluinistæ de supplicio hoc ex Augustino astruant: idem de vita æterna ex eodem astruendum habent.

Et de Præd.
dest. sanct.
c. 12.
Idem 14.
de Trin.
c. 19.

Sciō etiam Sotum 4. d. 14. q. 2. a. 5. & l. 2. de natura & gratia c. 4. negare dari vllum meritum de congruo; & 5. & l. de dicit, quod opera nostra, licet habeant auxilium speciale; in quantum tamen præcedunt gratiam gratum facientem, nullam omnino habere rationem meriti, & dicit sanctos Patres non cognouisse illud meritum de congruo. ille autem concedit meritum de condigno, scil. post iustificationem, vt patet in locis citatis: quod est præsentis instituti, de quo solum inter nos & Protestantes Anglos hæctenus, (si vlla,) fuit lis.

Sot. 4. d.
14. q. 2. a.
5. & l. de
natura &
gra. c. 4.
Sotol. 1. de
natura &
gra. c. 16.

Quoad vero suam opinionem de merito de congruo præcedentem gratiam iustificantem, fortè non erit solus, prout quæstione sequenti examinabitur.



PROBLEMA

DECIMUMNONVM.

Quid sit auxilium speciale.

Necessario interferendum; quid sit auxilium speciale, quia sæpe in materia de iustificatione occurrit vsus eius.

Auxilium igitur speciale, est circa opera non secundum ordinem naturæ facienda. & per hoc habet distinguere à generali concursu Dei, qui est volitio Dei, concurrens cum omnibus causis secundis in actibus naturæ suæ proportionatis, scil. naturalibus.

Sotol. 1. de
Natu. &
Gra. c. 16.

Aliqui post Soto lib. 1. de Natura & Gratia 16. tenent auxilium speciale esse actum vitalem nostræ voluntatis, præcedentem nostræ rationis vsus, nempe prout est à Deo, ne gratia videatur esse à nobis. Fundamentum præcipuum est, quia auxilium speciale saltem præue-

nientis gratiæ (& certè par vel maior est ratio de auxiliis cæteris) vocatur motio voluntatis vel illuminatio intellectus nostri &c. quæ vix intelligi possunt sine actu à nobis elicitò . sed re altius perpenſa , aliter dicendum iudico .

Speciale auxilium igitur in se, est diuina volitio , quâ scil. Deus vult hominem vel Angelum circa spiritualia operari. non est igitur aliqua entitas in nobis, sed volitio Dei volens agere nobiscum.

Si autem petatur quid sit ipse concursus seu specialis seu generalis in se seu quoad substantiam; potest dici esse diuinam volitionem, quæ vult creaturam circa naturalia vel supernaturalia operari: non vero esse aliquam entitatem in nobis. sed vt dixi, ipsam volitionem Dei volentem agere nobiscum, quantum ab intrinseco.

Vnde notandum quod hi duo concursus, seu auxilia, tam generalis prouidentia, quàm specialis, quoad substantiam & entitatem, sunt idem auxilium, licet differunt, quoad terminos, vt notauit. Et hoc auxilium speciale, à Doctore frequenter vocatur auxilium generale, seu influenza communis, verbi gratiâ 1. d. 17. & 4. d. 14. q. 2. & alibi: quia scil. datur omnibus operantibus supernaturaliter, sicut prior concursus omnibus causis secundis in actibus naturalibus. aliàs semper agnoscit Deum duas prouidentias circa opera hominum habere, vt patet quodl. 21. §. Secundum fidem Catholicam. & alibi. vt noster notauit Faber 4. d. 14. disp. 24. auxilium verò speciale in aliquo sensu agnoscit, scil. quod specialibus personis conceditur, sicut donum confirmationis, & perseuerantiæ, quod etiam Trid. vocat speciale: sed hoc non derogat priori eius doctrinæ de communi auxilio. Dixi superius esse ipsam volitionem Dei, & non entitatem in nobis.

Scot. 1. d. 17. & 4. d. 14. q. 2

Idē quodl. 21. §. Secundum. Faber 4. d. 14. disput. 14. Trid.


Sed quia difficulter intelligitur effectus transiens, sicut est actus à Deo & à me productus, respectu Dei, quia extra Deum, nisi etiam actionem productiuam, dixeris transeuntem.

Hinc multi Theologi tenent actionem Dei esse suomodo transeuntem, dum ad extra operatur, seu concurrat cum causis secundis, & consequenter actionem eius recipi in termino: alii vero dicunt Dei potentiam esse principium effectus, & non actionis; ut euitarent transeuntiam eius; sic D. Thom. 1. par. quæst. 45. Alii vero quod actio eius sit eminenter tam immanens quam transeuns, propriè tamen loquendo ad sensum Philosophi, nec immanens nec transeuns, sic noster Denis in sua resolutione. Ego vero implicare iudico, quod aliquod sit vere actum à Deo, & extra Deum, (sicut in omni actione Dei ad extra siue actione creatiua, productiua, vel concursiua cum causis secundis) sine vera actione eius. Actio igitur Dei est vera actio transeuns, & recepta in termino, & consequenter res distincta à Deo; nec est ab æterno, quia tunc terminus eius fuisset ab æterno: sed est hodie, & non heri, sine vlla prorsus mutatione in Deo, immo nec rationis, ut tenet Doctor, sed in termino seu passo. Nec hoc est contra doctrinam superius traditam, vbi dixi auxilium Dei quoad substantiam, esse ipsam Dei volitionem, ut speculanti facile patet. Denominatur autem extrinsecè creator, seu agens respectu talis actionis, propter actionem subiectatam in motu, respiciente terminum à quo, non autem in seipso: sicut omnis causa agit per suum absolutum, & per idem terminat relationem oppositam. Deo igitur competit vera actio physica, licet non prædicamentalis (licet oppositum teneat Arriba), quia hæc est relatio realis accidentalis, cuius Deus est incapax: si autem Deo compereret, in ipso subiectaretur; ut vbique tenet schola nostra: actio vero physice sumpta, secus se habet. ut dictum est.

Huic nostræ doctrinæ ex parte assentit Molina 1. p. q. 45. a. 3. dicendo: *Iuxta hanc sententiam dicendum est, creationem qua Deus res creatas producit, non esse quidem mutationem proprie loquendo, eo quod proprie non sit inter duos terminos, neque in ea detur subiectum, quod de uno termi-*

no transeat in alium; qua duo, mutatio proprie dicta requirit: esse tamen influxum realem & absolutum, quo creatura ex tempore manant à Deo, eundemque influxum habere realem identitatem cum creaturis productis, verum ab eis formaliter distingui. Adde tamen influxum, ut est Dei, per eum tanquam per actionem dantis esse rebus creatis, esse veram actionem de predicamento actionis, existentem in creaturis ipsis, tanquam in subiecto, denominantemque Deum ex tempore, denominatione extrinseca, creantem & producentem creaturas; eundem vero influxum ut eo creatura recipiunt esse, passivaeque producuntur in rerum natura, esse veram passionem de predicamento passionis, distinctam formaliter à creatione activa, & à termino producto, nempe à creatura: quo pacto spectata, creatio passiva dicitur. His verbis declarat transeuntiam actionis Dei ad extra.

Sed non est praesentis instituti hæc exactius examinare. Quod ad intellectionem praesentis materiae, occurrit, dixi.



PROBLEMA

VIGESIMVM.

Quæstio.

An potest dari aliquod meritum saltem de congruo, seu dispositio ad iustificationem.

VT certa ab incertis excutiamus, Aduertendum quod si intelligatur titulus de actibus liberi Arbitrii, sine auxilio speciali ex parte

D. Bonau.
2. d. 28.
art. 2.

Dei, quasi nos ex nobis possimus disponere, seu mereri de congruo iustificationem, tunc manifesta esset hæresis Pelagianorum. vt rectè notauit D. Bonauent.

Araus. 2.
c. 4.

2. d. 28. art. 2. in fine. vbi dicit Pelagium dupliciter errasse. Primò, quod posuerit primam gratiam cadere sub merito. Secundò, quod dixerit propriis viribus liberi Arbitrii posse nos ad gratiam disponere. cuius oppositum expresse definitur in Araus. 2. can. 4. & est Augustini lib. contra Iulianum cap. 3. & alibi sexcenties. Etiam Fulgentii libro de Fide ad Petrum cap. 21.

Aug. lib.
cont. Iul.
c. 3.

Fulg. l. de
Fide ad
Petr.

Trid. sess. 6

c. 3.

Conf. An-
gl.

Duran. 1.

sent. qu. 6.

Prø. a. 3.

2. d. 28

9. 5.

Gabr 2. d.

eadem q. 1

a. 1.

& omnium sanctorum Patrum, & denique Trident. sess. 6. c. 3. *Si quis dixerit sine praueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere, posse sicut oportet, vt iustificationis gratia conferatur, Anathema sit.*

Hæc est Fides antiqua, & nostra; hæc etiam Confessio Anglica, fusè ostensa, de libero Arbitrio. Durandus quidem 1. sentent. quæst. 6. Prolog. art. 3. & 2. d. 28. quæst. 5. dicit: Quod homo per vires liberi Arbitrii potest se disponere ad gratiam, dispositione cui detur gratia.

Gabriel. etiam 2. d. eadem qu. 1. ar. 1. videtur plane idem dicere.

Ratio eorum est; quia gratia sola est supernaturalis, ad quam non potest attingere causa naturalis; dispositiones vero sunt ordinis naturalis.

Quicquid sit de hac valde debili ratione, non putant seipfos in semi-Pelagianismum incidisse, quia noluerunt dispositiones, ad quas nos possemus attingere, inferre debitum ex parte Dei ad conferendam gratiam, quam solam dicunt esse errorem semi-Pelagianorum; sed solum esse dispositiones, propter quas Deus quidem daret gratiam, sed liberaliter.

Debilitas autem rationis, cui innituntur, facilè ostenditur.

Omnis enim dispositio, id est, non solum vltima, sed etiam, remota, in ipsis naturalibus, est effectiuè ab eodem

dem agente, à quo produci tur forma: verbi gratiâ, non solum calor vt octo, quo materia proximè disponitur ad introductionem formæ ignis, est effectiuè ab ipso igne generante, sed etiam calor vt vnum, vnde dispositio remota debet esse eiusdem rationis, & ordinis cum forma. si vnum supernaturale, & reliquum.

Verum quidem est quod lignum aridum est minus elongatum ab igne, & minus indispositum ad formam ignis, quam lignum viride, quia habet qualitates magis repugnantes, & tamen non est dispositum ad formam ignis: nam omnis dispositio, vt dixi, est per calorem producta ab igne, vel in virtute ignis, vel alterius causæ superioris: & forte hoc sufficit ad intentionem illorum, scilicet, quod homo per vires naturæ minus sit indispositus.

Immo doctissimus noster Smifings tract. 3. disp. 6. de *Smif. tr. 3.*
 Prouidentia quæst. 6. num. 332. Gabrielem melius explicat & defendit; & etiam Durandum eadem quæ- *dist. 6. de*
 stione num. 322. scilicet, vtrumque velle nos non posse *Prouidēt.*
 disponere seu mereri ex viribus naturæ, iustificationem *q. 6. n. 322*
 cum concursu generali debito naturæ; sed latius lo- *Dur. eadē*
 quuntur de concursu generali scilicet debito vel natu- *q. n. 322.*
 ræ vel gratiæ. ibi videndus est. Et hanc eius explica-
 tionem iuuat; quod frequens est apud veteres Schola-
 sticos, D. Thomam, Doctorem Subtilem, Andream
 de Nouo Castro & alios, huiusmodi locutionibus vti
 in illo sensu, scilicet loquendo de concursu Dei prout
 opponitur gratiæ habituali, non autem prout concursui
 seu auxilio speciali; sic etiam illi. vel, vt dixi superius
 ex Doctore, loquuntur de concursu Dei generali, in
 supernaturalibus, prout opponitur concursui speciali
 paucis concesso, scilicet in dono confirmationis & per-
 seuerantiæ: & in hoc sensu frequenter dicunt, actus
 supernaturales fieri posse cum concursu generali.

Carpitur utique Doctor à Soto 4. d. 14. quæst. 2. a. 5.
 quasi dixisset vltimam dispositionem ad gratiam esse
 ex nobis, loquens scilicet de pœnitentiâ, loco iam ci-

tato. Quod licet falsissimum est, ut patet in multis locis apud Doctorem, præsertim 4. dist. 20. quæst. unica. ubi disertè asserit, esse opus Dei, non hominis, penitentiam fructuosam inspirare: expressè etiam 2. dist. 9. quæst. 2. ait, Hominem non posse efficere vltimam dispositionem ad formam supernaturalem. Doctor igitur 4. d. 14. q. 2. quando dicit hominem, *ex puris naturalibus* posse habere attritionem, quæ erit *dispositio & meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis*; tantum agit de gratiâ habituali, quam dicit, rectè non requiri.

Eodem modo D. Thom. 2. dist. 28. art. 4. dicit ex solo libero Arbitrio, hominem posse se præparare ad gratiam gratificantem; quod omnes eius interpretes conformiter ad alia loca apud eum, exponunt de exclusionè gratiæ habitualis; non actualis.

Sed an viribus naturæ posset esse dispositio, seu meritum ad primam gratiam gratis datam;

Æstimo esse omnium Scholasticorum, non dari ex parte peccatoris vllam causam mèritoriam, dispositionem, aut conditionem ad primam gratiam, scil. proprie loquendo in sensu sanctorum Patrum.

Aug. 3.
Hypog.

Et est Augustini 3. Hypog. (si sit eius) & alibi frequenter, ubi ita ait: *Vitiato ergo libero Arbitrio totus homo vitiatus est, per quod absque adiutorio gratiæ, quod Deo placeat, neque valet incipere, neque perficere possit, præuenitur autem medicinâ, id est, Christi gratia ut sanetur, &c.*

Inno. 1. ep.
ad Concl.
Carth.

Est etiam Innocentij I. in epistola ad Concilium Carthaginense: *Liberum Arbitrium Adam perpeffus, dum suis inconsultius vitur bonis; cadens in præuaricationis profundo demersus est, & nihil, quemadmodum exinde surgere posset, inuenit; suaque in æternum libertate deceptus, ruina iacuisse oppressus, nisi eum Christi pro sua gratia releuasset aduentus.*

Araus. 2.
c. 3.

Deinde Araus. 2. can. 3. *Si quis per inuocationem humanam, gratiam Dei dicit conferri non autem ipsam gratiam facere, ut inuocetur à nobis, contradicit Isaiæ Prophete, vel Apostolo idem dicenti: Inuentus sum à non querentibus me, palam*

apparui his qui me non interrogabant, &c. *Isaia 65. ad Romanos 10.*

Isa. 65.

Rom. 10.

Can. 4. Si quis ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem & operationem in nobis fieri consuetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti; Preparatur voluntas à Domino. Prouerb. 8. (secundum Septuaginta) & Apostolo salubriter predicanti: Deus est qui operatur in nobis & velle & proficere, pro bona voluntate, ad Philip. 2.

Transf. 2.

ca. 4.

Phil. 2.

Can. 5. Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum credulitatis affectam, non per gratiae donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti & nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus aduersarius approbatur, &c.

Transf. 2.

c. 5.

Totum hoc Concilium est contra Massilienses seu Semipelagianos, qui asserbant initium salutis, esse ex nobis, id est, consistere in aliquo naturali desiderio, petitione, conatu, labore, quo gratiae auxilia ad salutem necessaria impetremus. In hoc autem consistit ratio meriti de congruo.

Tandem Trid. sess. 6. c. 5. Declarat praterea synodus ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum sum praeniente gratia, sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur.

Trid. sess. 6.

c. 5.

Et sine dubio, hoc est de fide, apud omnes Catholicos Doctores, nec vllus vnquam oppositum tenuit.

Aliqui verò recentiores Theologi, ut notat Aluarez, disp. 55. l. 7. dicunt, quod sicut vnum peccatum permitti solet in pœnam alterius; sic propter eleemosynam & alia moraliter bona, facta ab existente in mortali, confuevit Deus sæpe opitulari citius aut magis vni quàm alteri, ut à peccato resurgat: & hinc non immerito hæc actiones confueuerunt vocari dispositiones remotæ ad gratiam.

Alu. disp.

55. l. 7.

Vbi dicunt prædicti Doctores, Cassianum & reliquos Semipelagianos redargui, quia dixerunt auxilia gratiæ dari à Deo propter illa opera bona, ut propter meritum,

& propter opera pietatis habentia proportionem cum gratia, ita vt quandam vim inferant regno Dei, quod ipsi non dicunt.

Theol. & Antiq. d. 27. & 28. Ego tamen magis inuenio hanc doctrinam apud veteres Theologos, quam recentiores, immo sane apud omnes antiquos, vt in 2. d. 27. & 28. & alibi sæpe apud eos videre est.

Sed modo abstinerent à termino illo (dispositionis) in sua stricta significatione, quod sine dubio ipsi bene cauebant; nec aliud intendebant, quam maioris repugnantix negationem; & tunc doctrinam ab omnibus concedendam censeo.

Alii putant, quod Pater statuit cum filio ob merita passionis, hominibus facientibus quod in se est, ex puris naturalibus, dari auxilia gratiæ: dicunt tamen hæc non dari propter merita præcedentia ipsius hominis, sed Christi. & iidem Doctores dicunt quod ratione maioris conatus liberi arbitrii consequantur maiora auxilia seu intensiora excitantis & præuenientis gratiæ; non quidem vt ille maior conatus sit causa meritoria, aut ratio propter quam hæc dentur, sed solum condiciones sine qua non darentur regulariter.

Can. l. 8. de locis. c. 4. De his opinionibus nihil dico; sed doctioribus propono; difficultatem vtique pati videntur tam à Scripturis quam Conciliis. nec tamen facilè condemno; vt enim Canus l. 8. de locis c. 4. dicit. *Quod nobis schola nostra magnam licentiam dat, vt quodcumque maximè probabile occurrat, id nostro iure liceat defendere, sed non tamen eos qui nobis sunt aduersi, temere ac leuiter condemnare.*


Cōf. Angl. scor. quod. 14. a. 1. Idem l. d. 44. n. 4. Saltem sistendo in receptiori via; omnino negando omne meritum seu dispositionem respectu primæ gratiæ siue ad fidem siue ad gratiam, post lapsum per peccatum mortale. summa erit pax cum Nostratibus.

Et vtrumque horum est manifestè Doctoris Subt. cum communi Schola Theologorum. De priori enim dicit quodl. 14. a. 1. *Hominem non posse se disponere ad fidem.* De posteriori i. d. 44. n. 4. *Quemlibet peccatorem*

sakari posse, quia inquit Deus cum sua gratia potest praeuenire, &c.

Ecce vbi dicit primo, requiri gratiam praeuenientem Dei; & infra, d. 20. q. vnica, ait: esse opus Dei, non hominis paenitentiam fructuosam inspirare. Dicit tamen pie d. 22. a. 2. Bonum est ergo operari dum tempus est.

Idem d. 20. q. vn. & d. 22. ar. 2.



PROBLEMA

VIGESIMVM PRIMVM.

An habita prima gratia actuali potest homo ulteriora auxilia mereri de congruo, & tandem ipsam iustificationem.

Hic habet locum opinio Soti, vbi supra de merito; vbi animosè admodum negavit vllum meritum de congruo, saltem ante gratiam iustificantem, & hoc licet opera nostra eleuentur auxilio speciali.

Sot. vbi sup.

Sed certè communis & recepta sententia Scholarum est, quod cum primæ gratiæ praeuenientis auxilio, vltiora auxilia, petendo, & conando, possumus impetrare, & primam gratiam habitualem iustificantem, aliquo modo de congruo mereri; & eiusdem gratiæ augmentum, ac gloriam æternam mereri de condigno. sic communiter Doctores 1. d. 41. saltem quoad auxilia posteriora respectu primæ gratiæ. Et quia mihi est instar omnium, est Doctoris Subtilis, etiam quoad iustificationis gratiam 1. d. 17. q. 1. a. 1. & 4. d. 14. q. 2. a. 2. vbi expresso tractat de pœnitentia, quæ est dispositio de congruo ad gratiam habitualem secundum eum ibi. Est etiam D. Bonau. 2. d. 28. vbi ait, Dauidem fuisse sic re-

Doct. côm. 1. d. 41. Scot. 1. d. 17. q. 1. a. 1 & 4. d. 14. q. 2. a. 2. D. Bonau. 2. d. 28.

uocatum à peccato. Vega etiam post alios, de iustifica-
reg. de tione q. 7. propof. 5. rectè dicit, quod saltem fidelis po-
iust. 9. 7. test mereri de congruo gratias gratis datas, quibus trahi-
propof. 5. tur ad pœnitentiam; & probat ex Augustino 3. Hypog.
Aug. 3. ubi apertè ait, aliam causam esse credentis, & non cre-
Hyp. dentis, *De non credente dictum est, non volentis neque cur-*
rentis, sed miserentis est Dei. Postea: *Iam verò credentis,*
Idemc. 7. &c. vox est: In voluntate mea confitebor ei, &c. Sed cla-
 riùs c. 7. dicit opera bona esse ex fide, non ex operibus
Et sup. fidem. Et super Psal. 67. expressè dicit à fide omnia bó-
Psal. 67. na merita incipere. Vult igitur omnia nostra bona, scil.
 eleemosynas, &c. esse meritoria de congruo, omnium
 gratiarum quæ consequantur fidem, & antecedunt gra-
 tiam iustificantem.

Secundum hoc ergo; dicendum quod fidelis sub pec-
 cato mortali, ex hoc quod perseueret in fide, & infi-
 stat aliis bonis operibus, citiùs trahitur per auxilia Dei
 ad Dei gratiam; quam non fidelis cum eisdem operibus;
 immò quod illa auxilia ex quadam condecencia suorum
 operum, imperatorie, non de iustitia, mereantur: &
 eleemosynæ Cornelii ex fide veri Dei elicite vel impe-
Act. 10. ratae, Act. 10. meruerunt fidem Christi, modo ex-
 plicato.

Et manifestè habetur in Scripturis; alibi Salomon
Sap. II. dicit, *Deum dissimulare propter pœnitentiam.* Sap. II. &
 Deus per Ieremiam loquens dicit: *Repente loquar aduer-*
sum gentem & aduersus regnum, ut eradicem & destruam,
& disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo
suo, quod locutus sum aduersum illam, agam & ego pœni-
tentiam super malo quod locutus sum aduersus illam, &c.
Ierem. 18. Ierem. 18.

De fide etiam patet; quia dicit Christus, *fides tua te*
Paul. *saluam fecit,* & D. Paulus dicit nos iustificari *ex fide,* (ubi
 illud *ex,*) causam notat, vt rectè ibi super Scotum no-
 tauit Petigianis, non quod per fidem mereamur iusti-
 tiam; sicut Pelagiani dicebant, sed ideo quia fides est
 dispositio necessaria ad iustitiam, & vim habet ex Dei

benignitate impetrandi eam, quod est proprie meritum de congruo.

Et est expressè Ambros. l. 10. sup. c. 8. *Fleuit amarissime Petrus, fleuit ut lachrymis lauare debitum posset. & tu si veniam vis mereri, dilue culpam lachrymis tuam. Eodem tempore, eodem momento, respicit te Christus.* Ambr. l. 10. sup. c. 8. Luc.

Gregor. in homil. sup. Ezechiel. *Praeueniens gratia Dei, subsequente voluntate nostra donum Dei fit meritum nostrum.* Gregor. hom. sup. Ezech.

Vide plures sanctos Patres apud Petigianis, loco citato, & apud Vegam q. 7. fol. 891. & lib. 8. c. 6. sup. Tridentinum. fuse. Petig. loco citato. Veg. q. 7. fol. 891. & l. 8. c. 6. sup. Trid.

D. Thom. tamen negat omne meritum de congruo respectu gratiæ iustificantis 1. 2. q. 114. a. 7. & sup. Rom. c. 4. sic etiam Soto. 4. d. 14. q. 2. a. 5. & l. 2. de natura & gra. c. 4. noster etiam Lyra super c. 1. Ioan. Thom. Vvald. in l. de Sacramentalibus & Ariminensis 2. d. 26. & alii Thomistæ. D. Thom. 1. 2. q. 114. a. 7. & sup. Rom. cap. 4. Soto 4. d. 14. q. 2. a. 5. & l. 2. de natura & gra. c. 4. Lyra sup. c. 1. Ioan. Thom. Vvald. l. de Sacramentalibus. Arim. 2. d. 26. Aug. 1. de Trin. 10. sup. Ioan. Idem l. 83. Quæst. 9: 68.

Augustinus tamen (quicquid alii clamitant) est à parte nostra 1. de Trin. 10. super illa verba Ioan. *Ipsè pater amat vos. Quo merito nisi fidei, qua credimus, antequam id quod promittitur, videamus.* etiam l. 83. Quæstionum q. 68. *Mercès cognitionis meritis redditur; credendo autem meritum comparatur. Et postea. Peccatores igitur credere iubentur, ut à peccatis credendo purgentur.*

Immo contra Massilienses, expressè concedit Meritum de congruo ad iustificationem. patet epistola 105. *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est: scilicet, fides hanc impetrat: neque enim nullum est meritum fidei: qua fide ille dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori, & descendit iustus, merito fidelis humiliatus. Restat igitur ut ipsam fidem, unde omnis iustitia sumit initium, non humano, quo isti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis (quoniam inde incipiunt bona quacumque sunt merita) sed gratuito Dei donum esse fateamur, si gratiam veram, id est, sine meritis cogitamus.* Hæc ille.

Quid clarius? dicit dari Meritum per fidem ad iusti-

*D.Th. 1.
2. q. 114.
ar. 5.
reg. lib. de
Præd. c. 3.*

ificationem, non condignum, quia esset error. Ergo de congruo. D. Thom. quidem 1. 2. quæst. 114. art. 5. dicit Augustinum hoc de Meritis fidei retractasse, sed vt rectè Vega cum communi, oppositum patet lib. de Prædest. cap. 3. vbi meminit quid retractauit, tamen ibidem dicit, fidem inchoare Meritum in nobis. Retractauit autem quod dixerat, fidem non esse donum Dei; & hoc tantum.

Si dixeris Augustinum sexcenties negare omne meritum ad iustificationem.

Respondeo verissimum esse; sit ergo responsio ad ista; Augustinum solum negare merita gratiæ iustificantis in illo sensu, in quo asserbat Pelagius; scilicet vt essent per liberum Arbitrium solum facta; nec vnquam negat merita ex gratia facta, quia nec hoc tetigit Pelagius; vt in Mileu. & Araus. & ipso Augustinò vbique patet.

*Mileu.
Araus.
& Aug.*

Hoc dixit quia omnes Doctores pro regula generali admittunt expositiones tam Conciliorum, quam Patrum, erui debere ex hæreticorum sententiis quos damnant, vel ex Catholicorum, quorum doctrinam tradunt.

Quod si dixeris, Si gratia iustificationis sit ex Meritis Fidei, Pœnitentiæ, & aliorum bonorum Operum, ergo gratia non est gratia; quia ex meritis.

Respondeo, est ex gratia simpliciter; secundum quid vero ex Meritis: hæc tamen merita non destruunt gratiam; non enim debitum exigunt, nec mercedem: sed impetrant solum liberalem donationem; quantum ergo est Meriti, tanto minor est Gratia; hic vero est meritum solum, secundum quid, quia non propriè, ergo simpliciter & propriè Gratia.

*scot. quod.
17. a. 2.*

Dixi etiam Merita secundum quid, & rectè. Doctor enim Subtil. quodl. 17. art. 2. requirit ad Meritum simpliciter, quod actus sit acceptus à Deo vt dignus talis præmiis; quod alibi dicit non esse, nisi ab homine in gratia.

Sed vt, rectè aduertit Vega, de re non est inter Doctores Catholicos quæstio, omnes enim fatentur gratis iustificari peccatores, neque deberi illis gratiam aut remissionem suorum peccatorum, neque vlla esse in iis opera, propter quæ Deus teneatur eos ad suam amicitiam admittere: aliqua etiam esse opera, propter quæ congruum sit illos Deum sibi reconciliare.

Itaque de nomine solum est quæstio, an ea debeant vocari meritum de congruo. vnde Smisingi fidelissimus Scotista quæst. 6. de Prouidentia num. 338. & alii, potius dicendum putant nos cum gratiæ auxilio, nos ad iustificationem disponere, quam de congruo promereri: & ad hoc citat D. Thom. cum suis Commentatoribus, 1. par. qu. 23. ar. 5.

Sunt quidem aliqua tam ex Conciliis, quam Patribus, præfertim Augustino, quæ prima facie contradicere videntur, huic receptæ sententiæ Doctorum: sed vt rectè Vega, & ex ipso plurimi Theologi, vt Vasquez, Suarez, &c. aduertunt.

Tripliciter habet iustificationem sumi; aliquando pro ipsa iustificationis Gratia qua formaliter iusti sumus: aliquando pro tota seriè auxiliorum, quibus ad iustificationem disponimur à prima vocatione ad fidem: aliquando pro Gratia gratis data, qua Deus nos adiuvat, & mouet, vt ea efficiamus quæ prærequiruntur ad ipsam iustificationem.

Adde ex Vasquez 1. 2. disp. 210. cap. 8. num. 34. & sequentibus, quartum modum sumendi iustificationem, scilicet, pro secunda iustificatione, seu pro augmento primæ.

Quibus rectè attentis, nihil occurret, quod non enodabis: quando enim dicitur subinde *Nos nullo modo mereri iustificationem*, loquuntur frequenter de tota serie auxiliorum, vbi patet includi primam gratiam; ad quam diximus nullum prorsus esse meritum ex parte nostri.

Et in hoc sensu locutus esse Patres in Mileu. & diuum Augustinum in libris contra Pelagianos tenet Vega, &

Vega.

Smis. q. 6.
de Prouid.
n. 338.
D. Th. cū
suis Cōm.
1. p. qu. 23.
a. 5.

Vega, Vasquez,
Suar. &c.

Vasq. 1. 2.
disp. 210.
c. 8. n. 34.

Mileu. c. 4.
Aug. cōtra Pelag.

recte. De Mileu. enim constat can. 4. vbi ait: *Per eandem gratiam in qua iustificamur* (de hac tunc loquebatur) *nobis aperiri intelligentiam mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus.* Quæ verba nullum sensum possunt ferre, nisi de primis gratiis fidei, & cæterorum auxiliorum; quæ tamen vocant ibi Patres Gratiam iustificationis.

Mileu. c. 3 Patet etiam can. 3. &c. quod sumatur ibi gratia pro tota serie.

Aug. ep. 105. Et de Augustino patet epist. 105. & alibi eodem prorsus modo intelligere gratiam qua iustificamur: nam ibi distinguit gratiam qua iustificamur à gratia remissionis peccatorum; & ad hanc concedit merita ex fide, secus ad illam; necessarium ergo est *per gratiam qua iustificamur*, intelligi, vt dixi, totam feriem.

Aliquando etiam loquuntur de meritis procedentibus solum ex viribus liberi arbitrii: & hoc sensu negant merita iustificationis. sic Vasq. vbi supra exponit D. Vasq. vbi sup. Paul. Paulum ad Rom. 10. *Si enim gratia, iam non ex operibus, Rom. 10. alioquin gratia non est gratia.*

Magni faciunt Sectarii ad excludendum omnem meritum, illum locum Augustini lib. de Spirit. & lit. cap. 13. *His consideratis, colligimus non iustificari hominem preceptis bonæ vitæ, sed per fidem Iesu Christi; non lege operum, sed lege fidei, non factorum meritis, sed gratia gratuita.*

Nescio tamen quid hinc posset colligi in oppositum doctrinæ nostræ, qui etiam fatemur iustificationem ex gratia, & non ex meritis; ne quidem de congruo secundum sententiam D. Thomæ & suorum, quod non de condigno (quod solum habet rationem meriti propriè & simpliciter loquendo) secundum veritatem Catholicam; cui subscribunt omnes Doctores nostri. & hanc etiam fuisse sententiam Augustini, ex dictis manifestum est; solum igitur excludit meritum quod non potest stare cum pura gratia, siue gratia gratuita, vt patet. Demonstrauimus verò superius meritum de congruo huic bene compati.

Nec etiam plus vrget ille locus Augustini Tom. 4. ex-
 posit. proposit. ex Epist. ad Rom. (quicquid sibi ad-
 blandiuntur Caluinistæ) vbi habet hæc verba: *Non enim*
merito sui tanquam ex operibus, sed Dei gratia, fide iustifi-
catus est homo. Hic enim, vt prius, vult nostra opera, ex-
 cludendo gratiam & fidem; non mereri iustificationem:
 quod vtique verissimum est; nam sine fide non possu-
 mus placere Deo; si omnem gratiam & fidem excludas,
 nullum meritum habemus, ne quidem de congruo; vt
 omnes Catholici conueniunt.

Aug. to.
4. expos.
ex ep. ad
Rom.

Scio ab Hæreticis per hæc loca, non tantum exclu-
 di opera nostra, sub ratione meriti, sed astrui solam fi-
 dem nos iustificare: sed quam impertinenter hinc col-
 ligitur, facillè iudicabit æquus Lector. Solum enim
 deprimit elationem operum nostrorum; quod etiam nos.
 sed erit opportunior locus inferius, illum & alios textus
 Pauli fusè examinare, & veritatem declarare.

His ergo dimissis, ad definitionem Trident. acceda-
 mus sess. 6. c. 8. post alia: *Gratis autem iustificari ideo dica-*
mur quia, nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue
fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promerentur; si
enim gratia est, iam non ex operibus, alioqui (vt idem Apo-
stolus inquit) gratia iam non est gratia, ad Roman. 11. Ephes. 2.
Tit. 3.

Trid. sess. 6.
c. 8.

Rom. 11.
Ephes. 2.
Tit. 3.

Hic locus indubiè fauet opinioni secundæ, in quan-
 tum aduersatur primæ. Vsq; vbi supra mire labo-
 rat in explicatione huius loci, & post eum Suarez. I. p.
 lib. 2. de Præd. c. 6.

Vsq; vbi
sup. Suar.
1. p. l. 2. de
Præd. c. 6.

Magni tamen facio sententiam nostri Vegæ qui in-
 terfuit Concilio, & ab ipsis Patribus potuit intelligere
 sensum eorum, immo habuit votum saltem consulti-
 uum in Concilio. Dicit ergo lib. 8. super Trid. c. 5. per
 (Gratis) excludi meritum de condigno, id est, meri-
 tum cui debetur iustificatio. vt ibi explicat: *Ei enim qui*
meretur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secun-
dum debitum. Sic ille.

Veg. l. de
sup. Trid.
c. 5.

Cum quo conuenit etiam Suárez loco citato. Veritas

Suar. loco
cit.

huius explicationis vel ex eo patet. Quia Concilium ibi agit contra Lutheranos, qui non loquuntur de fide in viribus liberi arbitrii fundata, sed in auxilio gratiæ. docet ergo Concilium, ne quidem per fidem & opera in auxilio gratiæ fundata, nos promereri gratiam iustificantem. vt rectè Smifings q. 7. disp. 6. tract. de Providentia num. 374. vbi fusè hoc agit.

Smif. q. 7.
disp. 6. tr.
de Provid.
det. n. 374
Iacobus.

Petes quid ergo ad Iacobum? Si iustificatio enim, non sit ex operibus: quomodo ergo, *ex operibus* secundum Iacobum?

Multa & pulchra de conciliatione horum Apostolorum habes apud Doctores Theologos, sed non est meum hic omnia dicere. mitto doctum lectorem & pium ad Suares, Vasq. Smif. Vegam vbi supra, & Casalium de Quadripartita iustitia.

Suar. Vasq.
Smif. Veg.
Cal. &c.
Veg. l. 10.
super Trid.

Sancta admodum & clara est expositio Vegæ l. 10. super Trid. ad mentem Patrum in Trid. quod scilicet Paulus loquatur de prima iustificatione, ad quam contra Gentiles & Iudæos, dicit & constanter prædicat, bona opera non concurrere meritorie, immo indigna esse gratiæ iustificationis. Iacobus verò, de secunda iustificatione, seu incremento iustificationis. vbi sine dubio bona opera de condigno merentur additionem gratiæ.

Aug. sup.
Psal. 31.

Hoc etiam satis insinuat Augustinus supra Psal. 31. in enarratione prima. *Ergo fratres, ex fide est iustificatus Abraham, sed si fidem opera non præcesserunt, tamen sequuta sunt.*

Non tango hic modum incrementi: an scilicet per actus charitatis æquales habitui præexistenti, aut etiam per actus remissiores, consequatur homo ex certa lege augmentum gratiæ & charitatis, & tandem gloriæ essentialis: licet affirmatiuam probabilem iudico.

Veg.

Sed redeo ad Vegam, qui apertè sane declarat hanc esse mentem Iacobi ex verbis sui, vbi in exemplum adducit Abraham: *Abraham pater noster, nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?* Constat enim Abraham dum Isaac immolare voluerit,

fuisse actu iustificatum; ante enim Genesis 15. *credidit Genes. 15. Abraham, & reputatum est illi ad iustitiam.*

Hic legendus esset Carthusianus super cap. 2. Iacobi. *Carthus. versus finem, ubi fuse agit, & ad hunc modum conciliat* ^{sup. c. 2. Iacob.} *utrumque Apostolum: licet etiam alium modum scilicet Origenis refert: sed non sequitur eum.*

Sic etiam eum explicat Appellator D. Montacutius ^{Montac. c. 10. de Iustificatione.} *c. 10. de Iustificatione.*

Tandem doctrina nostra de Merito de congruo ante Iustificationem; est etiam Hookeri lib. 5. Ecclesiast. Pol. ^{Hook. l. 5. Eccl. Pol. sec. 72. p. 208. Melancthonis in locis communibus de bonis Operibus; & est communis Protestantium Doctorum, scilicet opera ex fide facta, virtute passionis Christi, esse meritoria; sensu scilicet superius explicato.}

Sed audiamus articulum 13. Confessionis Anglicæ: *Opera facta ante gratiam Christi & inspirationem Spiritus sancti Deo non sunt accepta; quia non oriuntur ex fide in Iesum Christum, nec disponunt hominem ad gratia receptionem; vel (provt Scholastici loquuntur) non merentur gratiam de congruo. Immo potius eo quod non fiunt vt Deus ordinavit & iussu fieri, non dubitamus quin participent naturam peccati.* ^{Conf. Angl. art. 13.}

In his verbis manifestum est solum excludi ad meritum de congruo respectu nostræ iustificationis, opera facta ante fidem Christi, immo ante primam gratiam æqualem, seu inspirationem Spiritus sancti (vt ibi loquuntur) cum igitur exceptio firmet regulam in oppositum, vt dicunt Iurisperiti, sequitur alia opera scilicet facta ex fide posse disponere aliquo modo, & de congruo promereri gratiam iustificationis, quæ est sententia Augustini, ad quam fortè attenderunt. & hætenus retissime. ^{Aug.}

Quod autè additur: *Talia potius induere naturam peccati.*

Aduertendum, quod non dicunt talia simpliciter esse peccata, sed potius participare, quod sine omni dubio est terminus diminuens (vt loquuntur Summulistæ) aliàs dixissent sine restrictione, esse peccata. volunt igitur quod large sumendo peccatum, seu extendendo natu-

ram peccati, possunt ad eam aliquo modo reduci, scilicet quatenus non fiunt conformiter ad leges Dei. ut etiam ibi diserte exprimitur his verbis: *Eo quod non fiunt ut Deus ordinavit, & iussit fieri.* Aliquid autem fieri, non ut Deus ordinavit, seu non conformiter voluntati diuinæ in suis legibus reuelatæ, non statim infertur, esse peccatum positivè loquendo; sed solum negativè. quia alias idem esset fieri non conformiter præcepto, & fieri difformiter, quod solum est peccatum propriè: & alias, omnes actus indifferentes essent peccata, quod est absurdum; tamen non fiunt conformiter legi, quia tunc non essent indifferentes, sed boni. volunt igitur esse peccatum improprie, seu secundum scholas, negativè.

Araus. 2. Et sane hæc est ipsissima doctrina Araus. 2. vbi supra, *ubi sup.* & Augustini præfertim l. 3. contra duas epistolas Pelag. *Aug. l. 3.* c. 5. *Justus ex fide vivit, sine ipsa vero etiam quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur.* Et probat ex D. Paulo, *sp. Pelag. c. 5.* *Omne enim quod non est ex fide peccatum est.* Et est communis Doctorum Scholasticorum, sensu superius ab Aug. *Ex D. Pauli* exposito in Problemate 12.

Quod autem diximus superius, post iustificationem, nos mereri augmentum iustitiæ & gloriam ar. 12. Confess. Angl. quoad rem manifeste est à parte nostra; cuius hæc sunt verba: *Licet quæ sunt fructus fidei, & sequuntur iustificationem, non possunt tollere peccata, nec subire severitatem diuini iudicij: tamen Deo placent, & ipsi sunt accepta in Christo, &c.*

Quid est hoc esse accepta in Christo, nisi per Christum acceptari in ordine ad præmium, seu vi promissionis diuinæ & æternæ, factæ nobis per Christum, esse meritoria &c. quæ est doctrina Doctoris Subtilis, & hodie communis.

Quod autem dictum est in prioribus verbis, non posse tollere peccata, nec subire iudicium Dei. intelligi debent accommodate scilicet ad verba priora, nisi in Christo, ut etiam ibi clare in posterioribus additur. Omnia enim ad nihil valent, loquendo prout oportet, si excludas Christum.

In hoc ergo sensu dictum est ante, *nec subire iudicium Dei*. non quod punientur, sed quod non præmiabuntur, quia in ordine ad præmium *nihil valent sine Christo*. quod omnes fatemur.

Hic ergo pax.

Hactenus de præcedentibus iustificationem, nunc ad ipsam iustificationem in se.



PROBLEMA

VIGESIMVMSECVDVM.

An fides sola iustificet.

Sciendum fuisse hæresim Eunomij tempore Augusti-
 Sni, vt patet apud eum lib. de hæres. ad Quoduult-
 deum hæresi 54. fidem solam sufficere ad salutem; nec
 impedire peccati perpetrationem. Immo vt ipse refert
 l. de fide & operibus, tempore Apostolorum, exordia
 fumpsit ex subobscuris textibus D. Pauli ad Rom. 5.
Lex subintravit vt abundaret delictum. ad Rom. 3. *Arbi-*
tratur hominem iustificari per fidem sine operibus legis.

Aug. l. de hæres. ad Quoduult- deum, hæresi 54. Idem l. de fide & operibus. Rom. 5. Rom. 3. Aug.

Et hinc D. Augustinus, dicit, quod Epistolæ Petri, Ioannis, & Iudæ, scriptæ erant, astruentes, fidem sine operibus non valere.

Hæretici autem huius sectæ, erant *Simon Magus, Menander, & Gnostici illi*, qui sub hoc principio societatis fidei à D. Paulo edoctæ, prout ipsi ad suam perniciem volebant intelligere, omnibus vitiis indulgebant.

Et hanc suscitauit ex parte Lutherus & sui.

Luther.

Isti autem priores hæretici non sunt locuti de fide in sensu Puritanorum. error enim hodiernus in Ecclesia Dei inauditus, illi de fide Christi, id est, quam Christus

prædicare per Apostolos iussit, & in hoc rationabilius, quia aliquam apparentiam ex Paulo habuerunt. vt etiam *Casali* l. 2. notauit *Casalius* l. 2. versus finem c. 7. nostri vero in quadam alia fide speciali in hunc effectum ab ipsis (*cum confidentia*) adinuenta vt in sequentibus (ni fallor) constabit; & iam hic nouus error, vix natus, apud Nostrates sepultus est.

Dom. à Soto de natura & gra. l. 2. c. 5. *Vega opusc.* q. 2. *Casalius* l. 2. c. 7. *Horant.* l. 1. c. 63.

Sensus quæstionis est; secundum quod volunt Lutherani, vt rectè notauit *Dominicus à Soto* de natura & gratia l. 2. c. 5. *Vega* in opusculo q. 2. *Casalius* l. 2. c. 7. *Horant.* l. 1. c. 63. ex *Caluino* fusè, & omnes posteriores Theologi qui contra eos scripserunt.

An per fidem, id est, per fiduciam vel confidentiam, non qua confidimus in genere Deum paratam esse reconciliare omnes per Christum, sed qua quisque in particulari firmiter credit sibi remitti peccata per Christum; an talis hæc umbratilis fides sola iustificet, sic enim tenent Protestantes qui sequuntur Lutherum.

Notandum tamen, quod non volunt fidem illam esse meritum vel causam iustificationis: immo nec dispositionem: omnia enim ex parte nostri negant ante iustificationem ipsam, sed solum esse applicationem iustitiæ Christi in nobis.

Sic intellecta quæstione.

Probatur primo & præcipue: *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo, scilicet Deo. Per legem enim cognitio peccati, nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, restituta à Lege & Prophetis. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes qui credunt.*

Ad *Galat.* 2. vbi cum *Paulus* citasset *Genesim* 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam; Cognoscitur ergo: Quia qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahæ: prouidens autem Scriptura, quia ex fide iustificat Deus Gentes, prænuñciauit Abrahæ quia benedicentur in te omnes Gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fidei Abrahæ.*

Ad *Rom.* 3. post alia. *Vbi est ergo gloriatio tua? exclusa est, per quam legem? factorum? non; sed per legem fidei. Arbitramur*

iramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis, &c.

Actor. 13. sunt verba Pauli: *Ab omnibus à quibus non potuistis in lege Moysi iustificari: in hoc omnis qui credit iustificatur.* Act. 13.

Ad idem multas afferunt authoritates sanctorum, Ambrosii. cap. 4. ad Rom. dicit: *Impium venientem ad Christum sola fide iustificari.* Amb. super c. 4. ad Rom.

D. August. lib. 3. contra duas epistolas Pelagi. cap. 5. *Nostra fides iustos ab iniustis, non operum, sed fidei lege decernit.* Postea: *Licet fides sine operibus, neminem saluat, ipsa est enim non reproba fides, quæ per dilectionem operatur, tamen per ipsam etiam peccata solvuntur, quia iustus ex fide vivit: sine ipsa vero, quæ videntur opera bona, in peccata vertuntur. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est.* D. Aug. l. 3. cont. 2. p. Pelag. c. 5.

In oppositum tamen huius erroris, Fides Catholica & antiqua, tradita est in Trident. sess. 6. can. 8. *Cum vero Apostolus dicit, iustificari hominem per fidem & gratis (ad Roman. 5.) ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit & expressit, ut scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humane salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo (ad Hebr. 11) & ad filiorum eius consortium pervenire. Hæc definitio tot & tantorum Patrum, & ne nova videretur, cautè admodum addiderunt; fuisse perpetuum Ecclesiæ Catholicæ consensum.* Trid. sess. 6. c. 8. Rom. 5. Hebr. 11.

Clemens Alexand. lib. 2. Stromat. *Fides est prima ad salutem inclinatio, &c.* Clem. A. l. 2. Strom.

Et quidem Cyrillus in 9. c. Ioan. dicit: *Ianua & via in vitam fides est, & recursus quidem atque reductio à correptione ad immortalitatem.* Cyril. in c. 9. Ioan.

Augustinus de Prædest. Sanctorum c. 7. *Ex fide autem ideo dicit Paulus iustificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera.* Augu. de Prædest. Sanct. c. 7.

Pulchrum etiam illud eius de verbis Apostoli serm. 22. *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Idē ser. 22 de verbis Apostoli.

Facile esset sexcenta afferre loca Sanctorum Patrum, ad hanc partem definitionis confirmandam, sed res notoria est. procedamus.

Hebr.

Et sane ipse Paulus ad Hebræos, vocat fidem *spemandarum rerum substantiam*, id est, fundamentum, hypostasim, omnium scilicet superædificandorum ab homine Christiano.

Multa quidem loca ex Scripturis, vbi alia opera bona exiguntur ad salutem, solent adferri, pro probatione huius definitionis sacri Concilii, quasi inde sequeretur, fidem non solum iustificare: sed multa ad hoc allata ab aliis, efficaciter non concludunt, quia Puritani fateentur obseruationem mandatorum, & exercitium operum bonorum esse necessarium: non negant etiam ad iustificationem alias virtutes præter fidem requiri, scilicet *concomitanter*, sed non coefficienter; volunt ergo solum iustificationem attribui fidei & soli; sicut dicitur oculus solum videre formaliter loquendo, nec tamen potest videre, sine organo, &c. sic in proposito. Istiusmodi ergo loca omitto, quia non ad rem.

1. Cor. 6.

Si etiam adferrem testimonia Scripturarum, vbi negatur fidei soli iustificatione, sicut 1. ad Corinth. 6. vbi manifeste Apostolus loquitur Corinthiis, qui tunc susceperant fidem Christi, & eam actu profitebantur & Christo credebant; tamen adhuc dicit, eos non saluandos, si essent fornicarii, &c. dicunt ipsos habuisse solum fidem vt dicunt *historicam*; non autem *iustificatiuam*: sic facile eludunt omnes huiusmodi textus.

Aug. de Præd. Sã.
Etor.

Illud vero Augustini de Prædest. Sanct. adductum, de sensu Apostoli, plane torquet eos, & falsitatis conuincit: perpende parum, & cum solutione eorum allata, prouidentè compara.

Iacobus.

Eodem modo sicut Apostolum ad Cor. sic eludunt Iacobum, cum isto *concomitanter*.

Duo ergo præstanda sunt, Primum ostendere quod aliis virtutibus tribuatur iustificatio, *cooperatiuè*.

Secundum, Scripturas non posse intelligi de fide pro

fiducia, quæ confurgit ex fide Christi.

Quoad primum. primæ Ioan. 3. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Ecce dicit *Quoniam*. dilectio ergo fratrum est causa iustificationis. 1. Ioan. 3.

Sed ad hoc dicerent *declaratoriam*, non *effectiuam*, id est declaramur translati &c. Propterea præmissum est à Ioanne *Nos scimus*. Quæ euasio, licet non soluat in re: tamen ad solidiora procedo.

Audi ergo Lucam 7. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Luc. 7.

Hic ut opinor nullum refugium; nec vllus textus plus attribuit fidei; saltem igitur æquè procedit fides & dilectio; quod si semel concesserint, cætera sequentur.

Illud etiam (*quia*) est illatiuum, quod causale est, quasi diceret, *Dilexisti multum*, ergo remittuntur &c. res est clara.

1. Pet. 4. *Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Ante omnia; Ergo ante fidem illam commentitiam. audi rationem, *quia operit multitudinem peccatorum.* Quid est hoc? præsertim secundum eos, ubi regere peccata, est iustificare de formali.

Non affero delusorias responsunculas eorum, quia vere nihil ad rem.

Ad Colof. 3. *Charitas est vinculum perfectionis*, non signum: non focia: *sed vinculum*. quia vere vnit hominem Deo. vere ergo iustificat & perfecte. Ad Col. 3.

Nullibi hoc elogiũ tribuitur fidei.

Nunquam enim reperitur in sacris paginis fidei solibi tribui iustificationem.

Nec valet quod dicunt Puritani ex Melancthone in Apologia, quod dicitur *gratis*. quia hoc secundum Concilium Trid. & omnes veteres, *est sine meritis*. Quod omnes fatemur; iustificamur enim per gratiam Christi, non merita nostra. Melanctho. Apol. Trid.

Rom. 13.

Tribuitur autem dilectioni soli iustificatio, quia ad Rom. 13. est legis impletio. vis habere *sola*, subsequitur, & plenitudo legis. si plenitudo, ergo auferantur omnia, saltem secundum actum (quia eorum confidentia est actus secundum eos) & de actibus agitur ibi. & manet plenitudo; vel fralia requirantur, non est plenitudo, cōtra Apostolum. si vero plenitudo, ergo iustificatio.

Immo putem hanc sententiam Pauli adeo verā; quod si per impossibile, omnia, siue fides &c. scil. explicita Christi auferantur, manente sola dilectione supernaturali Dei & proximi; iustificabitur homo, quia vere est plenitudo legis.

Lutherani Dicunt Lutherani esse præceptum confidendi remissionem meorum peccatorum per Christum mihi factam; per quod homo iustificatur.

Audi, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. hoc est maximum & primum mandatum.* Adimpletio huius plus importat quā illius fictitii præcepti, quia *maximum.* Adimpletio nullius licet vere præcepti nos constituit iustos, si hoc excludas: non hoc ab illis, sed illa ab hoc, efficaciam ad iustitiam deriuant; quia est *primum* scil. quod iustificat. si ergo sit præceptum (quod fingitur de illa præsumptuosa confidentia) cedat dilectioni, necesse est; quia *hoc est maximum & primum mandatum;* utique in ordine ad iustitiam & gloriam.

Trid. c. 9

Quod diximus de dilectione: etiam manifesta sunt loca in Scripturis pro aliis virtutibus. Sicut de Pœnitentia; sexcenties tribuitur iustificatio. Et hinc Patres can. 9. Trid. rectissime definiunt alia requiri præter fidem quæ cooperantur cum ea, non ergo *concomitanter*, sed *verè cooperanter*, id est, per modum causæ efficientis. licet enim cum Trid. ad sensum D. Pauli, negamus merita iustificationis, tamen non dispositiones, ut ante diximus, sancti Patres etiam manifestè à nobis sunt, in expositione sacrarum litterarum.

orig. l. 3.
sup. ad Ro-
m. 11.

Origenes lib. 3. super ad Rom. vbi Paulus dicit: *Arbitramur enim hominem iustificari per fidem;* dicit: *Etiamsi quis*

habeat, opera ex lege, tamen quia non edificata super fundamentum Fidei, operatorem suum iustificare non possunt, &c.

Hic sunt duo: Primum Fidem esse, secundum Apostolum, solum fundamentum, seu signaculum iustificationis. Secundum, quod opera in fide facta iustificant, non ergo solum concomitantur fidem in iustificatione; sed iustificant. Quod est propositum.

Annon etiam iuvat Paulus ad Ephes. 3. *In interiori* Ephes. 3.
homine Christum habitare per fidem in cordibus vestris in
charitate radiati: vbi Hieronymus, Habitatio ista qua per ex- Hieron.
ordium fidei fabricatur, radices & fundamentum in charitate
habes. Ergo secundum Paulum, si illum intellexerit
Hieronymus, iustificatio peccatoris, seu habitatio Christi in cordibus nostris, sumit exordium tantum à fide, fundamentum vero radiatum à charitate: non ergo concomitanter solum, sed efficienter. August. tract. 87. in Aug. tr.
Ioan. super illud Ioannis 15. *Hæc mando vobis vt diligatis* 87. in Ioan.
inuicem; sic loquitur: Apostolus Paulus, cum contra opera car- super illud
nis commendare fructus spiritus vellet, à capite hoc posuit. Fru- Ioan. 15.
ctus, inquit, spiritus charitas est: ac deinde cetera, tanquam ex
isto capite exorta & religata contexuit. Quæ sunt gaudium, pax,
longanimitas, benignitas, bonitas, fides, &c.

Ecce rationem fundamenti & capitis, dat charitati, etiam respectu fidei; & recte: Si quid enim fides valet (vt valet) ad iustitiam & salutem, à charitate habet.

Charitas caput est, sedes vitæ est, ipsa vita omnium actuum est, non ergo concomitatur fidem.

Vnde vel maxime declarat intentum nostrum August. Aug. l. 15
l. 15. de Trin. c. 18. *Ipsam fidem non facit utilem nisi charitas,* de Trin.
sine charitate quippe fides potest esse, sed non prodesse. cap. 18. *Quid re-*
ctius ad reprimendum errorem oppositum potuit dici?

Ad idem est illud l. 4. contra Iul. c. 3. *Si ad consequendam* Idem l. 4.
veram beatitudinem quam nobis immortalitatem fides que est in contra Iul.
Christo promittit, nihil prosunt homini virtutes, nullo modo vere c. 3.
possent esse virtutes, &c. Vbi vult nihil proficere ad salutem sine charitate, quod si ad salutem fides vel alia virtutes valeant, à charitate habent.

Aug. l. de
cognit. ve-
rae vita
c. 17.

Sed adhuc clarius loquitur Augustinus l. de cog-
nitione verae vitae c. 17. vbi sic dicit, *fides spe nutritur, &*
charitate animatur. Non ergo fidei principaliter, sed cha-
ritati tribuenda est vita animae nostrae, quia est anima ip-

Theol. 3.
d. 23. cum
Magist.

fius fidei. Hinc Theologi in 3. d. 23. cum Magistro, di-
cunt charitatem esse formam fidei, seu, vt loquitur Au-
gustinus, animam eius; non physicam, sed potius mo-
ralem, quia dat ipsi quandam speciem supernaturalem,
& est principium operatum eius; secundum illud ad

Gal. 2.

Galat. 2. *Fides per dilectionem operatur.* Secundum Apo-
stolum ergo, manifestum est charitatem vere modo ex-
plicato esse formam fidei: operatio enim eius, secundum
eum, est à charitate; operari vero, vt Philosophis constat,
est à forma. Perperam igitur, contra Apostolum, Augu-
stinum, & omnes Scholasticos, tribuitur vita animae no-
strae fidei, cum & ipsa ex Iacobo c. 2. sine charitate est
morta, opera vero eius, secundum Paulum, sunt à cha-
ritate, ergo à primo ad vltimum, ipsa fides sine charitate
est mortua.

Iacob. c. 2.

Infiniti sunt textus Sanctorum Patrum ad hoc propo-
situm: sed quos hi non conuincunt, nec mille.

Secundum quod diximus ostendendum; est Paulum
non posse intelligi de fiducia seu confidentia mihi cer-
tissime applicando merita Christi.

Trid. vbi
c. 9.

Hoc patet Trid. c. 9. vbi Patres hoc definierunt; &
sane tenuitati meae, duo argumenta ad hoc facta à Vega,
Ex quo desumpserunt posteriores, videntur conuincere ve-
ritatem definitionis.

Rom. 4.

Eodem modo, & in eadem prorsus significatione lo-
quitur Paulus de fide, qua nos iustificari dicimur; & de
fide qua imputata est Abraham ad iustitiam: ab illo enim
argumentatur ad nos, ad Rom. 4. *Non est autem scriptum*
tantum propter eum; reputatum est ei ad iustitiam, sed est propter
nos, quibus reputabitur credentibus in eum qui suscitauit Iesum
Christum Dominum nostrum à mortuis. Abraham autem fides
non erat fiducia remissionis suorum peccatorum per Dei
misericordiam, vel per Christum futurum, sibi facta.

vt manifestum est: sed erat credulitas, seu indubitatus assensus verbis Dei seu promissionibus eius: scil. de multiplicatione sui seminis: & in hoc *contra spem in spem credebatur*, vt loquitur scriptura: ergo.

Secundo, ista loca Pauli de ea fide debent intelligi *Paul.* quam Apostoli prædicabant, quamque qui recipiebant, fideles ac filii Abrahamæ nuncupabantur; sed illa non est fiducia Ioan. 1. 5. *Omnis qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est, qui credit in filium Dei, habet filium Dei in se.* & ad Galat. 3. *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* intelligi ergo debet de fide requisita ad baptismum: quæ est credere Iesum esse filium Dei.

Vnde de Eunuchio Act. 8. nihil aliud exigebat Philippus quàm hunc actum Eunuchi: *Credo filium Dei esse Iesum Christum;* Hanc summe exaltabant Apostoli supra opera legis; ad hoc vtique assumpti sunt in Apostolatam; *Vt portent nomen Christi coram Gentibus & regibus & filiis Israel.* Act. 9.

Ponderanti has rationes cum solutionibus aduersariorum, statim apparebit earum insolubilitas.

Istis duabus rationibus Vegæ potest adiungi tertia, & illa optima, Tanneri in 2.2. disp. 1. *Apostolus eiusdem fidei actum fusius explanans, apertissimè significat eum esse assensum intellectus, non fiduciam voluntatis. Fide, inquit, intelligimus aptata esse secula verbo Dei, &c. Fide Noe metuens aptauit arcam, &c. Et eadem vtique fide Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. Annon ergo vanissima confidentiæ plenus est, quisquis fiduciam somniat, quam intellectiõnem credulitatem vocauit Apostolus?* Hæc ille.

Ex his puto satis conuinci D. Paulum non fauere erroribus glossis Sectariorum quoad fiduciam illam stramineam. De qua vero fide loquatur, non adeo clarum. Secundum Dionys. super cap. 4. ad Romanos, agit de fide formata scilicet quæ per dilectionem fertur in Deum, & operatur, si opportunitas adsit. Hæc ille: hoc est non

Ioan. 1. 5

Gal. 3.

Act. 8.

Act. 9.

Tan. m. 2.
2. disp. 1.
n. 4.

Dionys.
sup. c. 4.
Rom.

Emmanuel.
Sa. notat.
in 4. ad
Rom. v.
14.
Caiet.
Veg. opus-
cul. de iu-
stif.

de fide sola, sed cum charitate, cum illo multi Theologi etiam hodierni conueniunt. Emmanuel etiam Sa in Notationibus, in 4. ad Romanos v. 14. intelligit de gratia per fidem data: sic etiam Caietanus, per fidem intelligit gratiam Christi. Vega in Opusculo de Iustificatione hanc quæstionem tractans, vult intelligi de fide nec formata nec informi, sed potius de fide abstrahente ab utroque prout scilicet est in illo priori ad gratiam, quod valde probabile videtur.

Carthus.
ex Aug.
apud Bed.
in c. 4.
Rom.

Carthusianus vero videtur omnino suum sensum ex August. apud Bedam in cap. 4. ad Roman. desumpsisse (ex operibus scilicet Augustini sua opera in epist. Pauli confecit,) vbi fusè & optime eandem doctrinam tradit, & hæresim illam non hodiernam, sed antiquam (de qua supra) nominatim referunt & refutant. dignissimum est lectu.

Origen. l.
4. in idem
c. ad Rō.

Origenes vero præ nimia fœlicitate sui ingenii lib. 4. in idem cap. ad Romanos, mire Apostolum sensuum diuerforum fœcundissimum demonstrat; & tandem, doctrinam datam solide confirmat. Quo sensu etiam iustificatio fidei soli tribui possit, declarat, scilicet dum sumatur pro ea, *Quæ ex multis partibus fidei in vnum coæternata perfectio sit*; Sic littera E. Immo littera B. dicit, iustificationem tribui fidei soli: *Quæ non compatitur peccatum vllum*; hoc est, fidei charitate formata, vt loquimur in Scholis. ibi etiam doctissime explicat, quæ opera excluduntur à iustificatione, & quæ non, secundum doctrinam à nobis traditam: fusior est, quam vt hic referam, in fonte legendus est. Nullibi vel vnum verbum de fiducia Calvinistica: artificiosè tamen & accuratè Apostolum explicat. Maximam obscuritatem in littera omnes post D. Petrum agnoscunt. Ex his vides non adeo obuium esse rectè percipere sensum Pauli: Vnde Carthusianus postquam fusè laborasset in expositione textus, sic loquitur: *Satisfeci forsân lectori in expositione presentis loci, sed non mihi ipsi, quia profunditatem verborum istorum intelligere non valeo, neque connexionem eorum cum*

D. Pet.
Carthus.

precedentibus

precedentibus atque sequentibus plene concipio. Consolatus tamen est me sermo, quem ex ore viri doctissimi Sacre Theologie Professoris condigni audiui, qui dixit: In Epist. Pauli habet Elephas ubi submergatur: quanto magis pulex, ut sum ego: unde in similibus locis comedam quantum possum: quod autem residuum fuerit, comburam igne, sanctorum & Catholicorum Doctorum expositionem sequens, & ea contentus. non enim quisquam mortalium penetrare valeat profunditatem Epistolarum D. Pauli Apostoli. Hæc ille sanctissime; non utique erubuit vir doctissimus & pietissimus suam doctam ignorantiam humiliter proptulare, potius quam periculose sapere; quod utinam Sectarii ediscerent, & facilius multo esset pax. Sed redeamus, unde non inutiliter parum digressi sumus. Fiduciam ergo illam sine omni prorsus fundamento Apostolico assertam fiducia- liter credimus.

Est quidem, ut rectè Vega, fides diuina, quâ credimus promissionibus Dei: sed eadem cum historica (ut ipsi loquuntur) & est donum Dei, quo scil. credimus, propter veracitatem dicentis, omnes veritates, omnes promissiones à Deo in Scripturis reuelatas, esse veras: & si pro futuro sunt, suo tempore adimplendas: sed idem est obiectum formale vtriusque, scil. Deum reuelantem: materiale, omnia quæ Deus reuelauit, non vero specialem misericordiam eius mihi applicatam. Fides igitur ab Apostolis sic decantata, non est fides ipsorum de applicatione certa iustitiæ Christi mihi.

Vnde; quas afferunt scripturas de his; non ad rem.

Fides igitur, ut optime Horant. cap. 64. dat certitudinem remissionis peccatorum in genere, credentibus & perseverantibus, non autem mihi speciatim; sed spei est. spes enim ad individuum & singulare applicat: si ergo aliquid est, ad spem, non ad fidem, spectat. Immo fiducia hæc est modus quidam & robur spei, ut loquitur Bannes 2. 2. q. 1. ar. 1. ex D. Tho. q. 129. ar. 6. Spes vero solum habet probabilem presumptionem futuritionis rei, non de diuina misericordia, quam scimus omnibus etiam peccatoribus (quicquid obloqua-

*Horant.
c. 64.*

tur Calvinus) paratissimam; sed magis de iustitia & salute nostra, de pœnitentia, de obseruatione mandatorum, deque aliis operibus, de quibus certam verbi Dei cognitionem præter paucos, quibus suam salutem Dominus prænuñciat (vt Magdalene contigit, Paralytico etiam, Petro, Paulo, cæterisque aliis) & certum fidei assensum expressum in scripturis nemo habet. Hæc ille vir doctissimus. & c. 65. affert & soluit rationes Calvinii in oppositum, quas non refero, quia non superaddunt rationibus aliorum.

Idem c.
65.

Hæc veritas solet à quibusdam sic probari contra eos: Non teneor iure diuino credere, nisi veritatibus reuelatis à Deo: sed non est veritas reuelata à Deo, singulos fideles esse saluandos; ergo singuli non tenentur hoc credere.

Sed putem hoc parum concludere contra eos: immo eos totum concessuros.

Debet ergo minor esse talis: sed non est veritas reuelata à Deo, singulos homines, communiter viuentes, esse actu iustificatos, vel saluandos, per fortissimam applicationem (per illam confidentiam) factam iustitiæ Christi, ergo.

Et tunc negabunt minorem. dicunt vtique esse reuelatum in Scripturis, vnumquemque qui sibi per fidem certo applicauerit merita Christi, esse iustificatum. Hinc *Matth. 9.* illud *Matth. 9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: Fides tua te saluam fecit.* & illud. *Fiat tibi sicut credidisti.*

Ad probationem ergo minoris, subsumentur vnica ex probationibus prioribus, quas adduxi ex Vega contra hanc confidentiam, & efficaciter concludit. pondera.

Veg.

Ad illud *Matth. 9. Confide fili, &c.* sunt verba Christi Domini Paralytico, vbi reuelauit ipsi remissionem peccatorum suorum, adiungens *confide*, id est, noli esse de hoc anxius, sufficiat me dixisse. Et merito sane potuit confidere, id est, fide diuina credere se esse iustificatum, cum veritas hoc reuelauerit.

Adde quod (*Confide*) ibi non importat *crede*, sed *sume*

animum, vel consolare, quia remittuntur tibi peccata tua, sic etiam Anglice reddita sunt: & Marc. 2. vbi Marc. 2. idem miraculum refertur, omittitur illud *Confide*. Non posuit ergo Spiritus sanctus, vim ibi, sed in remissione peccatorum, prout etiam Luc. 5. Luc. 5.

Dicitur quidem in singulis locis: *quod cum Iesus videret fidem illorum, dixit ei: Fili remittuntur tibi, &c.*

Non tamen intellexit de confidentia illa, quasi pro certo velit curare eum, sed prout explicatur Luc. 5. de Leproso: *Domine, si vis, potes me mundare.* vbi refertur ad omnipotentiam, quod est credere Iesum Christum esse Deum, quia omnipotentem. & tunc nihil ad rem.

Ad alterum Luc. 7. est historia Magdalenæ, de qua, Luc. 7. postquam elicuerat multos actus pœnitentiæ, flendo; misericordiæ, tergendo; dilectionis, osculando, tunc Christus Simoni: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit.*

Ecce causam remissionis principalem, esse dilectionem, non tamen excludendo cæteras; sed hæc dedit vitam reliquis.

Tandem mulieri: *Fides tua te saluam fecit, vade in pace;* id est, *Fides tua*, quæ te mouit ad hos actus dilectionis, *saluam fecit*, quia te per opera dilectionis ad iustificationem perduxit, ipsissimam sententiam Pauli: *Fides quæ per dilectionem operatur.* tandem quid hic de confidentia? nec apex. Paul.

Ad illud ex Matth. 8. est historia Centurionis, qui plenus fide confessus fuerat Domino: *Dic verbum, & sanabitur puer meus.* quid hic de confidentia illa? sed est solus actus credendi & profitendi omnipotentiam Dei in Christo, ad verbum eius, omnia facta sunt, & quanto magis nunc, ad verbum eius sanaretur puer meus; hoc audito, post alia ei Christus: *Fiat tibi sicut credidisti.* hoc est, vere credidisti me Deum & omnipotentem: *fiat tibi sicut credidisti.* Matth. 8.

Solent quidem adducere aliqua loca Patrum, vbi videntur subinde se credere iustos.

Vniuers. Louanienfis. in Conf. a. 9. Optime igitur Vniuersitas Louaniensis, in Confessione sua art. 9. *Fides qua quis firmiter credit & certo statuit propter Christum sibi esse remissa peccata, seque possessurum vitam aeternam, nullum habet in Scripturis testimonium, immo ipsidem aduersatur, etiam si firma, & certa spe expectare debemus in hac quidem vita per sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ peccatorum remissionem; in seculo autem futuro vitam aeternam.*

Trid. sess. 6. can. 3. Tandem igitur Concil. Trident. sess. 6. can. 13. dicit: *Si quis dixerit omni homini ad remissionem peccatorum assequendam, necessarium esse ut credat certo & absque vlla hesitatione propriæ infirmitatis & indispositionis, peccata esse sibi remissa,*

Can. 14. *Anathema sit. Can. 14. Si quis dixerit hominem à peccatis absolui, ac iustificari, ex eo quod se absolui ac iustificari certo credat: aut neminem vere esse iustificatum nisi qui credat se esse iustificatum, & hac sola fide, absolutionem & iustificationem perfici, Anathema sit.*

Ad loca Patrum, vbi insinuant credere se esse iustos, vel alios posse sic credere, non est huius loci examinare, nec ipsos textus adferre; quia non ad rem.

Sed de his in loco speciali inferius: saltem nondum vidi quod dixerint, vel crediderint se iustos per solam confidentiam applicandi Christi iusticiam vel merita sibiipsis: quod esset propositum.

Afferunt alios textus Patrum, quibus dicunt sola fide iustificari. vbi notandum est, nec vnum adferri, in quo fiducia illa peccatorum iustificare dicatur: si quid dicunt; est de fide Christi mundo per Apostolos prædicata; & sic nihil iuuat eos.

Orig. inc. 3. ad Rom. Sicut illud Origenis in cap. 3. ad Rom. *Et dicit Apostolus sufficere solius Fidei iustificationem, ita ut credens quis tantummodo, iustificetur, etiam si nihil ab eo operis fuerit expletum.*

Vbi manifestè, nihil de fide hac speciali, sed de fide Latronis & Magdalena dat instantias, quæ erant Confessio Christi. Deinde solum excludit *Expletionem operum*

Bell. to. 4. lib. 1. de iust. cap. 23. externorum, vt rectè notauit Bellarminus tom 4. lib. 1. de iust. Iustificatione cap. 23. quod vel illud verbum *Fuerit expletum satis euincit; non autè opera dilectionis, vel alia interiora.*

Adde etiam de latrone, quod fecit publicam Confessionem fidei in cruce, qui fuit actus nobilissimus, & bene potuit acceptari à Deo ad salutem; sic etiam peccatrix publice confessa est Christum coram Iudæis, qui fuit actus heroïcus ex magno affectu procedens.

Adde quoq; propter illud factum latronis; etiam primum actum fidei posse esse meritorium: potest enim voluntas prævio iudicio intellectus iudicantis, quod Deus est credendus & amandus, moueri propter Deum, & imperare intellectui, vt credat; & tunc talis actus erit meritorius, quia libere elicitus, & per gratiam Dei excitatus.

Quod si dixeris fidem esse principium iustitiæ, & charitatis secundum antedicta: ergo ante primum actum fidei non potest esse actus dilectionis & charitatis, & consequenter nec meritum:

Ad solutionem huius, bene notandum est, vt rectè notauit Petigianis 3. d. 25. art. 3. sub finem, Quod fides sola prioritare naturæ præcedit charitatem in iustificatione impii: in eodem enim instanti temporis homo credit, & diligit; & in eodem instanti temporis infunditur charitas, per quam ille actus fidei est meritorius; sicut primus actus pœnitentiæ est meritorius per charitatem superuenientem, non tamen elicitur à charitate habituali; quia non præsupponit illam, quamuis sit actus dilectionis. & sic sine dubio fuit in latrone eminentissime; vnde optimo iure poterat acceptari in ordine ad præmium. Vel etiam potest dici cum Carthusiano super 4. ad Rom. quod ei qui non operatur, id est, qui opportunitatem seu tempus & locum operandi non habet, credenti autem in eum qui iustificat impium, id est, Christum, qui peccatori gratis ignoscit, gratiamque infundit, ante cuius infusionem, peccator veniam promereri non potest de condigno, reputatur fides eius, id est, actus fidei interior, sine opere exteriori ad iustitiam; vt in latrone. Hæc ille.

Etiam Basil. in homil. de humilitate: *Hæc est perfecta de humil.*

Et integra gloriatio in Deo, quando neque ob iustitiam suam quis se iactat: sed nouit quidem seipsum vere iustitiæ indignum, sola autem fide in Christo iustificatum.

Hic locus si aliquid valeret, potius eorum errorem iuaret de imputatiua iustitia Christi; sed nec illud: dicit ergo solum omnem iustitiam nostram deriuari à fide in Christum, & non à nobis. quod utique verum est; res est clara ex verbis eius.

Veg. Alia authoritates ad idem; sed eadem solutio toties repetita singulis abundè facit satis. vnde Vega dat regulam generalem intelligendi omnes locutiones Sanctorum Patrum, vbi insinuari videntur per solam fidem iustificari, quod per (*solam*) volunt excludere omnes alias sectas, & vias ad salutem, nisi per fidem Christi. Quod aliquando verum est, sicut de quodam textu Ambrosij apud eum patet. Casalius vero dicit (*sola*) excludere opera præcedentia, non sequentia iustificationem; vt

Casal. etiam dicit Ambrosius in c. 4. ad Hebr. vbi cum magna eïogia tribuisset fidei nostræ, scil. Catholicæ, subiungit, *sola fides non sufficit.* Nisi vis ergo ad *uoluntatem* admittere, quod friuolum est cogitare, vbi dixerat ante solam fidem iustificari. expone vt dixi.

Ad regulam autem illam Vegæ multa possunt adferri loca ex sanctis Patribus, vbi illa confirmatur.

Leo. epist. Sicut Leo in epist. 70. *Sola fides Catholica viuificat: vbi*
70. *manifestè excludit falsas sectas.* Sed vt dixi ante, sæpe vera est; sæpius tamen alios sensus admittunt, quorum frequentior est iste à Casalio adductus, & alibi à Vega frequenter tactus.

Casal. & Veg. Sed ad solutionem textuum tam sacrae scripturae, quam sanctorum Patrum, dignissima est regula D. Thomæ, Quæstionibus de veritate, quæst. 14. art. 5. ad 12. *Quod quando aliquod commune multis, tribuitur specialiter aliqui, illud prouenit, aut quia in illo excellentissime reperitur, aut quia primò reperitur.* verbi gratiâ, viuificare tribuitur animæ vegetatiuæ; quia hæc primò viuificat, atque ita quia fides est fundamentum nostræ iustificationis, & vi-

tæ spiritualis, ideo iustificatio, & salus hominis fidei attribuitur. Hæc Petigianis 3. d. 23. quæst. vnica art. 19. *Petig. 3. d. 23. quæ. vn.* rectissime. Fides enim primò iustificat, sed non principaliter: & in hoc sensu dicit August. tract. 19. in Ioann. *a. 19.* Fidem esse animæ vitam, quia scilicet primò viuificat, seu *Aug. tra. 19. in Ioan.* ianuas vitæ aperit: & ad hunc sensum dicitur Actor. 15. *Act. 15.* per fidem Purificari corda & obtineri vitæ æternæ hereditatem. Sic Ioan. cap. II. *Ioan. c. II.* Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. sed ad singula loca, ab eis in oppositum afferri solita, præstat, respondeamus.

Ad argumenta ex Scripturis.

Ad priora verba primi textus satis & sæpe quæstionibus præcedentibus; scilicet D. Paulum velle, neminem *Paul.* ex meritis iustificatum: quod sequitur *per legem cognitio peccati.* vult legem ostendere quid faciendum, quid non faciendum, hoc est, cognitio peccati, non autem dat quod iubet, non dat gratiam ad implendam eam, sequitur: *Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & Prophetis.* Subobscura sunt hæc verba, Non quod vlli parti præsentis difficultatis faueant; sed ne videantur sibi repugnare, & ex hoc capite, tam antiquos quam modernos torserunt.

August. autem exponit, quasi dixisset Paulus, *Iustitia* quæ est sine operibus legis, *Manifestata est & testificata per Legem & Prophetas.* Sic ille l. 6. contra Pelag. & Cœlest. *Aug. l. 6. cõr. Pelag. & Cœlest. de gr. Chr.* de gratia Christi.

Sequitur: *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt.* id est, super omnes credentes, qui volunt viuere secundum fidem Christi, vel *super omnes credentes,* id est, super solos qui credunt; omnes enim qui iustificantur, per fidem Christi iustificantur; alias enim manifestum est secundum Paulum vbique, non omnes fideles esse iustos, vel saluos; vt notauimus superius de Corinthiis.

Ad secundum dici posset consequenter ad ea, quæ su-

perius dixi, conciliando Iacobum Paulo, quod Abraham fuit iustissimus, vt testatur ibi Scriptura, antequam occasio fuit credendi promissionibus illis, reputatum tamen fuit ei ad iustitiam, quia per actum voluntatis, quo voluit credere, meruit augmentum iustitiæ: & hoc modo exponendo textum, nihil esset contra nos. Si forte dicas per hunc locum conuinci nec opera post iustificationem mereri augmentum iustitiæ, quia Paulus hic reicit opera Abrahamæ nunc iusti,

Paul.

Respondeo, sicut nunc, quod credere, seu actus voluntatis qui fuit actus obedientiæ, quo voluit credere, reputatus ei erat ad iustitiam,

Actus enim fidei nouus, seu de nouo elicitus post iustificationem, auget iustitiam, & vere meretur eius incrementum.

Idem

Quid mirum igitur si dixerit Paulus, *credidit Abraham* (scilicet iustus) & *reputatū est ei ad iustitiam*. Exclusa ergo solū sunt opera, nō ex fide facta, seu non ex gratia elicita:

Smyth. O-
pus. de vo-
cis Mona-
sticis.

Vel vt optime Popularis noster Smytheus contemporeanus Petri Martyris, in suo Opusc. de votis Monasticis contra eum dicit, D. Paulum antithesim & quandam oppositionem vbique ponere inter fidem, gratiam & legem; vt apud eum esse ex Lege, sit non esse ex fide, & e contra. vnde elicit, Apostolum solum reicere in ordine ad salutem & iustificationem, opera liberi Arbitrii facta sine gratia Christi adminiculatrice; & eos homines sub lege, seu ex lege à D. Paulo dici, quia iustitiam sectantur ex operibus legis, non ex fide, Rom. 9. *Et querunt suam statuere iustitiam*, id est, quam iactant & gloriantur ex sese sibi inesse, non ex Deo impertitam; & *Dei iustitie*, hoc est, quam ille, hominem iustificando elargitur: *non sunt subiecti*. Meo certo videri, hæc huius viri doctissimi, Pauli expositio, est genuina, & nostræ doctrinæ exacte respondet.

Rom. 9.

Sed quia intentio Apostoli est in illo loco deprimere omnia opera legis, præter legis fidei, aliter forte dicendum videretur.

Sensus ergo Pauli in hoc loco est, vt recte discurret
 Casal. lib. 2. cap. 12. ostendere contra superbiam Iu- *Casal. l. 2. c. 12.*
 daeorum, iustitiam nostram per Christum, vel benedi-
 ctionem Abrahæ in semine suo, id est, Christo, in quo
 omnes Gentes benedicentur vi promissionis diuinæ factæ
 Abrahæ, non fuisse promissam tempore legis; quia 430. *Rom. 4.*
 annos ante legem, Roman. 4. nec vi legis, vel operum
 legis futuræ; quia absolutè, sine vlla prorsus conditio-
 ne de futura obseruatione mandatorum; si ergo nunc
 Deus ob meritum operum legis benediceret Gentes in
 Christo, sicut volebant Iudæi, æstimantes proinde illis
 ex debito dari fidem Christi, &c. tunc *exinanita est fides,*
abolita promissio; quia iam ex operibus: promissio autem
 Abrahæ erat gratuita; cessante ergo ratione *gratuiti;*
 cessat promissio, & *infidelis esset Deus.* hic scopus.

Sic etiam Rupertus ab illo citatus, ostendendo pro- *Rupert.*
 missiones legis esse conditionales, Si hoc vel illud fece-
 ris. promissiones autem Abrahæ & Dauidi absque om-
 ni conditione factas fuisse.

Hactenus rectè; sed manet difficultas; nec illam ex-
 cutit Casalius. quia saltem fidei tribuitur iustitia nostra: *Casal. Rom. 4.*
Ex fide iustificat gentes. & Rom. 4. vocat *iustitiam fidei.*

Ad hoc igitur optime Augustinus vbi supra lib. de *Aug. vbi*
 Præd. Sanct. c. 7. *Ex fide autem dicit iustificari hominem,* *sup. lib. de*
non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur *Prædest. Sanct. c. 7.*
cætera, quæ proprie opera nuncupantur. Fides ergo nomina-
 tur, quia ipsa est donum Dei, immo opus Dei, licet
 etiam sit opus nostrum. vt pulchre Vega: hinc autem *Vega.*
 nulla gloriatio, quia vere accepit homo, non ex meritis,
 sed gratuita donatione Dei.

Hæc igitur ratio cur fidei præcipue, & frequentius
 tribuatur iustificatio Christi; quia ipsa est ianua & fun-
 damentum eius, & omnis spiritualis structuræ. secun-
 dum illud, *Oportet accedentem ad Deum credere quia est.*

Ad hoc etiam Augustinus l. de gratia & l. de arbitrio *Aug. l. de*
 c. 7. *Homines non intelligentes quod ait ipse Apostolus Pau-* *Grat. c. l.*
lus, arbitrantur hominem iustificari per fidem sine operibus *de Arbis. c. 7.*

154 *Problema vigesimumsecundum,*
legis, putauerunt eum dicere, sufficere homini fidem, etiamsi
male uiuat, & bona non opera habeat, quod absit, ut semiret vas
electionis.

Fateor huic locum non vrgeri contra Nostrates, qui hoc non tenent; bene tamen contra alios, sub eodem nomine, licet non sensu gloriantes.

Casal. c. II
fol. 236. His positis, facile est respondere ad reliquos textus Pauli; qui ex eodem capite soluuntur: egregium tamen est quod notauit Casalius cap. II. fol. 236. *Peccatores uenientes ad Christum, iustificari sola fide: sola; excludendo legem factorum, & opera illius, etiam bona precedentia fidem; non autem excludendo legem fidei: Lex enim fidei iustificat, ad Romanos 3 id est, solum Euangelium salutis iustificat uenientes ad Christum. hoc est, recipiendo Euangelium, iustificamur, recipitur uero per fidem & obedientiam, &c.* Non ergo sola fides iustificat, sed Euangelium, sensu iam dicto.

Rom. 3.

Quando ergo alibi dicitur à Paulo, fidem iustificare, intelligi debet lex fidei, id est, Euangelium cum omnibus scilicet contentis: sic ille. & tunc ad omnia nullo negotio respondetur.

Veg. qu. 2.
fol. 825.
col. 1.

Ad idem etiam Vega quæst. 2. fol. 825. col. 1. Status noster scilicet sub Euangelio, vocatur status fidei; immo & fides secundum Paulum: Nemini ergo mirum, si iustificatio tribuatur fidei; cum omnia comprehendantur sub nomine fidei apud diuum Paulum: Lex Euangelii lex fidei vocatur; non tamen excludendo à lege nostra præcepta de faciendo; unde legi factorum opposuit legem fidei, non fidem; ne illa sola requisita ad iustificationem videretur. Lex autem ipsa plura præscribere dignoscitur. Postea ex D. Paulo: *Legem ergo destruximus per fidem? Absit; sed legem statuimus;* Destruisset tamen, si nihil præter fidem requisisset in nobis.

Paul.

Petes forte, Quare igitur uetus, uocetur lex factorum, noua, lex fidei?

Vega ex
Aug.

Ad hoc respondet rectissime Vega ibidem ex Augustino, quia in veteri, plurima de faciendis mandata sunt; idcò secundum Petrum importabilis erat; pauca tamen

credenda. Noua vero pauca præcipit, nam ultra ea quæ legis sunt naturæ, nullum habemus speciale iuris diuini, nisi præceptum de credendo, & de Baptismo, Confessione & Eucharistia. Quod etiam est commune Doctorum. Plurima vero in tempore Euangelii, sunt de credendis; multa enim hodie sunt reuelata mysteria quæ non antiquitus.

D. August. lib. de Spirit. & lit. cap. 13. proponit sibi hanc quæstionem, Quomodo lex factorum differt à lege fidei; vbi post alia, breuiter dicit, in hoc differre: *Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat; illa dicit, Non concupisces, ista dicit, Cum scirem, quia nemo potest esse continens, nisi Deus det, &c. adij. Dominum & deprecatus sum, &c. Clare ergo habetur differentia inter has leges, quod lex factorum dicitur, eo quia iubet tantum operari, lex vero fidei dicitur eo quia credit non posse quod iubetur, recte operari, nisi adiuetur dono Dei, & ideo differunt, quia lex fidei tollit omnem noxam gloriationem, cum non tribuat bene operari viribus nostris, sed gratiæ Dei. Nescio quid amplius possit ad solutionem totius controuersiæ desiderari.*

D. Aug.
l. de spir.
& lit. c. 13

Tandem nusquam in tota ferie sacre Paginæ, vel in omnibus voluminibus sanctorum Patrum, vsque in hodiernum diem inuentus est locus, in quo dicatur, *Iustificari hominem ex sola apprehensione promissionis per fidem. Immo aut iustificationem non æque pendere ex conditione aliarum virtutum.* Quin potius in infinitis locis Scriptura testatur, & Patres concinunt, & iustificationem & salutem, æque pendere ex conditione pœnitentiæ, dilectionis Dei, &c. ac ex fide, in quocumque sensu sumpta.

Grauis tamen videtur obiectio ex verbis Ambrosii libro 2. cap. 2 in fine de Iacob, & vita beata, vbi sic dicit: *Agnouit Isaac notum odorem generis sui, recognouit stolam Scripturæ veteris, sed vocem plebis veteris non recognouit; & ideo cognouit esse mutatam; manet enim hodie stola eadem, sed populi deuotionis canora cæpit esse confessio. merito dixit, vox quidē vox Iacob, manus autē manus Esau, & odoratus est odorē vestimentorum. Et fortasse illud est, quia non operibus iustificamur*

Amb. l. 2
c. 2.

sed fide, quoniam carnalis infirmitas operibus impedimento est, sed fidei claritas factorum obumbrat errorem, quæ meretur veniam delictorum. Ergo secundum eum fides sola iustificat.

*Vellof. ad
quæsit. 27.
sup. Amb.
ex Magist.
3. d. 23.
Rom.*

Vellofillus ad quæsitum 27. in fine super Ambrosium respondet ad hunc locum ex Magistro 3. d. 23. qui citat eundem Ambrosium super epist. ad Romanos, ubi dicit quod *Charitas est mater omnium virtutum, quæ omnes informat, sine qua nulla vera virtus est: Fides ergo operans per dilectionem, virtus est, quæ non visa creduntur. hæc est fundamentum quod mutari non potest, ut ait Apostolus, quæ posita in fundamento neminem perire sinit.* Ex quibus verbis manifeste patet Ambrosium tribuere iustificationem nostram, non fidei simpliciter, sed fidei formatæ. Quæ solutio licet optimæ innitatur doctrinæ, utique conformi omnibus Patribus, præsertim Augustino dicenti: *Fundamentum est Christus Iesus, id est, Christi fides, scilicet quæ per dilectionem operatur, per quam Christus habitat in cordibus nostris, quæ neminem perire sinit; & alibi Augustinus est frequens.*

August.

Magist.

Tamen quia solutio Magistri nititur Commentariis Ambrosii ad Rom. qui ipsius non sunt (licet ad hominem bene valeat, quia ipsi agnoscunt eius esse opus) propterea aliunde respondendum erit.

Ambros.

Dico igitur Ambrosium in ipsomet loco citato, sibi ipsi solutionem dare; non negat enim opera iustificare simpliciter, sed seipsum explicans, dicit, eatenus nos non iustificari operibus, quatenus *carnalis infirmitas operibus impedimento est.* quasi diceret, opera facta ex infirmitate carnis, seu viribus naturæ non iustificare: & hoc solum vult; quæ etiam est doctrina nostra. addit. *Sed fidei claritas factorum obumbrat errorem.* Id est, per lumen fidei nouimus debilitatem nostram, & factorum errorem, quia vere adiuti per fidem, videmus opera nostra antefacta esse erronea, in quantum non ducebant nec valebant ad lumen gratiæ & gloriæ. addit. Quæ meretur veniam delictorum. id est, opera facta ex fide meren-

tur, modo superius ex Augustino exposito, veniam peccatorum. quod nihil est contra nos. Quod autem hic fit sensus eius, videtur patere ex Antithesi quam ponit, non inter opera & fidem, sed inter carnalem infirmitatem, *qua operibus impedimento, & fidem, qua meretur veniam delictorum*; scil. opera iuuando & promouendo, quæ infirmitas carnis impediatur. sic est sensus integer & optimo sibi quadrat. Vult igitur opera sine fide non valere: cum fide (non illa fiduciali, sed Christi, de qua ibi agit) ad remissionem peccatorum valere. dicit enim fuisse errorem factorum sub lege, quam fidei claritas obumbrat; posita autem fide seu fidei claritate, iam lucem piorum factorum vocitat; vt paulo ante ibidem patet. vnde Horant. l. i. c. *Horat. l. i. c. 60.* in fine, facile se expedit ab hoc loco, dicens: *Certe hic si quid ego sapio, non iustitia nostra destruitur, sed magis corroboratur, modo sit iustitia ex fide & ex Deo.* sic ille rectissime.

Fufius institi in declaratione huius Problematis, quia graue semper habitum est. sed vt ingenue dicam; putem totam hanc quæstionem intercidiſſe inter doctos Protestantés & nos, nisi velimus ludere verbis: quæstio enim nunquam fuit de causa efficiente iustificationis; quia, vt dixi, est solus Deus secundum omnes: nec etiam de meritoria: quia, vt etiam dixi, est solus Christus, seu passio eius: nec de materiali, quia illi est subiectum, quod dicitur iustificari, scil. homo. sicut paries respectu albedinis: nec de finali, quia finis omnium Prædestinatorum, est Christus, quia ad Ephes. i. *Prædestinauit nos per Iesum Christum in ipsum.* *Ephes. i.*

Si quid ergo difficultatis; est de causa formali: sed nec hanc tribuunt Protestantés fidei; quia vt expresse declaratur in libro homiliarum (vt vocatur apud Anglos, & *l. Homil. Confessio Angl.* magnam habet authoritatem apud eos.) *Habitus vel actus fidei nostra non iustificat nos, hoc vtiq; esset tribuere iustificationem alicui virtuti vel actui in nobis; dicit autem D. Paulus ad Rom. 8. 33. Deus iustificat. postea. Fides directe nos mittit ad Christum pro remissione peccatorum, & per fi-*

Problema vigesimumsecundum,
dem nobis à Deo infusam, recurrimus ad promissiones Dei pro
misericordia & remissione peccatorum.

Ecce apertissime constat; in nullo genere causæ, iustificationem nostram attribui fidei. immo secundum eos nullatenus nos iustificari per fidem, nisi fundamentaliter velis dicere, seu per modum conditionis vel dispositionis; quod etiam fusè in quæstione de merito diximus, & probauimus ex Augustino, & definitur in
August.
Trid. sess. 6. c. 7.

c. 7. Quod si dixeris iustificationem acquiri per fidem, per modum applicationis vel apprehensionis meritum, seu iustitiæ Christi; puto posse sanum & Catholicum sensum ferre; quia vere nos per fidem, (secundum illud, *Oportet accedentem ad Deum credere quia est*) credendo promissionibus Dei in Christo, seu meritis passionum Christi, orando, amando, &c. tandem obtinemus per Christum iustitiam nostram.

Hæc doctrina eorum, & nostra; nec plus dant fidei, quam Concilium Trid. quoad iustificationem, si caute exponantur, scil. modo iam dicto. differentia vero est, de qua fide intelligi debet. Ipsi de fiducia seu actu confidentiæ in promissionibus Dei. nos vero hanc coincidere æstimamus cum illa fide Christi, vbique gentibus prædicata, qua credimus omnibus promissionibus Dei. (nisi rectius dixeris vt ante, potius ad spem pertinere.) Hic ergo pax facillime ineunda sic etiam D. Montacutius articulum *de fide*, rectè explicat.

Montacut.

Immo ipsi attribuunt, non fidei isti speciali, sed fidei Christi, sicut nos. nam in articulis Confessionis Anglicæ, non specificatur vlla fides, nisi fides de qua vbique Apostoli. Nulla igitur differentia quoad hoc punctum.


Confessio
Angl.

Quod vero additum est in Homilia per parenthesin, *Hoc utique esset tribuere iustificationem habitui vel actui in nobis*; videtur negare iustitiam inhærentem, sed vere nihil minus intenditur, quia statim subditur, *Sed Deus est qui iustificat*. Negat ergo illam causalitatem habitui, vel actui, quem tribuit ex D. Paulo, Deo: illa autem est

Homil.

efficientis. solum ergo illud nobis negat, vel virtutibus in nobis. habitus quidem concurrunt effectiue ad suos actus, & actus ad habitus producendos, ex Doctore *i. d. Scot. i. d.* 17. sic habitus iustitiæ ad actus eius, sicut charitas ad diligendum Deum &c. nullo tamen modo ad ipsam iustificationem, quia non ad seipsam; iustificatio autem sumpta pro forma seu termino motus, est ipse habitus iustitiæ.

Ecce igitur plane & plene conuenimus. Et hinc vt patet Quæstione sequenti, doctiores Protestantes tribuunt iustificationem nostram intrinsecam habitui iustitiæ: non ergo fidei. Immo hæc nostra positio solemniter Cantabrigiæ in Comitibus anniuersariis, pro actu Doctorali hoc anno corrente mense Iulio agitata & probata est.



P R O B L E M A

VIGESIMVM TERTIVM.

De Iustitia imputatiua.

An iustitia nostra formaliter sit iustitia Christi nobis imputata, vel alia nobis infusa.

QVæstio inter nos & Sectarios, non est de potentia Dei absoluta, id est, an Deus potest peccatorem iustificare non infundendo ei gratiam, seu iustitiam inhaerentem, sed quid de potentia ordinaria.

Inter Theologos tamen hoc agitur.



PROBLEMA

VIGESIMVM QVARTVM.

Sit ergo Quæstio,

An Deus de potentia absoluta potest hominem iustificare non infundendo gratiam.

Diuus Thomas & sui, negant peccatum posse remitti sine infusione gratiæ; à fortiori, nec posse iustificari sine ea. de hoc agunt ipsi post diuum Thomam, *D. Th. 1. 2. quæst. 113. art. 2.* Fundamentum horum est, quia *q. 113. 4. 2.* æstimant peccatum & gratiam priuatiuè opponi: non quidem simpliciter; quia ante lapsum dari potuit homo in puris naturalibus, qui nec gratiam nec peccatum haberet; sed secus post lapsum: ante, potuit habere negationem rectitudinis supernaturalis, nunc vero, priuationem; & sic peccatum.

Probatur primò, Peccatum dicit vulnus & animæ infirmitatem: sed implicat animam vulneratam sanari, nisi per salutem inhaerentem. ergo; Confirmatur. quia dum remittitur peccatum, fit anima de immunda, munda: sed hoc, non potest fieri sine aliqua mutatione reali, quæ terminatur ad aliquam formam, quæ peccato repugnat. ergo.

Secundò, ab vno contrario ad aliud non fit transitus, nisi per transmutationem realem: sed anima sic transit, quia dum tollitur peccatum, vel se habet sicut ante, vel alio modo: si primum, ergo, immunda est; si secundum, ergo mutata. His non obstantibus.

Doctor Subtilis 4. d. 1. q. 6. d. 14. q. 2. & d. 16. q. 2. *scot. 4. d. 1. q. 6. d. 14. q. 2. & d. 16. q. 2.*
 tenet possibile esse, omnem culpam tam originalem, quam actuale tolli sine diuinæ gratiæ infusione. vbi oportet scire quod peccatum post actum peccati, id est peccatum habituale, quo manet homo denominatus peccator, non est aliqua entitas physica, sed moralis; & dicitur actuale peccatum manere in virtute, vel per virtualem præsentiam, vel alio simili modo, qui necessario deducitur ad moralitatem quandam quæ durat, & denominat hominem auersum à Deo; & reuera facit illum dignum odio, & inimicitia Dei, quamdiu non deletur: nec est denominatio extrinseca, à quo homo transacto actu dicitur peccator. sed manet aliquid, quod intrinsece denominat illum; vt patet in sensu Scripturarum, & in Trid. sess. 5. §. 5. vbi damnantur illi qui dixerunt, quod per gratiam in Baptismo collatam, non tollitur aut remittitur reatus peccati originalis, aut totum illud quod propriam & veram rationem habet peccati. & ibidem dicitur, quod peccatum originale vnicuique est proprium. *Trid. sess. 5. §. 5.*

Ex quibus locis Herrera disp. 41. q. 1. deducit hoc argumentum: *Herrer. disp. 1. q. 1.*

Illud est peccatum originale in nobis, quod fuit in Adamo habituale: sed in nobis est aliquid intrinsece inherens, ergo in Adamo. Ex quo vltra sequitur, peccatum in nobis esse quid intrinsecum. Adde, & reale, non quidem in ratione entis simpliciter, quia sic nihil est, sed in ratione moris. Et hæc est doctrina Doctoris 4. d. 22. §. In ista quæstione. vbi ait, obliquitatem, quæ est in actu, non proprie manere post actum, id est, manere virtualiter, seu moraliter; vt etiam recte ibi Scholiator, & d. 14. q. 1. a. 1. *scot. 4. d. 22. §. In ista quæst. Scot. & d. 14. q. 1. a. 1. Scot.*

Scotus etiam aliquando docet hominem denominari peccatorem per reatum, quia manet ad pœnam obligatus: sed loquitur ibi à posteriori, præsupponens id, ratione cuius maneat sub reatu pœnæ, per quod formaliter dicatur peccator: nam ideo manet sub reatu, quia pecca-

tor, non è conuerso manet obligatus, ergo est peccator.

Sic breuiter explicata natura peccati habitualis, videtur facile posse resolui, quod de potentia Dei absoluta peccatum potest tolli per ipsam remissionem Dei; nã sicut res illa moralis est, ita etiã moraliter & per moralem actionem tollitur; quæ actio potest esse illius, qui passus est iniuriam; quia sicut iniuria fit per voluntatem inferentis illam, ita destruitur, per illius voluntatem qui illam est passus, si illam remittat.

Ex hoc non sequitur, iniuriam vel debitum humanum consistere in imputatione, sed tantum sequitur, pendere aliquo modo ex alterius voluntate, ac remissione; nec tamen hinc peccatum causari vel conseruari, vel pendere proprie à Deo: licet vere potest à diuina voluntate destriui: & ideo dum non destruitur, permanet.

Dices non posse deuenire ab vno contradictorio ad aliud, sine mutatione subiecti, verbi gratiã, à peccatore ad non peccatorem.

Respondeo, sine mutatione rerum super quas cadit contradictiõ proportionata, Cõcedo: & sic in proposito, est mutatio moralis, sicut ipsum peccatum est quid morale: non tamen ad hoc requiritur, vel infusio gratiæ, vel alterius habitus physici, vel actus physici ipsius peccatoris; immo sine omni actu eius, potest fieri de potentia Dei. vnde Doctores 4. De pœnitentia, satis communiter tenent peccatum posse dimitti de potentia Dei sine pœnitentia, id est, absque eo quod homo retractet.

Doctores
4. de pœnitentia.

Dices peccatum siue actuale, siue habituale, est semper priuatio, illa autem non potest tolli, nisi ponatur forma, cuius est priuatio: ergo non sine mutatione reali peccatoris, quia peccatum est priuatio rectitudinis debiti inesse actui secundo, secundum Doctorem 2. d. 37.

Scot. 2. d.
37.

Respondeo quod sicut negatio potest fieri priuatio; verbi gratia, in catulo vsque in nouem dies fuit negatio visus: postea est priuatio; sic è conuerso, sic Deus hic soluendo debitum ad talem legem, facit ex priuatione negationem, remittendo scilicet iniuriam sibi factam per peccatum.

Dices, non destrui aliquod ens rationis, sine destructione alicuius realis, quia dependet ab eo; sic etiam nec moralis entitas sine aliquo ente physico.

Respondeo, quod, verbi gratiâ, homo potest fieri ex Pratore non Prator, quod est ens rationis, sine mutatione physica in se, licet bene in extrinseco, scil. voluntate conferentis; sic etiam hic est mutatio saltem extrinseca, quia ex parte temporis: nunc est peccatum, postea non esset: vbi mutatur tempus.

Patet ergo de potentia Dei, peccatum posse deleri sine infusione gratiæ. Doctor quidem vbi supra, optimas affert probationes huius veritatis. sed non est meum hic omnia referre.

Idem vbi supra.

Nec fundamentum Thomistarum videtur vrgere: quia nullatenus physice opponuntur peccatum, & gratia, vel ex natura rei, sed tantum ex ordinatione diuina; vbi decretum est gratiam demeritorie perdi ad violationem præcepti, non autem physice. Peccatum enim est priuatio reëtitudinis seu conformitatis, in actu secundo respectu legis, non autem gratiæ, vt iam dixi, ex Doctore 2. d. 35. & clarius 37. num. 3.

Idem 2. d. 35. & 37.

Reliqua soluta sunt in corpore; quia videntur supponere, & male, peccatum esse maculam physicam &c. vel aliàs nihil dicunt.

n. 3

Dices hæc quidem probant peccatum posse deleri seu remitti sine infusione gratiæ, non tamen hominem iustificari, ne quidem de potentia absoluta. probant quidem posse hominem de inimico fieri non amicum, non tamen fieri amicum seu acceptum Deo sine infusione iustitiæ formalis.

Dico igitur peccatorem posse fieri iustum sine gratia. verbi gratiâ. si homo retractet se cum auxilio Dei, & doleat de peccato; potest Deus illum iustificare de potentia sua absoluta absque infusione gratiæ habitualis. sic communiter tenent Doctores; vt notare est apud Suarez Tom. 4. disp. 9. sect. 3. puncto 2. estque aperta mens Scoti 1. d. 17. vbi probat gratiam & charitatem

Suar. Tô. 4 disp. 9. sect. 3. puncto 2. Scot. 1. d. 17. §.

Quantum
igitur ad
istum ar-
ticulum.

non esse absolute necessariam, ad iustificandum peccatorem; sed solum hoc colligit ex fide, quæ docet peccatorem iustificari per gratiam habitu inhærentem. verba eius sunt. §. Quantum igitur ad istum articulum. *Non est necessarium ponere habitum supernaturalem gratificantem; loquendo de necessitate respiciente potentiam Dei absolutam: præcipue cum posset dare beatitudinem sine omni merito præcedenti, licet sit necessarium, loquendo de necessitate quæ respicit potentiam Dei ordinatam: quam ordinationem colligimus ex scriptura & ex dictis sanctorum; ubi habemus, quod peccator est indignus vita æterna, & iustus dignus. Hæc ille.*

Et hoc sic ostendo. Quia esse iustificatum coram Deo, si accipiatur formaliter, id est diligi passivè, non dicit aliquid intrinsecum reale; sed sicut esse visum, vel esse amatum, est secundum communiter tenentes, solum extrinseca denominatio, & manifeste utrobique, est eadem ratio.

Et consequenter nulla difficultas, sic concedendo secundum Dei potentiam, hominem iustificari sine infusione gratiæ inhærentis. si autem sumatur esse gratum seu iustificatum, prout dicit obiectum proportionatum amoris diuini. sic supponit aliquod intrinsecum, propter quod est tale obiectum, & hoc modo non est sine gratia. & secundum hunc sensum loquuntur Scripturæ & Patres.

Angl. 2. d. 26. q. 1. de gratia. conclus. 2. Tandem hanc nostram opinionem doctè confirmat Angles 2. d. 26. q. 1. de gratia. conclusione 2. Ratio eius est; quia gratia non facit hominem gratum ex natura rei, sicut albedo hominem album. sed ex institutione diuina, & per consequens posset Deus supplere eius causalitatem, ita quod per solam volitionem acceptaret hominem ad gloriam. Posset enim Deus instituerè ut habens albedinem esset vita æterna dignus. vnde fatendum est cum Doctore 3. d. 26. Gab. 1. d. 17. q. 1. Almayn. in Moral. c. 1. nullam dari rationem naturalem quæ conuincat ponere hunc habitum gratiæ inhærentem.

Scot. 3. d. 26 G. d. 1. d. 17. q. 1. Almayn. in Moral. c. 1.

Dixi hætenus peccatum posse remitti & peccatorem iustificari, seu ad vitam æternam acceptari per Dei potentiam absolutam, sine infusione gratiæ, seu cuiuscûq; qualitatis creatæ.

Dico iam vltcrius; manente peccato in deordinatione culpæ, potest Deus non imputare culpam ad peccatorem, sicut etiam quemcumque actum bonum non imputare ad præmium; quia non necessitatur Deus simpliciter ex actibus nostris ad præmiandum, prout secundum omnes in confesso est: ergo nec ad puniendum.

Immo dico fortiùs, non video quare Deus non potest peccatorem ad amicitiam & gloriam ducere manente peccato in sua ratione formali, quæ scilicet consistit in priuatione conformitatis ad Legem.

Ad hoc declarandum,

Supponendum, quod conuersio hominis ad Deum est duplex, alia ad Deum tanquam legislatorem: eo enim ipso, quod legem seruamus, sicut ad legem conuersi sumus, sic ad legislatorem; sicut & qui auertitur à lege, à legislatore etiam auertitur: alia vero est conuersio ad Deum, vt finem legis, cui per charitatem vnimur, ipsumque per charitatem diligimus tanquam amicum. Prima auersio est peccato intrinseca & formalis, quia essentia peccati consistit in priuatione conformitatis ad legem: secunda tamen auersio, non est de essentia peccati mortalis; esto illud sequatur ex lege Dei instituentis quod à sua gratia cadat, qui legem violauerit, ac proinde demeretur amicitiam.

Constat igitur, quod quantum est de ratione formali peccati potest esse violatio legis sine charitatis perditione; & consequenter gratia, seu charitas & peccatum possunt esse simul per potentiam Dei absolutam.

Quod vel ex hoc efficaciter probatur; quia non implicat contradictionem, duo esse in eodem subiecto simul quæ non opponuntur physice & naturaliter; vt vbique tenet Doctor Subt. locis citatis.

*Scot. locis
citatis.*

De gloria autem non indiget speciali probatione, admissis his principiis.



PROBLEMA

VIGESIMVM QVINTVM.

*Quomodo distinguuntur potentia absoluta
& ordinata in Deo.*

AD hos terminos rectè explicandos, præmittendum quodnam sit obiectum formale & adæquatum potentia diuinæ.

In quo omnes Doctores conueniunt, obiectum formale & adæquatum diuinæ potentia esse *ens possibile*. Ita Doctor Subt. 1. d. 42. quæst. vnica, & dist. 43. quæst. vnica.

Sed quia possibile, capitur variis modis. 5. Metaph. text. 17. & 1. Post. cap. 3. Pro possibili communi ad necessarium & contingens; scilicet pro illo quod non repugnat esse, siue necessario, sit siue non: Pro possibili necessario, cui repugnat non esse; & pro possibili contingenti, cui non repugnat non esse. Doctor tamen cum communi dicit, quod possibile, quod est obiectum diuinæ potentia, est solum, & omne quod est tertio modo, id est, vt sumitur pro contingenti; quia primo modo, includitur ens per essentiam, scil. Deus, qui non habet effectiuum; possibile secundo modo, est proprium tali enti, scil. enti incausato.

Obiectum igitur formale & adæquatum diuinæ potentia, est, cui non repugnat esse, & quod non potest ex se esse necessario. Sic Doctor quæst. citata §. Sed

contra illam primam sententiam.

Hinc autem oritur difficultas in explicatione terminorum, in titulo.

Videtur enim prorsus illa diuisio eludi potentia Diuinæ in absolutam, & ordinatam, si ens possibile sensu explicato sit obiectum formale potentia diuinæ: quia potentia Dei absoluta secundum omnes est, qua Deus potest quicquid est possibile; iam autem assignatum est illud pro obiecto potentia diuinæ vt sic; ergo non est alia potentia.

Respondeo, omnem Dei potentiam esse absolutam; non tamen semper operari modo absoluto, sed aliquando secundum legem communem à Deo ordinatam: & tunc vocatur ordinata, siue sit secundum leges communes gratia vel natura; quod si operetur Deus præter has leges ab ipso positas, tunc vocatur absoluta. Sic explicat Doctor 1. d. 44. qu. vnica.

Aduertendum igitur quod potentia absoluta & ordinata in Deo non sunt duæ potentia distinctæ ex natura rei, nec formaliter: immo propriè eum dicitur potentia absoluta vel ordinata, non dicitur aliqua potentia, sed potius quidam modus agendi, scilicet ordinate vel absolute, vt recte obseruat Lychetus 1. d. 44. qu. vn. & quamplurimi hanc Doctoris & suorum explicationem amplectuntur.

*Idem 1. d.
44. q. vn.*

*Lych. 1. d.
44. q. vn.*


Diuus Thomas dicit, esse ordinatam; quando actu sic vel sic operatur. vnde si Iudas saluaretur, esset secundum legem ordinatam, quia tunc actu eueniret. Sed via Doctoris, videtur esse magis ad communem sensum Scholarum in vsu illorum terminorum.

D. Thom.

Notandum, denique quod Doctor non tantum distinguit potentiam absolutam & ordinatam in Deo, sed etiam in omni libero agente, qui potest secundum legem, & præter legem, & contra legem agere. vnde dicit, quod illud quod dicimus de potentia absoluta, Iuristæ dicunt de facto: & quod dicimus de potentia ordinata, dicunt de iure. Id enim possumus, quod de

Scot.

Lychet. ex iure possumus. Sic Lychetus ex Doctore apud quem,
Scot. & doctissimum nostrum Smifings tract. 3. disp. 7. qu. 3.
Smif. tr. 3. plura de hoc videre est.
disp. 7. q. 3



P R O B L E M A

VIGESIMVM SEXTVM.

An iustificatio peccatoris consistat in interna renouatione animi ac sanctificatione per iustitiae inhesionem, vel solum, in peccatorum occultatione per Christi iustitiae imputationem.

VT status controuersiae perfectè intelligatur, Primò sciendum, omnes conuenire de causa efficiente, & meritoria iustificationis: efficiens est Deus: meritoria Christi, solum ego controuertitur de formali.

Secundò, omnes conuenimus, simul cum remissione peccatorum in iustificatione, adiungi sanctificationem & renouationem, nec posse de potentia Dei ordinata diuelli ab inuicem; quia ipsi fatentur iustificationem esse solum naturâ posteriorem ipsa remissione.

Solum ergo quod quæritur, est: An iustificatio dicat solum remissionem, seu verius, non imputationem peccatorum: vel An etiam inuoluat illam renouationem spiritualem in anima.

Secundò, An per iustificationem præcisè loquendo, secundum suam rationem, simus iusti solum per iustitiam Christi imputatam, vel per inhaerentem in nobis charitatem, seu iustitiam.

De primo.

Sciendum, 5. Phys. motum esse de subiecto in subiectum, scilicet à termino à quo affirmatiuo, ad terminum ad quem affirmatiuum: Cum igitur iustificatio sit quidam motus, vt patet ex ipso termino; oportet, habeat in subiecto circa quod versatur, terminum à quo & ad quem; sicut dealbatio in pariete est motus alterationis à nigro ad album; sic in proposito à peccato ad iustitiam; vel sicut calefactio, non est solum expulsio frigoris, sed inductio caloris.

Sunt quidem in omni motu duæ mutationes; scilicet priuatiua & positiua: priuatiua, qua ex nigro non nigrum; positiua, qua ex non albo album. sic in proposito, in iustificatione peccatoris, est vna mutatio priuatiua, qua de inimico fit non inimicus, seu de peccatore non peccator. est etiam positiua, qua de indigno vitâ æterna fit dignus, de iniusto iustus. Sic Doctor, 1. d. 17. & ex illo Lychetus eadem d. q. 1. §. Contra istam conclusionem. & in omni philosophia constat. hæc vero duæ mutationes per diuinam potentiam sunt separabiles, sicut etiam per naturam, potest deturbari nigredo, non producendo albedinem, quia non immediate opposita: sic peccatum & gratia, non ex natura terminorum; sed ex institutione diuina sunt contraria, ergo per eius potentiam, peccatum potest expelli, & non infundi gratia, vt dixi fusiùs in quæstione priori.

Vnde Doctor 1. d. 17. dicit, quod ex illa prima mutatione, non potest concludi aliqua forma noua in iustificatione, tamen ex secunda, potest; & ibidem probat: Caietanus quidem p. 2. q. 113. a. 6. tenet quod infusio gratiæ & expulsio peccati in iustificatione sint vna mutatio secundum substantiam, quia priuatio culpæ non est ab aliquo termino positiuo, sicut in aliis mutationibus. quia peccatum est solum priuatio gratiæ: sed hoc fundamentum ostendi esse falsum. quod si esset verum, optime

Scot. 1. d.
17. ex illo
Lychet.
eadem d.
q. 1. §.
Contra
istâ & c.

Scot. 1. d.
17.

Caiet. p. 2
q. 113. a. 6.

pungeret Calvinistas; nec facile soluent argumenta ex principiis eorum.

Scot. ibidem q. 3. §. sed istud arg. & 4. d. 16. q. 2. Doctor quidem tenet ibidem q. 3. §. Sed istud argumentum. & etiam d. 16. q. 2. quod prius naturâ est mutatio illa priuatiua; quia Deus prius remittit offensam peccatori, quam det ei gratiam. quod intellige in diuerso genere causæ, scil. in genere causæ materialis, aliâ infusio gratiæ est quasi prior naturâ remissione peccatorum in genere causæ formalis; vt etiam alibi notauimus; & est communis doctrina, de omnibus huiusmodi mutationibus.

Idema. 2 Thomist. 1 2. q. 113. d. 6. & 8. Caiet. Trid. sess. 14. c. 4. 14. c. 4. Vnde dicit Doctor ibi art. 2. quod actus qui est contritio in eodem instanti temporis præcedit naturâ deletionem culpæ, licet vt formatus, sequatur deletionem peccati ordine naturæ. Thomistæ vero 1. 2. q. 113. a. 6. & 8. omnino tenent infusionem gratiæ esse priorem expulsionem culpæ in iustificatione, & Caietanus ibi dicit quod prius recipiatur in passo infusio gratiæ, quam expulsio culpæ. quam opinionem in se, licet non amplector, quia in Trid. sess. 14. c. 4. contritio declaratur esse dispositio ad gratiam, non ergo posterior ipsa gratia; tamen rationes Thomistarum ex abundanti militant contra Sectarios, quia saltem probant iustificationem non consistere formaliter in expulsionem peccati. res sane inaudita, ne dicam in Theologia, sed in Philosophia, terminum formalem alicuius actionis esse priuationem puram.

Aduersarii vero accipiunt iustificationem inadæquate, id est, prout solum dicit mutationem illam priuatiuam; non vero vt est motus completus, modo explicato.

Scot. 1. d. 17. Catholici vero adæquate de illo loquuntur, prout vtramque mutationem inuoluit. vnde Doctor 1. d. 17. dicit solam remissionem peccatorum secundum se, minus esse, quam iustum esse.

Iustificatio igitur adæquate loquendo, est translatio, seu transmutatio à statu peccati in statum gratiæ. sic

communiter Doctores Scholastici, vt rectè notat Valen-
tia l. de diuina gratia p. 4. c. 4.

Valent. l.
de diuina
gra. l. 4.
c. 4.
Caluin.

Et hinc Caluinus dicit esse *questionem verbi*, id est, de modo sumendi terminum *iustificationis*; quia in re, vt dixi, concedunt mutationem realem in voluntate, consequi ad iustificationem, id est, illum terminum ad quem positium, quam sanctificationem vocant.

A criter tamen adherent istiusmodi locutioni, & probant ex diuinis Scripturis.

Ad Rom. 4. vbi citantur verba Dauidis. *Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum resecta sunt peccata.* Rom. 4.

Sed leuiusculum est; miram vtique latitudinem, habet illud verbum *beatitudo*, in Scripturis: sumitur aliquando pro quacumque gratia à Deo collata viatori, aliquando pro quocumq; opere bono, vt passim videre est.

Gratis tamen concedendo beatitudinem ibi sumi pro iustificatione, nil aliud concluditur, quàm quod ad remissionem peccatorum concomitetur iustificatio, id est iustitia quæ est terminus eius. quod vtique verissimum est, de potentia ordinata, & secundum leges Dei: non enim datur homo sine peccato, qui non est iustus, loquendo de facto, & secundum regulas scripturæ. Dixi enim quod aded strictim connectuntur, quod vtrumque sunt vnus motus, qui vocatur iustificatio; & solum est prioritas naturæ, vnus ad alterum; immo vtrumque est prius & posterius naturâ respectu alterius, in diuerso genere causæ, vt etiam notauit: rectius autem in philosophia est, motum denominari à termino ad quem, quam à quo, igitur dicitur iustificatio propter iustitiam, quæ est terminus ad quem. vnde rectissime Emmanuel in suis notationibus in 4. Rom. *Beatus cui non imputauit*, id est, *quia remisit iustificando eum.* Dionys. etiam ibidem dicit, cum beatum, cui *Deus donat iustitiam*, id est remissionem peccati & gratiæ virtutum infusionem.

Emmanuel.
in notatio-
nibus in
4. ad Rō.
Dionys.

Non est quod alia loca ex scriptura afferam, quia non plus cōducunt: nec vllus est textus Patrum, quæ contigit me apud Aduersarios legisse, qui vllam prorsus difficultatem habeat.

Bern. ser. 22. in Cant. *Delicta iuuentutis mee, & ignorantias meas ne mineris, & iustus sum.* & ser. 23. *Sufficit mihi ad omnem iustitiam, solum habere propitiam, cui soli peccaui: & infra. Non peccare Dei iustitia est, hominis iustitia, indulgentia Dei.*

Vere loquitur sanctus Doctor, de remissione peccatorum secundum sensum Scripturæ, & modum agendi Dei secundum regulas suæ potentia ordinatæ, quod est, quicquid facit, complete facere, sicut quando curauit infirmum, non solum ab infirmitate sanauit, sed etiam potestatem ambulandi fecit: apud Deum igitur, dimittere culpam, & infundere iustitiam; eodem scilicet motu, licet diuersa mutatione: nec sine miraculo, verius sine actu secretioris & supremæ suæ potentia (legibus diuinæ prouidentia positis) potest aliter fieri; recte igitur Bernardus propter necessariam connexionem vtriusque vnus vocabulo, vtrumque expressit; aliàs ipse alibi factis hunc eorum errorem reprimit; vt in serm. 22. de

Idem ser. 22. de Magdal. *Magdalena. Sic tactus à peccatrice iustus, iustitiam imperdit, non perdit; nec sorde peccati, qua illam mundat se inquinauit. Quid clarius? vtrumque habes.*

In calce etiam huius puncti, ex proposito volebam ponere hunc textum Pauli ad idem, quia maximi faciunt; vbi probant ex D. Paulo I. ad Cor. I. iustificationem distingui à sanctificatione, scilicet Christum esse nobis factum iustitiam, sanctificationem, & redemptionem. ergo iustificatio, non dicit infusionem iustitiæ seu sanctificationem, sed solum peccatorum remissionem secundum illud I. ad Cor. 6. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis* Vbi videt, ablutio præcedit, quæ est peccatorum remissio.

Sed certe non urgent, nam, vt dixi, iustificatio est motus completus comprehendens tam remissionem peccatorum, quam sanctificationem seu infusionem gratiæ, vnde merito habent distingui formaliter loquendo; quia sanctificatio est vna solum mutatio ad termi-

num ad quem; iustificatio autem tam illum, quam terminum à quo includit, unde optime nostri, Vega lib. 5. cap. 1. & 11. & post eum Castro, verbo Fides, & Angles 2. d. 27. quæst. diff. 4. §. Quarto definitur; definiunt iustificationem esse translationem ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum Salvatorem nostrum, & sic traditur in Trident. sess. 6. cap. 4. & colligitur ad Colof. 1. *Qui fecit nos dignos*

veg. lib. 5.

c. 1 & 11.

Castro.

Angl. 2.

d. 27. qu.

vnica diff.

4. §. & c.

Trid. sess.

6. c. 4.

in partem sortis Sanctorum in lumine, & eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis sue. Cum illis etiam Doctoribus & communi sensu Theologorum conuenit noster Alensis 4. p. quæst. 17. art. 6. mem. 4.

Horant. vero lib. 1. cap. 59. sic definit: *Iustificationis ratio est transitus quidam ad formam pene diuinam, ac similem illi quam Christus habet, è cuius præstantia & merito hæc est orta.*

Alens. 4.

p. 9. 17. ar.

6. mem. 4.

Horant. 1.

Ad illud de ablutione, & c. certe plane agit partes nostras, & declarat ordinatum modum procedendi Spiritus sancti in hoc magno opere.

1. c. 59.

Ablutio enim est remissio peccatorum, quæ est prima mutatio, scilicet à termino à quo, vt dixi: sanctificatio est altera mutatio ad terminum ad quem, quæ est infusio gratiæ, iustificatio vero, est integer motus conflatus ex vtraque mutatione, quasi diceret, ablutio & sanctificatio est iustificatio.

Sed procedo.

Alterum punctum controuersiæ est; de termino pæfinitiuo huius motus, quem volunt esse iustitiam Christi, non simpliciter, sed prout peccatori imputatam, id est, prout quæstione præcedente, per fiduciam certò sibi applicatam. De hoc etiam legendus esset Angles 2. d. 27. quæst. vnica ar. 1. de iustificatione diff. 8.

Angl. 2.

d. 27. q. v.

unica ar. 1.

de iustific.

diff. 8.

Quod si recte intelligerent imputationem iustitiæ Christi nobis, quod nihil aliud est, quam Deum communicare nobis gratiam, & nostra acceptare merita, habita ratione ad passionem Christi, vt ibi notat Angles, tunc de verbo non esset altercandum: Ipsi vero

non sic, sed sensu prius explicato.

Quod sic probant ex illo textu satis agitato: *Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando hominibus peccata.* Deinde: *Eum qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit, ut essemus iustitia Dei in illo.*

Vere hæc verba (quicquid sibi persuadent) declarant doctrinam nostram, saltem quoad punctum iam decisum, scilicet, quod Deus per Christum abstulit peccata nostra, ut essemus iustitia Dei in illo, id est, primò abstulit peccata nostra: ibi mutatio primà; deinde ut simus iustitia, &c. ecce mutatio secunda; & completur iustificatio.

Dices, sed dicit Apostolus, ut *simus iustitia Dei in illo.* Ergo non per iustitiam nostram, sed per iustitiam Dei sumus iusti. Ergo ex parte nostri nihil præter Dei iustitiam seu Christi imputatam.

Respondeo, non ego, sed Augustinus l. de gratia noui Testamenti. *Vt ipsa iustitia eius nos simus, cum iuste uinimus, credentes in eum qui iustificat impium, non illâ qua ipse iustus est æterna & incommutabili iustitia.* (Sed quia nondum dissoluit nodum, postea addit:) *Non illa quâ ipse iustus: sed qua iusti homines sunt, quos gratia sua iustificat;* ibi punctum.

Probant adhuc ad Roman. 10. *Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti;* Item 2. ad Cor. 5. *Vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.*

Huiusmodi locutiones in diuinis Scripturis secundum sanctos, semper intelligebantur, non de iustitia Dei, prout in Deo, & Deus est; sed prout nostra iustitia ab ipso est effectiue; & non ex meritis, non ex operibus quæ fecimus nos, ut alibi Apostolus. qui ergo suis operibus, seu iustitiæ à seipsis acquisitæ confidunt, ignorantiam iustitiæ Dei secundum D. Paulum habent.

Et ne diceretur, nobis quidem inesse iustitiam in sanctificatione, non vero in iustificatione ipsa,

Aug. de
spir. &
lit.

Audi Augustinum de Spiritu & litera. *Iustitia Dei, non qua iustus est Deus, sed qua induit hominem cum iustificat*

impium. Ergo in ipso actu iustificationis secundum Augustinum induitur homo iustitia tunc creata.

Infinita sunt apud Augustinum clarissima locutiones. Aug. 15. de Trin. c. 17. *Quoniam tu es patientia mea: non utique propterea dictum est, quia Dei substantia est nostra patientia, sed quod ab ipso, nobis est; sicut alibi dicitur. Quoniam ab ipso est patientia mea.* Secundum Augustinum ergo: non ipsius, sed ab ipso mea patientia est.

Aug. 14.
de Trin.
c. 17.

Item de moribus Ecclesiae c. 4. pertractans illud ad Rom. 8. *Quis nos separabit à Charitate Christi? &c. Caritas, inquit, Dei hic dicta est virtus, quae animi nostri rectissima est affectio.*

Idem de
Moribus
Eccles. c. 4.
ad illud
ad Rom. 8.

Ecce dicitur Caritas Christi, quae tamen secundum Augustinum intelligitur de charitate in nobis.

Sed ad scripturas redeam. probant adhuc ex Rom. 5. *Quemadmodum per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per obedientiam unius hominis iusti constituuntur multi.*

Rom. 5.

Ad quod optime Aug. epist. 89. ad Hilar. q. 3. *Sicut ille homo scilicet Adam vitiauit posteritatem suam; ita iste Deus homo iustitia sua salvauit hereditatem suam: ille traieciendo carnis immunditiam, quod non poterat impius diabolus: iste donando spiritus sancti gratiam, quod non poterat Abel iustus.* Valde opposite concurrunt haec duo; quia sicut non per imputationem iniustitiae quae fuit in Adamo, sed per iniustitiam in nobis vere inhaerentem, & ab ipso nobis traiectam, dicimur peccatores; sic non per iustitiam Christi, quasi denominatione extrinseca; sed per iustitiam nobis inhaerentem, & ob merita & iustitiam Christi nobis realiter infusam, dicimur & sumus iusti.

Aug. ep.
89. ad Hilar.
q. 3.

sic etiam Bellar. l. 1. de iustificatione c. 9. & superius optime ponderat hunc textum; & in eius confirmationem citat August. l. 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 9.

Bellar. l. 1.
de Iust. c. 9
Aug. l. 1.
de peccat.

Cito & August. eodem lib. cap. 15. ubi dicit: *Quod ideo Christus vnus est in quo omnes iustificantur, quia non solum eius imitatio iustos facit, sed per spiritum regeneras gratia.* Quid

meritis,
&c. c. 9.
Aug. eodē
l. c. 15.

est hoc? hominem fieri iustum per regeneratam gratiam,
à spiritu Dei causatam?

Calu. l. 3. Sed ne hic opus hære, cum ipse Calvinus lib. 3. In-
Inst. c. II. stitut. cap. II. Augustinum à parte nostra stare confessus
est.

Hinc etiã fidelis Augustini discipulus & eius strenuus
Pros. ad propugnator Prosper ad cap. 6. Semipelagianorum in
c. 6. Semi- genere totam veritatem huius puncti explicat. *Justificatus*
pel. homo, id est, ex impio pius factus, nullo procedente bono merito
accipit donum, quo medio acquirat & meritum, ut quod in illo
inchoatum est per gratiam Christi, etiam per industriam liberi
augeatur Arbitrij, nusquam remoto adiutorio Dei, sine quo nec
proficere nec permanere in bono quisquam potest. Quid aliud
est ex impio fieri pius per donum acceptum in se, seu
per gratiam Christi, & illud donum augere per indu-
striam liberi Arbitrij, nisi per aliquid inhærens iustifica-
ri? Egregia certe est hæc responsio Prosperi, & singula
fere verba pondus suum habent ad diluenda tot puncta
controuersa.

Chry. I. ad Chrysostomus etiam I. ad Corinth. Hom. 5. tom. 4.
Cor. Hom. circa illud Apostoli. *In Christo Iesu, qui factus est sapientia*
5. tom. 5. nobis à Deo, & iustitia & sanctificatio & redemptio; Dicit
ille: Primum nos sapientes facit, cum sustulit errorem, & tunc
demum iustos & sanctos reddit, spiritum nobis elargitus, &c.

Quid hæreo? infinita sunt loca Sanctorum Patrum
ad idem.

Trid. c. 10. Conclusio ergo nostra sit definitio Trident. canon. 10.

& II. *Si quis dixerit homines sine iustitia Christi per quam no-*
bis meruit, iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustificatos
esse, Anathema sit. Item can. II. *Si quis dixerit homines iu-*
stificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum
remissione, exclusa gratia & charitate que in cordibus eorum per
spiritum diffunditur, atque illis inheret, aut etiam gratiam, qua
iustificamur, esse tantum fauorem Dei, Anathema sit.

& *Can. II* Vterque Canon licet ex dictis satis sint declarati sol-
uendo obiectiones aliorum, & autoritatibus sanctorum
Patrum, addemus tamen vnã vel alteram rationem
Theologicam. Doctor

Doctor Subtilis 1 d. 17. quæst. 3. §. Contra istam Con- scot. 1. d.
 clusionem, probat vtrumque sic: Peccator ante pœniten- 17. q. 3. §.
 tiam est iniustus. Ezech. 12. & 19. Post pœnitentiam est iustus; cont. istan
 sicut scriptura communiter vocat peccatorem, iniustum, & libe- conclus.
 ratum à peccato, iustum. Ex hoc sic: In iniustitia cum sit forma- Ezech. 12.
 liter priuatio; non potest auferri ab aliquo, nisi ei detur habitus ¶ 18.
 oppositus: quia priuare priuatione est habitum ponere: quia sunt
 immediatè opposita circa aptum natum, 10. Metaph. text. c. 15. 10. Meta-
 Anima est apta nata recipere iustitiam; ergo ille iustificatus qui text. c. 15.
 factus est de iniusto iustus, recipit habitum oppositum illi priuatio-
 ni: si enim nihil magis inesset formaliter nunc quam prius, non
 magis careret priuatione, nunc quam prius caruit.

Confirmatur: Si nihil aliud est in anima illius post pœniten-
 tiam, quam ante, non videtur, quod aliquo alio modo se ha-
 beat ad Deum, nec Deus ad ipsum: quia non videtur ibi
 esse aletas, propter mutationem aliquam, ex parte Dei fa-
 ctam; ergo necessario dicendum aliquid in fieri in anima ip-
 sius formaliter de nouo; non autem infunditur ei de nouo fides &
 spes, quia manent in peccatore. ergo charitas.

Nec valet dicere, ipsum licet non formaliter intrinse-
 ce, tamen formaliter imputatiue esse mutatum; & sic
 esse nouum obiectum respectu actus diuini; quia scilicet
 terminat actum Dei, vt ei imputeretur iustitia Christi.

Hæc quidem responsio aliquo modo eludit confirmationem
 argumenti: sed non ipsum argumentum de iniustitia & iustitia:
 quæ etiam ratio est D. Thomæ, & D. Thomæ optima.

Dixi quidem ex Doctore fusè in quæstione præce- scot.
 dente, peccatum non esse priuationem charitatis; &
 ibidem ex illo fundamento; dixi ex Doctore, peccatum
 posse remitti quoad rationem suam formalem, non in-
 fundendo charitatem. vt ergo hic locus non aduersetur
 priori, & tamen efficaciter concludat intentum, sicut
 vere concludit,

Supponendum pro nunc secundum Doctorem 4. d. scot. 4. d.
 14. q. 1. quod duplex est iustitia: vna actualis, quæ est 14. q. 1. ¶
 solum rectitudo actus; cui opponitur peccatum priuati- 2. d. 36. ¶

ue 2. d. 36. & 37. alia habitualis, & illam vocat cum sanctis & Doctoribus charitatem; & est iniustitia habitualis quæ opponitur charitati, nec est peccatum. vt patet 2. d. 28. & 4. d. 1. q. 6. & c. vbi supra notau: sed iniustitia habitualis quæ opponitur charitati, est solum priuatio ipsius charitatis in subiecto apto nato. & de hac agit Doctor hic; & semper sequitur ad actum peccati; non ex natura rei, sed ex lege diuina; vbi ordinatum est ad commissionem peccati, de meritorie perdi charitatem.

*Etiā 2.
d. 28. & 4
l. 1. q. 6.*

Si ergo in peccatore ante pœnitentiam est formaliter iniustitia seu priuatio iustitiæ, sicut scripturæ clamant, ergo, non potest abiici illa iniustitia nisi per iustitiam sibi oppositam, quia sunt priuatiue opposita. Ibi stat eius ratio.

Addam tamen & aliam fortè non incongruam.

Quando alicui subiecto competunt duæ formæ oppositæ, quarum vna est intrinseca seu inhæsiua, altera extrinseca sicut in casu, vbi ad sensum Caluini & suorum, in homine iusto, iniustitia inhæret formaliter, iustitia vero est ipsi extrinseca: in Christo scil. inhærens, & sibi imputata. Tunc denominatio subiecti est à potiori, secundum omnes regulas Summularum. Quis autem dubitaret formam inhærentem realiter, esse potiore respectu sui subiecti, formâ quacunque extrinsecâ. ergo nullatenus potest talis denominari iustus nisi falsissime; cum oppositū eius realiter, & hoc non nisi secundū ens rationis, sicut omnes denominationes extrinsecæ, conueniat. Sacra tamen Pagina infinities huiusmodi homines vocat iustos, & sanctos, & filios Dei, & regeneratos, & c. ergo à forma inhærente; quæ est iustitia seu charitas Dei diffusa in cordibus eorum.

Nescio an hæc ratio, in principiis rationis, potest eneruari.

Quod si dicas, non ab ipsa iustitia Christi extrinseca, sed ab actu applicationis eius iustitiæ mihi, denominor iustus.

Huic obuiat ratio Angles 2. d. 26. quæst. 1. de gratia *Angl. 2. d. 26. q. 1. de grat. diff. 5.*
diff. 5. Nullus ab actu transeunte, sed ab habitu remanente virtutis aut vitii, studiosus aut vitiosus denominatur; & ratio manifestissima est inter omnes Philosophos: quia denominatio, siue substantialis, siue accidentalis, non fit nisi à forma actu in subiecto existente: non enim corpus dicitur animatum, nisi ab anima quæ in ipso est, nec album, nisi ab albedine inhærente. & cum actus transiēs iam non est, neque animæ inhæret, non ab illo, sed ab habitu denominatur. Sic ille.

Scio quod in Concilio Viennensi; & habetur. 1. *De Conc. Vienn. summa Trinitate & fide Catholica;* hinc inde variæ circumferebantur opiniones Theologorum, acriter vtramque partem agitantes ex Scripturis; An scilicet iustificatio nostra fieret per aliquid inhærens: quibus omnibus auditis, & locis sacræ Scripturæ citatis, Ecclesia valde; pro tunc inclinavit in affirmatiuam, immo definiuit illam probabiliolem: & vere fuit antea, communis sententia Ecclesiæ; & sancti Patres mire in hanc partem conspirare inuenti sunt, & hinc Doctor Subtil. vbi supra *Scot. vbi supra.* affirmatiuam semper tenuit; ante Clementinam propter dicta sacræ Scripturæ & sanctorum Patrum.

Licet vt verum fatear cum Lycheto 1. d. 17. quæst. 1. *Lychet. 1. d. 17. q. 1.* nec in veteri Testamento, nec nouo adeo expresse habemus, Deum ordinasse hominem ad vitam æternam, mediante gratia, vel charitate, vel habitu supernaturaliter infuso & formaliter inhærente animæ, quo ipsa anima dicatur digna vitâ æterna: quin possunt eludi dicendo debere intelligi de sola voluntate Dei sic vel sic acceptante, vel de Spiritu sancto, sic vel sic assistente. Et sic de facto eluduntur à Caluinistis; sed adiungendo sententias sanctorum Patrum, & mirabilem consensum Doctorum, plene euincunt. Magister quidem 1. d. 17. *Magist. 1. d. 17.* putabat gratiam non esse qualitatem in anima, sed ipsum Spiritum sanctum non informantem (licet alii ipsum sic interpretantur) sed immediatè iustificantem, vt piè ipsum *D. Thom. v. v. d. 1. c. 1. de Sacram. Z. ij.* exponit D. Thomas etiâ Vvaldensis tit. 1. de Sacramen-

re reali inhærente, solum ab amore passiuo resultante ex amore Dei in ipsum; sic in proposito philosophandum videtur de imputatione diuina seu actu imputationis ex parte Dei: & etiam recte Vega lib. 15. c. 5. §. Verum hæc tam multa.

*Vega l. 15.
c. 5. §. verum
hæc. &c.*


Et hoc dico non solum denominatione extrinseca, sicut ibi secundum communiter tenentes dixi: Sed etiam intrinsecè; esse enim sic amatum, dicit formam absolutam intrinsecam in subiecto, licet solum rationis; vt tenent omnes acutiores Scotistæ.

Scotistæ.

Deinde nec illa imputatio impedit, quo minus necessaria sit iustitia inhærens creata, immo per illam imputationem iustitiæ Christi nobis conceditur, & statim infunditur nostra iustitia, id est, Deus propter iustitiam Christi nobis imputatam, tanquam propter causam meritariam nobis dat iustitiam nostram.

Quibus omnibus benè pensatis; sanè nulla hodie reperietur differentia in Confessione Anglica, & sanctissima definitione Trid. nihil enim in articulis Hamptoniensibus in oppositum ordinatur; vt patet art. 9. de Iustificatione. vnde Montacutius in suo Apello Cæsarem ca. 6. expresse probat doctrinam nostram saltem secundum gradus huius latitudinis, ab ipsis teneri; & ibidem recte adducit Doctorem Vwhite asserentem in iustificatione peccatoris, duas esse actiones Dei, vnã qua remittit peccatum; alteram, qua potestatem dat homini resistendi peccatis; quæ potestas est ipsa charitas infusa in cordibus nostris per illam secundam actionem Dei: quæ est ipsissima doctrina nostra. Hic igitur pax.

*Cõf. Angl.
& Trid.
Hæpt. 4. 9.
de iustif. l.
Montacut.
in Apelle
ca. 6. 6.
Vwhite.*



PROBLEMA

VIGESIMVMSEPTIMVM.

De Incertitudine gratia.

Hic quæri solet,

An viator potest esse certus se esse in gratia, seu iustificatum.

Vbi, vt certa ab incertis excutiamus; Notandum primo, duplicem esse certitudinem: vnã ex parte subiecti, scilicet intellectus; quando, verbi gratiã, intellectus sine omni formidine assentit alicui conclusioni, siue obiectum sit certum, siue non: & sic proprie sumitur certitudo, nã nomen ipsum *certitudinis* denotat firmitatem intellectus, & illi contraria est dubitatio, quæ etiam est intellectus. Alteram ex parte obiecti, quando scilicet id in se, abstrahendo ab omni intellectu, est certum; sicut Deum esse trinum & vnum, est certissimum ex parte obiecti, seu in se, quia ibi summa habitudo prædicati ad subiectum: non tamen omni intellectui, sed solum Christianis.

Est etiam certitudo, (vt loquuntur in Scholis) affectionis: & illa pertinet ad appetitiuam seu voluntatem, & ad illam inclinatur spes, qua certo inclinamur ad vitam æternam: & cum illa stat formido de opposito: eo tamen est certior voluntas, quo maiori firmitate appetit aliquid: de qua videtur Paulus ad Rom. 8. *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, &c.* Vbi suæ voluntatis firmissimam in amore Dei expressit deliberationem.

Rem. 8.

sic Ambros. Hieron. & Chryf. vt notat noster Castro. *Ambr.*
qui legendus est verbo, Certitudo, & verbo, Gratia. *Hieron.*

Est alia, cognitionis, & illa habet subdiuidi in illa *Chryf.*
priora membra, de subiecti & obiecti. *Castro.*

Hæc autem vltcrius in euidentem & ineuidentem.
Euidens, quando, verbi gratiâ, constat de veritate subie-
cti, seu quod idem est, de conformitate rei ad intelle-
ctum (sic enim Philosophi describunt veritatem) vt in
propositionibus; vbi connexio terminorum est manife-
sta. verbi gratiâ, *Totum est maius sua parte*; & huiusmodi
communibus conceptionibus; vel vbi talis connexio est
manifesta, non ex se immediate, sed ex causis suis, scil.
medio demonstratiuo, ex quo infertur conclusio scien-
tificæ.

Hæc autem certitudo quæ prouenit ex euidentiâ ob-
iecti, non distinguitur realiter ab ipsa euidentiâ: nam
neque illa certitudo potest esse sine euidentiâ, nec illa
euidentiâ sine certitudine; vnde in cognitione natura-
li, certitudo & euidentiâ confunduntur, vt doctissime
notauit Smigletius in sua Logica disp. 13. q. 12.

*Smigl. lo-
gic. disp.
13. q. 12.*

Ineuidens est, quando certò & firmiter assentimus
alicui veritati; non propter euidentiâ obiecti, sed
propter veracitatem reuelantis, & huiusmodi media in-
euidentiâ: & sic semper talis cognitio est cum ænigma-
te, & obscuritate. siue sit fides diuina, vel humana; &
in hoc differunt à scientiâ: quia fides, in quantum fides,
innitur testimonio obscuro testificantis, & res in se, seu
obiectum creditum non videtur.

Quod si fides diuina fuerit; requiritur, quod innita-
tur diuina authoritate, seu Dei testimonio credito, non
euidenter noto in ipso assensu, adeo vt diuina autho-
ritas obscure cognita est sufficiens ratio credendi articu-
los fidei. adeo tamen certus est assensus ex tali testimo-
nio, quod expellat omnem dubitationem, saltem vin-
centem, & trahentem in oppositum credibilis; vt recte
Doctor 3. d. 23. q. vnica; alias bene potest compati du-
bitationem non vincentem.

Quodl. 17.
§. contra
conclus.

Immo vt recte Doctor, certitudo fidei diuinæ propter veracitatem testantis, excedit omnem aliam certitudinem, licet euidentem, quia vt ipse, Quodl. 14. fides infusa non potest inclinare in falsum, fides vero humana vt Doctor quodl. 17. §. Contra conclusionem, non adeo firmam certitudinem gignit in credente; quia vt recte Doctor vbi supra, nemo perfecte credit, & omnino firmiter ei, quem scit posse fallere & falli, qualis est omnis homo, immo omnes homines simul: & sic nihil innoxium humanæ authoritati vt sic, infallibile esse potest.

Verum tamen est, quod licet non adeo, vtcunque tamen firmiter, potest quis assentiri credibilibus fidei humanæ; quia verbi gratiâ, hæreticus firmiter assentitur multis articulis fidei, sicut Deum esse trinum & vnum, &c. nec vllam experitur formidinem de opposito; licet certum sit, ipsum non credere iis nisi fide humana ex auditu concepta, per vires naturæ.

scot. vbi
sup. 3. d.
23.

Smifings
tract. 3.
disp. 6. de
prouidentia
q. 13.
veg. l. 9.
in Trid.
6.4.

Differt tamen fides diuina ab humana, propter quandam intrinsecam & essentialem perfectionem fidei diuinæ; secundum quam illa sola est commensurata authoritati diuinæ, quam habet pro motiuo; & hoc etiam insinuat Doctor vbi supra 3. d. 23. versus finem, & optime declarat Smifings tract. 3. disput. 6. de prouidentia quæst. 13.

Est etiam maior & minor certitudo, vt recte noster Vega l. 9. in Trid. c. 4. in ipsa fide humana: quando enim propter fortissima argumenta, vel propter grauem authoritatem, vel certum hominum testimonium, certò prorsus aliquibus inevidentibus assentimur; tunc gignitur certitudo moralis. si vero propter apparentia iudicia, aut coniecturas probabiles, credimus quidem, non tamen omnino certò, cum aliqua formidine; tunc gignitur certitudo coniecturalis; nec differt ab opinione.

Notandum secundo, quæstionem non procedere de certitudine euidenti, seu scientifica, nostræ iustificationis; quia hoc nullus asseruit, & Doctor 3.

dist.

d. 23. §. Sed quod dicitis. & 1. d. 17. & alibi multoties probat cum communi Schola, talem certitudinem non dari. Solum ergo hic quæritur; de ineidenti, seu de certitudine fidei, cui scilicet non potest subesse falsum, id est, diuinæ; quia; vt dixi, ex Doctore, omni humanæ fidei potest subesse falsum: omnes vtique simul possunt fallere & falli.

Et hinc Lutherus, & Calvinus, cum vtriusque sequacibus grauiter impegerunt. Non etiam me latet ante definitionem Trident. aliquos ex nostris idem asseruisse, non tamen ex iisdem principiis; quia non ex certa illa fiducia applicandi iustitiam Christi nobis; vt illi, sed ex aliis signis, verbi gratiâ, operibus bonis, &c.

Ambrosius etiam Catherinus; non videtur multum differre ab eorum errore, in duobus tractatibus, de certitudine gratiæ, & in Apologia contra Dominicum à Soto, vbi asserit, non fide diuina Catholica, sed priuata, per reuelationem; quæ singulis fit de seipsis, vnumquemque posse habere certitudinem de sua iustificatione præsentis; dicit quidem Catherinus talem, non adeo certum esse de sua iustificatione, per illam certitudinem fidei reuelatæ & priuatæ; sicut si constaret certitudine fidei Catholicæ. Quod sane meritò deridet Vega lib. 9. c. 8. cum Bellarmino lib. 3. cap. 3. vbi supra, Smifings vbi supra, & omnes; quia constat tam vnam, quàm alteram fidem æquè inniti testimonio & veracitati Dei, in quo non est magis & minus respectu veritatis, cum sit ipsa prima veritas; & vt rectè Bellarminus: *Fides non est certa quia catholica, sed quia diuina; non enim ideo certitudinem fides habet, quia toti Ecclesie communis est, sed quia nititur auctoritate Dei, qui nec falli, nec fallere potest, cum sit ipsa veritas.*

Sed nec hoc absurdò contentus. vt etiam notauit Smifings vbi supra, in fine numeri 812. tandem ait, non esse tantam illam certitudinem de sua iustificatione, quam quisque per fidem illam particularem habeat, quin ei potest falsum subesse. Quis autè hominum credi-

dit fidei diuinæ, seu reuelationi diuinæ, posse subesse falsum? probat Catherinus suam sententiam sic:

Soli fidei Catholica conuenit, ut ei falsum subesse nequeat, quoniam est de obiecto probato ab Ecclesia: fidei autem diuinæ particulari falsum subesse potest, quoniam est de obiecto non probato ab Ecclesia. Sed sane ridiculum hoc est; quasi certitudo alicuius veritatis à Deo reuelatæ pendeat à probatione vel approbatione Ecclesiæ. sed optime ipsum excepit Soto in sua Apologia; & omnes posteriores.

Sot. in A-
pol. c. 6.

Calu. l. 3.

Inst. c. 24.

§. 8.

Vnde quoad punctum certitudinis, putem ipsum omnimode incidisse in errorem Caluini qui l. 3. Instit. c. 24. §. 8. fatetur, hanc certitudinem esse ex speciali gratia, singulis tamen concessa. Sic etiam Catherinus. nec iuuat quod dixerit, hoc non esse de fide Catholica, quia nec sic Caluinus vel vllus eorum.

Trid. sess. 6
c. 9.

Tandem ipsum Tridentinum damnauit omnem talem certitudinem, non solum ex fide Catholica exortam. sed expresse sess. 6. can. 9. dicit: *Cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum, &c.* Ecce certitudinem omnem ex fide quacumque diuina damnat, quia dicit: *Cui non potest subesse falsum.* Sed hæc satis.

Rom. 8.

Rom. 15.

Adducunt hic aliqua loca Scripturæ, verbi gratiâ ad Roman. 8. *Ipsè spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei.* Ad Rom. 15. *Certus sum fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione.* Alia huiusmodi loca sunt. Sed hæc vrgentiora.

Isa. 32.

Dixi in primo Notabili, dati certitudinem inclinationis seu affectionis, quæ oritur ex spe: & hinc sæpius apud Doctores Scholasticos vocatur & recte, certitudo spei: quæ licet compati potest formidinem aliquam, & dixi: tamen sæpe excludit omnem actualem formidinem de opposito, & pro tempore sanctam quandam pacem & securitatem, & magnam confidentiam, in anima reponit. vnde illud Isaia 32. vaticinans de tempore Christi, *Erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum, & sedebit populus meus in pulchritudine*

pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.

Et hanc intelligit D. Paulus. nec plus exposculant illa verba; vt diligentius intuenti facile patebit, vt etiam notauimus, nec opus hic recurrere ad specialem reuelationem; licet alii sic eum exponunt; prout Vega vbi supra, & post eum Becanus inter opuscula de iustificatione Catholicorum, & alii.

Paul.
veg. vbi sup.
Becan.
opusc. de iustif.
Cath.

Et eodem modo exponenda iudico cætera loca Scripturæ, ab ipsis adferri solita, quæ pro tenuitate mea examinaui, & videntur non plus vrgere.

Ex sanctis Patribus, præcipua loca sunt D. Bernardi, qui subinde insinuate videtur, præ plenitudine dulcedinis spiritualis, quâ contemplatione, Deus in ipsum superfuderat, *Se scivisse ingressum Domini.* Vbi post multa cœlestia & melliflua eloquia super Cantica ser. 22. prorumpit, *Cernere est regem cubiculum hoc introeuntem cum paucis.* Ergo potest viator esse certus de præsentia Dei in anima, quia *cernere est.* dixerat tamen paulo ante *Secd heu rara hora & parua mora.*

Bern. sup.
Cant. ser.

Non ergo vult D. Bernardus, hanc gratiam omnibus concedi; sicut hæretici, sed *rara hora.*

Loquitur ibi solum, vt ibi patet, de gradibus contemplationis, & de quiete animæ in supremo eius gradu, paucis tamen & breuiusculo tempore concessa. *Cernere* etiam ibi; non est oculis fidei diuinæ, cui non potest subesse falsum, sed moralis certitudinis, vel certitudinis spæi & piæ confidentiæ de eius præsentia.

Quod maxime patet; quia loquitur ibi de signis huius præsentia; nullatenus de motiuo fidei diuinæ, id est, de reuelatione singulari facta. si quid ergo est; est fides humana.

Deinde in sermone de quatuor modis orandi, post alia dicit. *Porro ad quartum genus orationis, quod est gratiarum actio, per paucos attingere credo: & quo rarum, eo preciosius est. multam enim prorsus gratiam inueniet apud Deum, quem iuxta promissionem suam exaudit, antequam inuocetur, & testimonium reddit spiritui eius, spiritus quem habet ex*

Idem ser.
de 4. modis orandi.

Deo, quoniam exauditum est desiderium eius, ita ut certus, iam non orare, sed gratias agere possit.

Sed nihil hic nisi certitudo spei, non fidei: nec omnibus, sed paucis concessa.

Nec vlla loca, quæ apud ipsorum vel nostros auctores, mihi contigit inspexisse, aliud dicunt, quam illam experimentalem quietem animæ sanctæ, quæ aliquibus, admodum tamen paucis, misericorditer à Deo concedi solet.

His ergo nonobstantibus; manet veritas Catholica de-
Trid. sess. 6 finita in Trid. sess. 6. c. 9.

c. 9. *Sicut nemopiùs de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: sic quilibet dñi seipsum, suamque propriam infirmitatē respicit, de sua gratia formidare & timere potest, cū nullus scire valeat certitudinem fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei consecutum.*

Valde hic aduertendum, solum definiri, neminem contra reuelationem, posse esse certum certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum, seu quod idem est, esse iustificatum.

Vnde adhuc ianua Scholatum aperta est in celeberrima illa difficultate, hodie & olim inter Scholasticos agitata, de certitudine Theologica, etiam morali, & de iustificatione.

Vbi fusè noster Vega lib. 9. in Trident. c. 47. Soto l. 3. de Gratia & Natura c. 10. Suarez tom. 2. de Gratia l. 9. c. 11. n. 3. & alii, probant nos posse esse certos de tota dispositione requisita ex parte nostri ad iustificationem: & consequenter de iustificatione ipsa, & hanc certitudinem extendunt, ad maximam, cui potest subesse falsum; adeo ut excludere habet omnem formidinem rationabilem de opposito; sicut fusè ostendit ibi Vega: & tandem exemplificat de certitudine, quam homo potest habere de maxime apparentibus, sicut me nunc habitare inter Christianos.

Et sane hæc opinio, plene satisfacit omnibus quæ ex illo titulo possunt afferri pro certitudine Caluini.

Noster tamen Angles 2. d. 26. q. 1. de Gratia, conclusio-
ne 5. putat esse temerarium affirmare nos posse habere
certitudinem moralem gratia & iustitia, quia Scriptura
passim iubet etiam iustum semper esse pauidum, quod
non stat cum illa certitudine morali. Quod verum iudi-
co, communiter loquendo, subinde tamen non sic.

*Angl. 2. d.
26 q. 1. de
Grat. con-
clus. 5.*

Immo dicendo hominem posse esse certum certitu-
dine Theologica, de iustitia sua, non videtur errare con-
tra Tridentinum.

Trid.

Certitudinem autem Theologicam voco assensum in
conclusionem deductam ex vna praemissa, qua est arti-
culus fidei, & altera ex principiis rationis saltem proba-
bilibus: qua duae praemissae non gignunt conclusionem
de fide, licet illa ex principiis rationis deducta, esset om-
nino certa, licet Aegidius Romanus cum multis aliis vi-
dentur tenere oppositum. Ratio ipsorum est, quia ta-
lis conclusio pendet per se a principio supernaturali,
nihil autem naturale potest pendere per se a principio
supernaturali. Alii vero, quod sit simpliciter naturalis,
quia nihil supernaturale potest pendere a principio na-
turali, sicut in casu, quia conclusio illa pendet ab vna
praemissa naturali, ut dictum est. Alii tandem quod sit
supernaturalis propter rationem Aegidii, licet minus,
propter alteram naturalem: non tamen volunt quod sit
de fide, fides enim non pendet a certitudine naturali;
ego tamen non video quomodo causa naturalis potest
atingere effectum supernaturalem: saltem inconfesso
est, non esse de fide, quia tenent communiter Docto-
res in Prologo, quod qui tenent oppositum tali con-
clusioni, non est haereticus: nec etiam est scientia, quia
non euident propter praemissas, quarum vna est saltem
ineuident: sed est quaedam cognitio media. Sic Doctor
3. d. 24. insinuat, & habet reduci ad fidem humanam,
licet perfectissimam in illo genere, cui tamen intrin-
secè conuenit posse subesse falsum; quod sufficit ad
Tridentinum.

Aegidii.

*Doctores
Prologo.*

*scot. 3. d.
24.*

Trid.

Quid autem Doctor Subtilis senserit in hac quaestione;

patet ex supra dictis, ipsum constanter negare, nos posse
Scot. 1. d. scire nos esse in charitate. Immo 1. d. 17. ratio eius pro-
 17. bat æquè de fide & spe, id est, nos non posse esse certos
 de fide & spe diuinis in nobis existentibus. immo expref-

Idem 3. d. se dicit 3. d. 23. quæst. vnica. §. Sed quid dicis. vbi recte
 23. q. vni- Scholiator notat, Doctorem velle nos posse arguitiue
 ca. §. sed scire nobis inesse fidem, id est, habitum inclinantem in
 quid & c. obiectum ineuidens tanquam in verum: sed non potest
 Schol. quis scire inesse sibi fidem certam determinate inclinan-
 tem in verum; alioquin sciret obiectum eius esse verum;
 quod pro hoc statu est impossibile; sic ille, manifeste ad-
 mentem Doctoris.

Scot. 4. d. Sunt aliqua loca præsertim 4. d. 14. vbi videtur pos-
 14. se deduci, Scotum velle peccatorem posse esse certum
 se esse iustificatum, sed nullatenus vrgent. intuiti-
 textum.

Sed an Doctor tenuerit, nos posse esse certos, non
 certitudine scientiæ, sed fidei diuinæ, saltem nos habere
Idem 2. d. fidem infusam & supernaturalem, videtur aliqualiter
 23. q. vni- difficile iudicare. quia 3. d. 23. q. vnica. §. Sed quid di-
 ca. §. sed quid dicis in corpore istius §. dicit, *Sicut credo Deum esse trinum,*

Glossat. *ita credo me habere fidem infusam inclinantem in illud.* Sed
Scot. quod- vt rectè ibi Glossator. si Doctor attente legatur, tantum
 lib. 14. a. 1 vult me credere mihi inesse fidem infusam, vt credere
 smif. cir- opponitur scire; quia tantum agit de hoc, quod non
 canum. scimus nos credere, sed id solum credimus; vnde quodl:

821. 14. art. 1. expressè docet, fidelem fide diuina non perci-
Veg. c. 37. pere se habere fidem. hæc ille rectissime; & eodem mo-
Petig. vel do eum explicat Smifings circa numerum 821. sic etiam
Angles 2 Vega c. 37. nec differt Petigianis; vel Angles 2. d. 26. q.
 d. 26. q. Vega c. 37. nec differt Petigianis; vel Angles 2. d. 26. q.
 4. de gra. 4. de gratia Conclus. 2. & est communis.

Conclus. 2 Alii tamen, Caietanus 1. 2. q. 6. 112. a. 5. & Soto in
Caiet. 1. 2. Apologia contra Catherinum c. 5. & de natura & gra.
 q. 6. 112. a. 1. 3. c. 10. Vasquez fortissime 1. 2. disp. 201. & alii post
 5. Soto D. Thomam, tenent posse tenere fide diuina se habere
Apol. c. 5 fidem infusam.

Contra
Cath. & de natura & gra. l. 3. c. 10. vsq. 1. 2. disp. 201. De Tho. & c. vsq. c. 2. n. 11.

Aliqui etiam idem de spe. sic Vasq. c. 2. n. 11. sed omnes vtriusque sententiæ, negant illam certitudinem respectu charitatis, & actuum contritionis, &c. qui proxime disponunt ad iustificationem; & caute admodum; quia aliàs inciderent in errorem condemnatum. eadem enim est ratio de ipsa iustificatione, & proximis dispositionibus ad eam.

Nos vero in nostra Schola eodem modo, certitudinem respectu spei. prout scilicet est habitus supernaturaliter infusus, inclinans nos ad expectandum gloriam (pro ut loquuntur de ea hic Theologi) omnino negamus. & ratio est (vt tetigit Angles) quia infunditur in baptismo, Ang. & non est infallibiliter certum, nos esse baptizatos.

Sunt quidem rationes probatiuæ definitionis Trident. Trid. apud Doctores Scholasticos: sed vere ex principiis aduersariorum, facilè diluuntur: nimis equidem supponunt secundum eos; vt aduertenti patebit: bene tamen concludunt aliquæ intra Scholas. vbi multa principia ex cõmuni consensu Doctorum admittimus; quibus positis, bene & efficaciter concludi potest.

His ergo dimissis,

Probatur ex multis locis Scripturæ, adiunctis expositionibus sanctorum Patrum.

Ecclesiast. 9. *Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei; & tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* Eccles. 9.

Scio Calvinum dicere, hic non esse sermonem de notitia fidei, sed de ea quæ haberi potest ex euentu externo; scilicet non posse sciri quos diligit, vel odio habeat Deus, ex beneficiis vel punctionibus; quia vt additur in textu. *Omnia in futurum seruantur incerta, eo quod vniuersa æquè eueniunt iusto & impio.* scilicet pro hoc statu, sol æquè vniac alteri splendet. Caluin.

Sed vere intentum textus est probare nullo modo posse innotescere in hoc statu, ne quidem per beneficia Dei de iustificatione hominis, seu interiori statu eius, & vtitur hoc argumento de beneficiis Dei externis tanquam

Becan. c. H
de iustif.
Caluin.
Salono n

à fortiori. vt rectè etiam notauit Becanus c. II. de iustificatione Calvinistarum.

Deinde vt acute ibi aduertit, Salomon dicit, omnia in futurum seruantur incerta: at quomodo omnia: si saltem per internam fidem diuinam dignoscatur certo se diligi à Deo.

Hieron.
de incerti-
tudine sta.
ius gr. s.

Vnde Hieronymus ibi interpretatur de incertitudine status gratiæ: dicit enim, *Inueni iustorum opera in manus Dei esse, & tamen utrum amentur à Deo, an non, nunc eos scire non posse, & ambiguos fluctuare, &c.*

scot. 4 d.
9. q. vni-
ca.

Sic etiam intellexit hunc locum Doctor Subtilis 4. d. 9. q. vnica. cum communi Doctorum; excepto solum Catherinò vbi supra; sed nescio quo fugiat, vt vim textus eneruet: & frustra:

1. ad Cor.
4.

Secundo ex 1. ad Cor. 4. *Mihi pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die, sed neque meipsum iudicor: nam etsi nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc iustificatus sum, qui autem iudicat me, Dominus est.*

Non dubitem, hunc locum posse eludi; ex hoc quod dicit, non se esse iustificatum, quia non est sibi conscius

Vasq. 1. 2.
disp. 20. c.
4. 5.
Caluin. l.
3. Instit. c.
24.

de peccato, quia non esse sibi conscius de peccato, non facit hominem iustificatum: vel non certò nouit, se esse iustificatum, ex hoc quod conscientia non arguit de peccato; quia potest esse ignorantia culpabilis sui proprii reatus. hoc tamen non impedit; quin aliunde, non scil. ex suo iudicio, sed fide diuina singulis concessa, hoc sibi constet. Vasquez etiam 1. 2. disp. 20. c. 4. 5. multis laborat ostendere inefficaciam huius loci, & aliquorum aliorum: ad quod etiam astute admodum Calvinus l. 3. Instit. c. 24. laborat.

Aug. in
Psal. 41.
etiã b. 83.
Quæst. 9.
56.
Hier. sup.
loca Pauli
cum Theo-
phyl. & c.
Chryf.
hom. II.
Gregor. 5.
mor. c. 6.
& 12.

Dixi igitur non Scripturas per se, sed cum testimonio Patrum conuincere veritatem.

Patres communiter, & quasi omnium consensu, intelligunt hunc locum de incertitudine gratiæ. sic Aug. in Psal. 41. super illa verba *Abyssus abyssum inuocat.* etiam l. 83. Quæstionum q. 56. Hieronymus supra loca Pauli cum Theophylacto & Ansel. etiam Chryf. hom. II. Gre-

gorius.

gorius 5. Moral. c. 6. & 12. & putem omnes alios veres, quos apud Controuertistas videre est.

Dices, & quidem efficaciter, D. Paulum fuisse tunc cum scriberet illa verba ad Cor. certum diuina reuelatione de sua iustitia & salute. vt etiam notauit D. Thomas 1. 2. quæst. 112. a. 5. ad quartum in fine. & communiter censetur accepisse illam reuelationem, quando à Deo missus est ad Ananiam, Act. 9. Quod sane diu præcessit scriptionem huius Epistolæ. vt etiam notauit Smifings vbi supra n. 824.

Sed ad hoc respondeo cum grauissimo Vega l. 9. c. 12. in ipso initio, vbi ponit hanc obiectionem. quod vel D. Paulus nondum eam reuelationem habuerit; quia certe non satis constat de tempore reuelationis; licet bene ipsum aliquando recepisse: vel casu quo ante receperat; vt communior est sententia: tunc dicit Vega, dicendum, quod loquatur more humano de se, seu secundum communem legem; quasi diceret: *Nihil mihi conscius sum*; sed non ideo iustificatum me esse credo: possum enim apud Deum, cui melius notus sum, quam mihi ipsi, reus esse alicuius delicti, cuius mihi non sum conscius. Hæc ille. Putat autem doctissimus Smifings vbi supra, Paulum loqui in persona omnium fidelium; & quomodo de se humiliter debeant sentire, adhortatur.

Præter illum communem consensum sanctorum Patrum in hac materia; valde etiam est vnanimis consensus Doctorum Scholasticorum. præsertim Doctoris Subtilis loco superius citato; vbi expresse dicit; *Certitudinem se sciendi esse in charitate, non competere viatori.* & addit. *Delicta enim quis intelligit: & affert illum locum Salomonis. Nescit homo an amore vel odio dignus sit.* Et patet eum ibi negare omnem certitudinem, cui non potest subesse falsum, respectu præsentis iustitiæ.

Alios multos habet textus. sed sufficiat ad ostendendum mentem eius.

Tandem quoad Confessionem Anglicam: nullum de hoc articulum astruit, vnde habent simpliciter veritatem.

Cor.

D. Tho.

1. 2. q. 112.

a. 5.

Act. 9.

Smif. vbi

sup. n.

824.

veg. l. 9.

c. 12.

veg.

Smifings

vbi sup.

Scot. loco

cit.

Salomon.

Conf.

Angl.

Problema vigesimum septimum,
amplecti, & definitionem Tridentini, Ss. Patrum, & omnium Doctorum sequi.

Vtiq; non credo eos minus dare sacris definitionibus Ecclesiæ, quã sacri Canones dant legibus ciuilibus Principum: ordinatur autem in Authentica, quod leges Ciuiles feruarentur, vbi Canones deessent. vnde illud arg. i. *Arg. 1. 1. de noui op. c. Innocent.* *1. De noui op. nuntiatio.* vbi Innocentius III. ait: *Quia vero sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita sacrorum Canonum statuta principum constitutionibus adiuantur; & c.* Si in adiutorium d. 10. August. ait: *Si in adiutorium nostrum terreni imperij leges assumendas putatis, non reprehendimus: nã fecit hoc Paulus, cum aduersus iniuriosos, Romanum ciuem se esse testatur.*

Art. 12. Cõf. Angl. Quod si vrgeas vltima verba artic. 12. vbi sic habetur: *Quod fides viua potest æquè euidenter dignosci per opera bona, ac arbor per fructus.*

Vasq. vb supra. Respondeo primo, non arguit plus, quam opinionem Vasquez, supra, vbi habet idem de certitudine respectu fidei diuinæ.

Si vrgeas, articulum loqui non de fide quacumque, sed de fide viua, id est, cum charitate, quæ scil. dilectionem operatur, quæ vere iustificat secundum omnes:

Vega. Respondeo, esto. & solum infertur, posse nos à posteriori habere quãdam certitudinem nostræ iustitiæ, scil. per experimenta, quia per opera exteriora imperata à fide formata, quæ non excedit certitudinem moralem; quam Vega & multi concédunt viatori sancto.

Hic saltem nec vnum verbum de certitudine fidei diuinæ: immo manifestè oppositum, quia certitudinem euidentiam, non quameũque, sed sensuum, qui subinde possunt fallere & falli: non ergo excedit euidentiam moralem, vel forte solum coniecturalem: actus enim supernaturales quoad substantiam non scimus; cuiusmodi sunt actus fidei & charitatis, sed à posteriori per quãdam proportionem, seu similitudinem in actibus extrinsecis. Et hic apertissimus est sensus istius articuli.



PROBLEMA

VIGESIMVM OCTAVVM

De Perseuerantia.

VT ordinatius accedamus ad punctum controuersia^æ inter Catholicos & aduersarios, agamus pro more Scholarum; primo de ipsa Perseuerantia in se.

Quæritur ergo,

*In quo consistat hoc donum magnum
Perseuerantia.*

Notandum primò, quod per hoc donum, non tantum datur homini potentia perseuerandi, id est, qua homo potest perseuerare; sed datur ipsa actualis executio perseuerandi. vt patet in Trident. sess. 6. decreto de Iustificacione c. 13. vbi dicit, hoc donum intelligi per illud Matth. 10. & 24. *Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit.*

*Trid. ses. 2
decreto de
iustif. c. 13.
Matth. 10
& 24.*

Notandum secundo, quod hoc donum pertinet ad statum viæ; licet completiue tantum habeatur in morte. Vt hoc intelligatur,

Sciendum quod executio perseuerandi vsq; in finem, quæ est ipsa perseuerantia, potest considerari dupliciter:

Primo secundum suum esse, quod consistit in successiua & continuata permanentia in bono.

Secundò, vt consummata per suum terminum, scil. per finem vitæ, sicut motus potest considerari, secundum suum esse, quod consistit in successione continuata,

& vt consummatus per suum terminum. Si consideretur primo modo, dicendum est, eam esse quamdiu continuatur, in ordine ad finem, licet nondum eò peruentum sit. si secundo modo, dicendum eam esse primò in suo termino, quia tunc incipit esse consummata.

Et hinc oritur difficultas inter Doctores, quid det homini in aliquo saltem priori naturæ, ante mortem.

Aliqui volunt per hoc donum dari solum vires sufficientes ad perseuerandum, si cōsideretur secundum se, id est, prout antecedit nostram cooperationem; quæ sententia consequens est ad illam opinionem, quam recensuimus superius de Prædestinatione; quod scilicet fieret ex præuisione nostræ futuræ cooperationis. ex quo necessario sequitur, omnia dona gratiæ in tempore Prædestinatis concedenda, non esse efficacia vel infallibilia, nisi dependenter à nostro concursu, licet ex se sint sufficientia: nos autem conformiter ad ea quæ diximus ibi, dicimus, hoc donum perseuerantiæ; ex se dare infallibiliter perseuerare, & in se esse efficax; adeo vt relinquendo nostram libertatem integram, moueat voluntatem efficaciter ad perseuerandum; prout scilicet subordinatur absolutæ præfinitioni diuinæ voluntatis, quâ Deus ab æterno voluit hunc hominem perseuerare vsque in finem.

Curiel. de Gra. Al. uarez l. 10 de Aux. Formaliter vero loquendo, consistit in quatuor; vt vt notauit Curiel de gratia; nec in re discrepat Aluarez lib. 10. de Auxiliis, in ordinatione mediorum externorum, remotione tentationum, & omnium impediensium à perseuerantia boni, magna copia illustrationum, tandem in tali dispositione circa mortem, vt contingat quando quis est in gratia.

Putem tamen, non adeo scrupulosè insistendum illis quatuor: sed præcipuè & summatim, habet consistere in speciali protectione diuina, quâ homo ad mortem sanctâ conducatur; & hoc ex intentione Dei ad eum finē sic protegentis: quod si subinde fiat per auxilia intrinseca vel extrinseca, perinde est; modo ex intentione Dei,

per illa mors cum gratia habituali cōiungatur; & quoad substantiam, omnes Theologi cōueniunt in hoc puncto.

Et est in se, quasi in aliquo priori naturæ ante ipsam mortem, quo dat habenti infallibiliter perseuerare: sicut motus cū sit relatio formaliter loquendo, habet in se rationem formalem distinctam à termino, tamen specificatur *extrinsecè* à termino; sic hic de dono perseuerantiæ, potest concipi ipsummet in aliquo priori secundum suam rationem formalem, non considerando terminum seu mortem; cum qua realiter coniungi habet.

Eodem fere modo philosophandum censeo de gratia efficaci & sufficiente: quod scilicet efficax non habet distingui præcisè ab illa, per hoc quod ponat effectum actu (quicquid alii dicunt) & sufficiens potest ponere: quia hoc solum est à posteriori: habet ergo prius distingui per principia sua intrinseca.

Dicendum igitur, quod gratia efficax, est suasio moralis cum circumstantiis congruis naturæ ipsius, cui conceditur, decreta à Deo ad infallibiliter habendum effectum.

Est igitur efficax in aliquo instanti naturæ prius quam sit effectus: sicut causa quæcumque dicitur efficax, prius quam ponat effectum. sicut verbi gratiâ, causa necessaria, quæ non potest non ponere effectum, tamen actualis positio effectus non requiritur ad intrinsecam rationem eius: vt per se patet.

Sufficiens autem est suasio moralis, minus congrua personæ habita ratione circumstantiarum, &c. decreta à Deo ad posse habere effectum.

Scio aliquos apud Suarez 1. par. l. 6. de Præd. c. 1. ponere efficaciam gratiæ in physica inæqualitate entitatis eius. suarez 1.
par. l. 6. de
Præd. c. 1.

Sed est contra Augustinum, qui tenet aliquos non conuersos fortius impelli; quam qui conuertebantur; patet de Præd. & gratia. c. 15. (si sit eius) quicquid sit, est contra communem Doctorum; vt etiam ante notauit Soto de Natura & Gratia l. 1. c. 16. & alii. Aug. de
Præd. &
gra. c. 15.
Sot. denat.
& gr. l. 1.
c. 16.

Sunt etiam alii, qui tenent hæc duo auxilia intrinsece esse eadem, & solum extrinsece differre; mihi tamen difficile intellectu est, vnde oriatur illa extrinseca differentia, si non habeat fundamentum in ipsis rebus. sed hoc obiter.

Petes vnde habeat distingui donum Perseuerantiæ ab auxilio efficaci.

Respondeo hoc donum habet ab auxilio efficaci distingui per hoc, quod illud non ordinatur ad coniunctionem mortis, cum gratia habituali per se loquendo; sed in ordine ad alios effectus, scilicet ad conuersionem peccatoris, &c. hoc autem donum, vt dixi, est quædam actualis protectio Dei ad ipsam coniunctionem mortis cum gratia principaliter intenta.

Aug. l. de Cor. 6. gra. c. 12. Quod vero hoc donum sit aliquod actuale auxilium; protectio vel adiutorium, est Aug. l. de Cor. & gra. c. 12. *Nunc vero sanctis tale perseuerantiæ adiutorium datum est, vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint.* Hæc ille.

Aluarez l. 10. Et hinc vltra sequitur non esse ipsam gratiam habituales; quia non est omnino habitus, sed magna protectio Dei actualis; immo nec vllam perfectionem intrinsecam addit ipsi gratiæ habituali; vt recte Aluarez l. 10. quod vel ex eo patet, quod sine dubio aliqui qui non perseuerant, habuerunt aliquando intensiorem gratiam habituales pro tempore, quam alii, qui vsque in finem perseuerarunt; nec vllam aliam perfectionem intrinsecam illi superaddit; vt recte ibidem notat.

Dices, saltem sequitur donum perseuerantiæ non distingui à dono confirmationis in gratia: ex quo vltra sequitur omnes Prædestinatos esse confirmatos in gratia; quod tamen est falsum, & contra omnes Catholicos, & sanctos Patres, vt postea videbimus.

Aluar. Videtur ergo dicendum cum Aluarez, quod distinguuntur vt includens & inclusum; quia donum confirmationis in gratia includit donum perseuerantiæ, & non è contra. primum non potest esse sine secundo, bene tamen è conuerso. vt postea patebit.

Secundo, quia donum confirmationis tribuit gratiæ habituali perfectionem quandam intrinsecam, non addendo maiorem intensiorem; quia gratia non confirmans, est aliquando intensior: sed videtur consistere in quadam participatione gratiæ & charitatis patriæ; quæ secundum modum, est alterius rationis, à gratia non confirmante; secus vero gratia perseuerantiæ. Hæc ille.

Hoc dixi ad mentem Aluarez; non video tamen illam participationem specialem ab aliis ita approbati: nec sane vidi hætenus fundamentum sufficiens ad illud astruendum: quare scilicet non sufficiat ad rationem doni confirmationis in gratia; magna auxiliorum abundantia & congruitas ad personam; quæ licet non physice, moraliter tamen, quis impeccabilis reddatur; sicut de B. Virgine & Apostolis constat. & in hoc satis distingui potest à dono perseuerantiæ; quod illud ratione abundantia & congruitatis auxiliorum, det difficulter posse, seu moraliter non posse peccare: perseuerantia vero non adeo abunde auxiliatur ad illud non posse, sed efficaciter ad actu non peccare finaliter.

Et sic non tantum à posteriori, sed intrinsece differunt in maiori & minori, non physica, sed morali abundantia auxiliorum.

Differunt etiam extrinsece in hoc, quod confirmatio illa datur aliquando diu ante mortem, perseuerantia autem in ultimo instanti.

Hic etiam non importune possit quæri,

PROBLEMA

VIGESIMVMNONVM.

*An & quomodo hoc donum perseverantia
sub meritum cadat.*

Quod licet facile resolui potest ex dictis de Prædestinatione; tamen hic breuiter & explicatius respondetur.

Dico igitur quod secundum ordinem intentionis, id est, ipsius decreti diuini, quo absolute ordinauit hoc donum alicui in tempore dare: non cadit sub merito ullum, ne quidem de cōgruo, vt dixi de Prædestinatione; & est manifestè D. Augustini l. de Correp. & Gra. c. 6. *Tam accipienti magnum perseverantia bonum, quam accipienti fidem, posse Apostolum dicere: quid habes quod non accedisti.* id est prout ipsemet de Præd. Sanct. c. 3. 4. 5. exponit: *Illud donum est plane gratuitum.* id est, sine omni merito; & hoc est valde consequens ad eius doctrinam, quam secuti sumus de Prædestinatione. Idem habet etiam expressè l. de bono Perseuerantia c. 13. sic etiam Valentia l. de diuina gratia p. 4. c. 6.

Aug. l. de
Cor. c. 6.
Idem de
Præd. Sã-
ctor. c. 3. 4.
S.
Val. l. de bo-
no Perseu.
c. 13.
Valen. l. de
diu. grat.
p. 4. c. 6.

Hoc autem non impedit, quo minus possimus mereri de congruo, illud magnum donum (vt D. Augustinus vocat) saltem secundum ordinem executionis in tempore; & consequenter ipsum decretum executionis, vt ab æterno factū ex præuisione illius futuri meriti; quod consequens est ad instantia quæ posui in ordine decretorum Dei, vt videre est.

Possumus quidem propriè, id est, de condigno mereri augmentum gratiæ iustificantis per actus bonos elicitos in,

tos in , & ex gratia , eo modo quo ibi ex communi dixi ; sed non gratiam Perseuerantiæ ; quia non debetur homini iusto , vel actibus eius , ex illa lege ; habet enim in se specialem rationem , quam non attingit gratia habitualis ; sed vere & mere gratuitum Dei donum est , vt Doctores communiter . & eodem modo philosophandum videtur de reparatione post lapsum : quod scilicet iustus potest de congruo saltem mereri suam reparationem (sed non de condigno ;) vel quod Deus non deserat eum cum impiis in peccatis suis . secundum illud Psal. 70. *Cum defecerit virtus mea , ne derelin-
quas me .* Ad quid enim erat ? si non esset spes obtinendi , quod orat .


Psal. 70.

Deinde quod potest de congruo sic mereri , ex hoc patet ; quia si iustus potest mereri de congruo alteri suam conuersionem ; mirum esset , si non sibimet .

Prior tamen pars est communior Doctorum : D. *D. Thom.* Thomas tamen i. 2. q. 114. a. 7. posteriorem partem 12. q. 114. negat , contra communem . Doctor tamen Subtilis expresse tenet iustum si ceciderit , citius resurgere propter priorem iustitiam , & gratiam quam amisit , seu vt vocat Doctor , mortificatam ; & dicit eam reparari secundum eandem quantitatem gratiæ vel in instanti iustificationis ; vel saltem reseruari ad vltimum finem vitæ & instans mortis ; & ad hoc acquirere ius per penitentiam ; & consequenter ad gradus gloriæ sibi respondentes . vnde consultissimum est semper bene operari , & augere gratiam , dum tempus est . Hic pax cum Nostratibus .

a. 7.
Scot.

His positis :



PROBLEMA

TRIGESIMVM.

An iustus potest finaliter peccare.

NON est quod operosius hic insistam, cum inter cordatiores Protestantes, explosus sit error eorum qui astruxerunt illam impeccabilitatem Iouiniani, & Vviclefi, quod scilicet iustus non posset iustitiam semel acceptam perdere; quam etiam tenaciter defendit Calvinus l. 3. Instit. c. 2.

Multi quidem fatentur cum Ioanne Hus iustos posse deserere illam iustitiam temporalem, licet finalem plurimi ipsorum negant. Sed etiam hic error paulo quidem mitior, communiter tamen (paucis Calvinistis exceptis) reiicitur. Qui tamen negatiuam amplectuntur, sic probant: 1. Ioannis epistola c. 2. *Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Hinc inferunt, Ergo qui semel sunt vere fideles, non possunt deficere, quia si fuissent ex nobis, utique permansissent nobiscum.

Quæ verba Vega lib. 12. in Trid. c. 8. optime ponderat, & tres solutiones, quarum duæ ultimæ mihi probabiles apparent, affert. Primâ est, quod Ioannes ibi, vult aliquos, quos in tempore Deus iustificauerat, & ad fidem suam vocauerat, non fuisse ex Prædestinatis, & hinc tandem excidisse: fuisse igitur ex nobis secundum præsentem iustitiam pro tempore, non tamen vere fuisse ex decreto diuinæ electionis.

Et hæc est Augustini, vt ipse ibi notat ex Gratiano citante librum de Corrept. & Gra. ca. 7. sicut vere est ibi, & cap. 9. Sicut etiam l. de bono Perseuerantiæ c. 8. 9. vt

rectè etiam notauit Vega, & post eum Smifings tract. 3. *Idem l. de de Providentia cap. 17. num. 809. & certè huic confor-* *bono Pers. c. 8. 9.*
me est illud August. lib. de Cor. & Gra. cap. 13. *Qui ca-* *vega &*
dunt & pereunt, in Prædestinatorum numero non fuerunt. *Smif. tr. 3.*

Alia solutio est, sensum Ioannis esse: *Ex nobis prodie-* *de Pr. c. 17 n. 809.*
runt, sed non erant ex nobis. Quasi diceret: Ante suum *Aug. l. de*
à nobis manifestum recessum, iam illi utcumque à nobis *Cor. & gr. c. 13.*
dissidebant: nam si fuissent ex nobis, & non putrida iam *Ioan.*
membra, & ab Ecclesiæ corpore diuisa, permanissent
vtique nobiscum, neque in tantum prorumperent perfidiae scelus, vt se ab Ecclesia, quæ illos in Christo genuit, separarent. Hæc ille.

Et confirmata autoritate D. Cypriani de simplicitate *D. Cyp. de simp. Præl.*
Prælatorum.

Afferunt etiam illud Matth. 24. *Excitabuntur pseudo-* *Matth. 24*
Christi, & pseudo-Propheta, & edent signa magna & miracula;
itavt seducant si fieri possit, etiam electos Dei: ecce prædixi vobis;
illud Hypotheticum (si fieri possit) habet resoluti in illud categori-
cum secundum regulas Summulistarum: non potest fieri quod se-
ducant electos Dei. Ergo non potest dari finalis impoeni-
rentia in eis.

Ego sanè omiſſis responſionibus aliorum; quorum alii qui referunt, electos ad Angelos Dei: alii aliter: putent per illud, *Si fieri possit*; non designari impossibilitatem; sed magnam difficultatem, propter nimiam auxiliorum abundantiam, quibus præveniuntur electi & Sancti Dei, tempore præfertim tantæ persecùtionis; certum enim est, quod licet electi Dei seu Prædestinati possint damnari, simpliciter loquendo, quia decretum illud æternum de salute eorum, non excludit libertatem humanam, vt dixi de Prædestinatione; & sic possunt vere deficere dum in via sunt, tamen actu non deficient finaliter, propter protectionem specialem Dei: vt iam dixi de Persecutione.

Afferunt illud ad Romanos 8. 35. *Quis nos separabit à Rom. 8. 35*
charitate Christi? & postea vers. 38. 39. *Nam mihi persuasum* *& vers 38*
est, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque subli- *39.*

mitatem, neque profunditatem, neque rem ullam aliam creatam posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Domino nostro.

Sanè non video quid hinc inferri potest, nisi D. Paulum magnam spem concepisse de diuina protectione pro se & illis ad quos scripsit; quia dicit: *Mihi persuasum est; prout aliqui vertunt; si autem ponant vim in certus sum,* non arguit aliud quàm certitudinem persuasionis, seu spei. quod facillè concessimus, superius multis Sanctis Dei subinde concedit: vel si concederetur D. Paulum habuisse reuelationem de se & aliis quibusdam, quid hoc ad conclusionem vniuersalem Calvinistarum.

Ioan. 3. 9.

Afferunt etiam illud Ioannes 3. 9. *Qui natus est ex Deo, non peccat, quoniam semen ipsius manet in eo: neque potest peccare: eò quòd ex Deo natus est.*

Sed certè ipse Ioannis sonuit, si quæ sit apparentia difficultatis in his verbis: quia subdit, *In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli; Quasi diceret, vis nosse in quo statu pro præsentibus sint homines; attendas ad opera: Si filij Dei sunt, non peccant, quia semen ipsorum manet in eis;* id est, charitas secundum Augustinum; manente autem charitate, non potest quis peccare: *Si filij diaboli, ex fructibus cognoscetis eos,* id est, præsentem statum eorum, quia ve Ioannes ipse ibidem: *Qui facit peccatù, ex diabolo est.* Nunc dum facit peccatum ex diabolo est; nec sanè plus rationabiliter potest hinc adferri, nisi faciendo vim textui.

Aug.

Alia etiam pro se afferunt loca: sed hæc vrgentiora æstimant.

In oppositum verò pro possibilitate finalis defectionis, sexcenta sunt loca sacrae Scripturae, & Patres omnes conspirant cum Doctoribus Scholasticis.

Ex Scripturis ne multitudine obruantur, pauca afferam.

Psal. 2. 11.

Primo Psal. 2. 11. *Seruite Domino in timore, apprehendite disciplinam, ne irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. Ecce ne pereatis annon hoc importat finaliter? quid aliud*

est perire? Vnde illud Eccles. II. *Ante mortem ne quem-* Eccl. II.
quam laudes hominem.

Vnde Hieronymus l. II. contra Pelagianos, *Ne be-* Hieron. l.
rum dixeris quempiam ante mortem: quamdiu vivimus, in II. contra
certamine sumus: quamdiu in certamine nulla est certa vi- Pelag.
ctoria.

Ecce, ex illo loco probat Hieronymus finem nostrum etiam omnium viatorum incertum: manifestum enim est quod ibi specialiter alludat ad iustos.

D. Paulus etiam manifeste ostendit possibilitatem de- Paul.
fectionis finalis, etiam in homine iustissimo ibi. *Sed casti-*
go corpus meum & in servitutem redigo, ne forte cum aliis
predicaverim, ipse reprobus efficiar. Ecce per magnam pœ-
nitentiam insudavit, ne finaliter deficeret: illi enim so-
lum sunt reprobi, secundum sensum omnium Do-
ctorum.

Tandem ad Hebr. 6. *Impossibile est eos qui semel illu-* Hebr. 6.
strati fuerint, gustaverintque donum illud caeleste & partici-
pes facti fuerint spiritus sancti, gustaverintque bonum Dei
verbum, ac virtutes futuri seculi; si prolabantur, denuo re-
novari ad resipiscenciam.

Ecce Apostolus non solum dicit, posse vere iustos fi-
naliter cadere (quia loquitur de illis qui non apparen-
ter, sed vere participes facti fuerint spiritus sancti) sed
addit. *Non potest renouari ad resipiscenciam.* id est, diffi-
cillime.

Denique illud, *Vidimus stellas de celo ab impetu ferientis*
cauda draconis, & eos qui iacebant in terra à facie suble-
nantis manus divina mirabiliter ascendisse: vidimus viuos
morientes, & mortuos à morte resurgentes.

Quid est hoc viuos mori, nisi finaliter cadere, sicut
Angeli de cœlis: opponuntur autem illa verba sequen-
tibus. *& mortuos à morte resurgere.* id est, peccatores ad
vitam æternam, sicut Angelos de vita gratiæ ad mor-
tem æternam.

Sed super sedeo.

Ad sanctos Patres vero quod attinet: non esset opus,

eorum autoritates recensere: cum Calvinus (qui solus in hoc errore cum suis diuagatur) turbatus auctoritate D. Gregorii l. 3. Instit. c. 24. exclamat: pessime & perniciosè Patres tradidisse, nos esse electionis incertos: quod certe nunquam dixissent, nisi ex fundamento possibilitatis defectionis finalis.

Afferamus tamen aliquot celebriores.

Clemens
Alex. l. II
Strom.

Clemens Alex. l. II. Strom. dicit expresse & in terminis hæc verba: *Apostasia & excessus sunt in nostra potestate.* Annon rectè sequitur, ergo possumus etiam iusti finaliter cadere? ipsum nomen *Apostasia* importat in communi vsu sanctorum Patrum & Scholarum finalem defectionem.

Basil. ad
Chil.
Ezech.

Basilii aperte ad Chilonem: *Si à bono defecerit iustus & peccauerit: iustificationum illius quas ante fecit non recordabor, sed in peccato suo morietur.* Hæc ille in persona Dei ex Ezechiele. Ne prætenderetur, solum locutum de apparèti, & non vera iustitia, ecce dixit: *Si à bono defecerit iustus.* Indubie spiritus sanctus non nominat Hypocritas iustos: deinde non potest dici *à bono defecisse*, nisi vere bonum antea fecit; quod in sensu sacræ Scripturæ est esse iustum, tandem ne prætenderetur, saltem non finaliter deficere: ecce spiritus præuenit has argutias, *sed in peccato suo morietur.*

Hieron. ad
Iul.

Hieronymus ad Iulianum: *Sancti corrumpunt si fuerint negligentes: pristinum recipiunt gradum, si sordes fletibus lauerint.* Ecce loquitur non de fictis, sed sanctis: corrumpunt tamen subinde; loquitur de finali casu. patet ibi.

Ambrosius in
sermone quodam.

Ambrosius in quodam sermone: *In huius itaque mundi pelago volutantibus nobis, valde pertimescendum est ne nauem nostram aut procella tempestatis abripiat aut fluctus absorbeat, aut in aeternam prædam pirata crudelis abducatur.* Hic sane obstruitur os loquentium iniqua: loquitur de iustis, *volutantibus nobis: De casu finali, quia de abductione per diabolum in aeternam prædam.*

Augustinus de
bello Per-
seuerant.
c. 13.

Augustinus ubique fusè admodum; specialiter l. de bono perseuerantiæ c. 13. &c. ubi sic habet, *ex regeneratis*

alij perseverantes hinc exeunt, alij quousque decidant hic tenentur. Quid clarius? non de apparenter seu fictitiè iustis, sed de regeneratis: dicit tamen, aliqui eorum quousque decidant hic tenentur, id est, quousque mortaliter peccaverint, vel à sua regeneratione exciderint, hic tenentur, id est, non moriuntur. quasi diceret; tunc in peccatis suis moriuntur. Ponderanti clarissimus est textus.

Egregie sane in Psal. 126. post multa. Quid mirum Idem in quia in populo Dei cecidit Salomon? in Paradiso annon cecidit Adam? non cecidit Angelus de celo, & diabolus factus est? ideo docemur in nullo hominum spem ponendam esse. Psal. 126.

Ecce dat instantias de casu non finali in Adamo: de finali defectione in Angelo. & hinc à fortiori subinfert. si tam sancti cadant, si ipsi Angeli sanctissimi deficiant, in nullo hominum etiam iustissimo spem ponendam; quia omnes deficere possunt, etiam finaliter; & recte quidem illatum est, ex defectione finali Angelorum, possibilem & facilem casum finalem iustorum. Dixi Angelos sanctissimos; quia communis Doctorum utriusque Scholæ est eos qui post Apostasiam, diaboli facti sunt, antea in primo instanti fuisse æqualiter in gratia cum beatissimis spiritibus qui perseverarunt.

Prosper etiam ad mentem Augustini responsione ad 7. c. Gallorum. Ex regeneratis in Christo Iesu, quosdam relictæ fide & pijs moribus apostatave à Deo, & impiam vitam in sua aersione finire: multis (quod dolendum est) probatur exemplis. Nulla hic euasio: quia de regeneratis: Vera fide & pijs moribus donatis. Non ergo de fictitiis: Deinde impiam vitam finiunt in aersione. Non ergo hic defectio temporaria. Prosper. respons. ad 7. c. Gall.

Quid moror? constans est. nullum Sanctorum Patrum usquam huic Catholicæ doctrinæ contrarium docuisse: immo sæpissime hanc ipsam astruxisse, & corroborasse.

Quo si subinde reperias apud eos ex illo loco Pauli 1. ad Cor. 3. Charitas nunquam excidit, Charitatem veram non excidere, 1. Cor. 3.

Solutio est communis Doctorum, & manifestè est

mens Apostoli; distinguere fidem, spem, & charitatem, per hoc, quod illæ cum morte excident, non vero charitas, quia nec fides, vel spes licet finales in patria.

Non fides, quia non in ænigmatē, sed facialiter, vt loquuntur Scholastici, *videbitur sicuti est*. Non spes, quia succedit ibi tentio obiecti ante sperati, quæ est quasi terminus spei: obiectum enim erit tunc præsens, quia erit intuitio eius: requiritur autem ad spem, obiectum absens; vt conueniunt Doctores in 3. specialiter Doctor Subtilis d. 26. quæst. vnica: *Charitas autem non excidit*, id est, charitas finalis manet in patria: & ratio differentiæ est, quia charitas tendit in obiectum scilicet Deum, secundum se, abstrahendo à modo perfecto & imperfecto tendēdi, & sic licet hic inclinēt ad Deum amandum imperfecte: hoc tamen non variat habitum specificè, vt patet, quia hoc non prouenit ex se, sed ex præsentia vel absentia obiecti, quæ accidunt charitati.

Doct. in 3.
Scot. d.
26. qu. vn.

Ex Paul.
Seco. 3. d. 31
q. 1.

Aug. ser.
de Operib.
Mis.
Henric. de
Gandauo
Quodl. 5.
qu. 16. vel
17.

Seco. 3. d. 36
q. vn. ar. 1.
§. Ad 1.
arg. Arist.
prad. c. de
qual.

Alē. p. 4.
q. 14. m. 5.
a. 1. in sol.
quæst.

Sic ex D. Paulo communiter sancti & Doctores cum Doctore Subt. 3. d. 31. q. 1.

Dices, Augustinum in sermone de Operibus Misericordix, dicere: *Quod charitas quæ deseri potest nunquam vera fuit*. Sic eum citat Henricus de Gandauo. Quodlib. 5. quæst. 16. vel 17. ad quam auctoritatem respondet Doctor 3. d. 36. quæst. vnica art. 1. §. Ad primum argumentum, *quod Philosophus in prædicamentis 6. de qualitate, non dicit habitum esse inamissibilem, sed de difficili amissibilem: licet igitur virtus possit amitti, & ita habens eam, possit obliquari: non tamen sequitur, eam non fuisse virtutem etiam perfectam, secundum rationem habitus, quia non fuit inamissibilis.*

Et quod dicit de charitate: oportet exponi, quia aliquis vere fuit in charitate, licet postea peccauit mortaliter: sed non vera charitas, id est, vere coniungens fini, scilicet beatitudini. Hæc Doctor.

Ad idem magnus noster Alensis p. 4. quæst. 14. m. 5. a. 1. in solut. quæst. Virtus dupliciter accipitur, vno modo

do virtus vera dicitur, quæ habet verum virtutis opus, vel nata est habere, quantum est de se. & hæc veritas est de essentia virtutis: alio modo dicitur virtus, quia perducit in finem: & hæc veritas non est essentialis virtuti, sed dicit statum virtutis, seu continuationem. Hæc ille.

Vnde Hieronymus in Epist. ad Ctesiphontem. *Iob, Hieron. in Zacharias, & Elizabeth, iusti dicti sunt, secundum eam iustitiam quæ possit in iniustitiam aliquando mutari, & non secundum illam quæ nunquam mutari potest. de qua dicitur: Ego Deus & non mutor.* epist. ad Ctesiphont.

Nec valet ille locus Augustini l. de Cor. & gra. c. 7. Aug. l. de Cor. & gra. c. 7. licet perperam citatus à Caluinistis. *Horum fides quæ per dilectionem operatur, profecto aut omnino non deficit, aut si qui sunt quorum deficit, reparatur antequam vita ista finiatur.* Hæc verba speciose sonant per se; sed attendendo ad totum textum, nihil ad propositum faciunt. expresse enim loquitur ibi Augustinus de Prædestinatis, de quibus ex proposito & fufe agit; & declarat, quod Prædestinati, licet ob pericula huius vitæ subinde grauitè cadunt, tamen certo resurgent; *Pro his enim interpellauit Christus ne deficiat fides eorum, & sine dubio non deficiet usque in finem.*

Quid hoc ad rem: hoc non dubitatur; sed secundum præsentem iustitiam: an qui hodie vere iusti sint, non possint cadere & tandem finaliter perire. de quibus Aug. eodem l. c. 13. sic dicit. *Credendum est quosdam de filijs perditionis non accepto dono perseuerandi in finem, incipere viuere in fide, quæ per dilectionem operatur, (ecce per iustitiam) & aliquando fideliter ac iuste viuere, & postea cadere: & patet ipsum loqui de casu finali, alias non filij perditionis.* Idem eodem l. c. 13.

Tandem vt pro more applicemus ad propositum.

Consentit aperte Confessio Anglica art. 16. huic receptissimæ veritati: vbi dicit. *Postquam receperimus spiritum sanctum, possumus deserere gratiam & peccata committere: & tandem per gratiam Dei possumus resurgere; & vi-* Confess. Angl. art. 16.

nam nostram emendare. Condemnandi igitur sunt, qui dicunt (scil. regeneratos) non posse amplius peccare, quamdiu hic viuunt: & illi, qui negant lapsis vere pœnitentibus beneficium absolutionis.

Et art. 9. In art. etiam 9. determinatum erat regeneratos posse
& art. 15. peccare. sic etiam art. 15. sed cæteri articuli non adeo declarant totam rem, quia possunt exponi de defectione non finali, quæ solum hodie controuertitur. hic vero articulus omnem nodum dissoluit.

Dicitur ergo diserte, postquam receperimus spiritum sanctum. Quæ verba indubie important realem, non fictitiam vel apparentem, regenerationem; aliàs omnes in actibus Apostolorum, & alibi frequenter in Euangelio, de receptione spiritus sancti, &c. eluderentur, dicendo debere intelligi, non de reali, sed apparenti eius receptione; & consequenter tota veritas sacræ paginæ enervaretur. non ergo hic sensus.

Deinde hic dicitur, possunt deserere gratiam (quod autem nullo modo verum est, desereri potest) & peccata committere, scil. peccata quæ meritorie opponuntur gratiæ, quæ sunt mortalia; nam illa sola ex lege Dei priuant gratia recepta.

Sed ne putemus illam desertionem gratiæ, seu peccati mortalis commissionem, restringi debere ad temporalem, opportune subditur, Per gratiam Dei possumus resurgere. non dicitur per gratiam certo resurgemus; quod tamen addi debuisset, vt finalem perseuerantiam certo astrueret. sed, possumus, id est, liberum nobis est per gratiam Dei resurgere, si volumus; sin minus, etiam peccatis mori possumus.

Nec improvide dicitur per gratiam Dei, quia certū est quod ex viribus naturæ vel liberi arbitrii resurgere simpliciter non possumus; prout late ex Conciliis Araus. & Trid. fusè superius de libero arbitrio diximus. Regeneratus ergo lapsus de se non potest resurgere: nec gratia Dei ipsi debetur; quia tunc non esset gratia secundum Apostolum, vt ex eo omnes Doctores.

Araus.
Trid.

Paul.

Vnde igitur certitudo perseuerantiæ finalis? cum nulla lex occurrat de infallibili efficaci coniunctione gratiæ & naturæ per peccatum mortale infectæ?

Hic sensus apertissimus huius articuli: quod eo manifestius constabit, si librum Homiliarum accedamus; vbi pagina 17. habetur post multa de lapsu re-generatorum, *Tradentur potestati diaboli, qui imperium suum in omnes reprobos seu derelictos à Deo, sicut in Saulo & Iudæ exercet.* Ecce, comparat eos Sauli & Iudæ; de quorum finali defectione constat; quia vterque finaliter impœnitens, immo in affectu & actu peccati mortalis, moriens; vterque scilicet sui ipsius interfe-ctor.

l. Hom. pag. 17.

Et certe omnes confessiones aliarum nationum fe-re conspirant cum Ouërello, in collatione Hamptoniensi, Montacutio in sua Appellatione, Casaubonio in Epistola ad Bertium, cum reliquis omnibus melioris notæ.

Ouër. col- lat. Hã- pton. Mõ- tac. Ap- pel. Cauf. ep. ad Ber- tium.


Non me tamen latet Prædestinatos (quos scilicet Antiquitas sic vocitare solebat) mordicus huic recep-tissimæ doctrinæ & veritati contradicere.

De quibus verissimum est illud magni Vincentii Li-rinenensis cap. 27. *Iam vero illis quæ sequuntur promissio-nibus miro modo incautos homines heretici decipere consue-nerunt. Audent etenim polliceri & docere, quod in Eccle-sia sua, id est, in communionis suæ conuenticulo; magna & specialis ac plene personalis quadam sit Dei gratia, adeo ut sine vlllo labore, sine vlllo studio, sine vlla industria, etiam-si nec quarant, nec petant, nec pulsent, quicumque illi ad numerum suum pertinent, tamen ita diuinitus dispensentur, ut Angelicis cuncti manibus, id est, Angelica protectione ser-uari, nunquam possint offendere ad lapidem pedem suum. id est nunquam scandalizari.* Hæc ille vir grauissimus.

Vinc. Ly- rin. c. 17.

Viderint ipsi, annon ad viuum eos pungat. Diutius mansi in hac quæstione; quia à multis ex nostris non tan-gitur, eo modo quo hodie controuertitur; vt videre præ-

Bell. l. 3. de fertim est apud Bellarm. lib. 3. de Iustificatione c. 14. & Inst. c. 14. alios.



PROBLEMA

TRIGESIMVMPRIMVM.

An Virtutes Morales sint connexæ.

Scol.

*Henrici
Quodl. 5.
q. 19. 17.
Scholiator.*

SVnt apud Doctorem de hoc diuersæ sententiæ. Prima est Henrici, Quodlibet. 5. quæst. 16. 17. Virtutes in initio & progressu non esse connexas, bene tamen in perfectione & excessu. sic Scholiator epilogauit sententiam eius ex littera Doctoris. & rectè.

Probatur primò; quia Virtus perfecta est quæ non potest obliquari circa finem suum. sed vna virtus sola sine aliis, potest. ergo; Maior probatur, quia perfectio in Moralibus est perducere ad finem suum. ergo si non potest perducere ad finem suum, non est perfecta Virtus. Minor probatur, quia vna virtus non firmat voluntatem circa illa appetibilia quæ non per se respicit. ergo potest obliquari circa ea appetibilia sibi præsentata: sed ex obliuatione circa illa, potest obliquari circa obiectum suum proprium. ergo.

Patet in exemplo. quia habens temperantiam, & non fortitudinem, non firmatur circa terribilia sustinenda. ergo si præsententur sibi terribilia, puta quod fornicetur vel sustineat mortem: potest obliquari circa terribilia & per consequens, circa ea quæ sunt temperantiæ: nam talis potius eliget non sustinere mortem, quam non fornicari, quia non est firmatus circa illam passionem terribilem.

Confirmatur ex Greg. l. 10. Moral. c. 1. *Si quis una vir-* Greg. l. 20
tute pollere creditur, tunc veraciter pollet, cum vitis ex alia par- Moral. c. 1
te non subiacet. & lib. 21. c. 3. *Vna Virtus sine alia vel non est* Idem l. 21
virtus omnino, vel minima est. c. 3.

Præterea Commentator super 6. Ethic. in principio: *Comment.*
Non existente temperantia qualiter erit iustitia? Etiam idem *sup. 6 Eth.*
super illud 6. Ethic. Temperantiam hoc appellamus nomine
velut saluantem prudentiam; sorores ad invicem virtutes
sunt.

Secunda sententia est diuæ Thomæ 1. 2. quæst. 65. *D.Th. 1.*
 ar. 1. & quæst. 73. ar. 1. Cum quo Caietanus. 1. 2. q. 65. *2. q. 65. ar. 1*
 super articulum primum, & reliqui Thomistæ. quod *q. 73.*
 possibile est dari habitum quantumcumque perfectum, *ar. 1.*
 in genere naturæ, ex actibus frequenter elicitis circa *Caiet. 1. 2.*
 obiectum vnius virtutis, absque acquisitione alterius ha- *q. 65. sup.*
 bitus: sed ille habitus quantumcumq; intensus non habet *art. 1.*
 rationem virtutis, nisi sit conformis aliis virtutibus acqui-
 sitis, & ideo non est virtus: concordia enim habitus ad
 habitum necessaria est in quolibet habitu, quæ est vir-
 tus. sic Doctor explicat eorum sententiam. *scot.*

Caietanus vero loco citato, sic ponit sententiam *Caiet. loco*
 diui Thomæ & suam; quod scilicet Virtus potest con- *cit. D.Th.*
 siderari multipliciter. Primò, provt dispositio est, vel
 provt habitus est, vel provt est in statu virtutis: &
 dicit quod virtus solum perfecta sit, quando sumitur
 pro statu virtutis; & tunc non potest non connecti
 cum aliis virtutibus. Virtus autem sumpta pro statu
 virtutis est, quando inclinatur ad bonum, bene, scilicet
 cum firmitate ac delectabiliter in omni euentu. secun-
 dum Philosophum 2. Ethic. *Quod sciens, quod eligens,* *Arist. 2.*
quod propter hoc, quod immobiliter habens ipsam, operatur. *Eth.*
 Vult igitur quod habitus deficiat à ratione virtutis, ex
 eo quod licet inclinatur immobiliter, &c. ad eundem
 actum respectu eiusdem obiecti, tamen non eodem mo-
 do; quia est solum principium operis boni, non tamen
 bene, nisi superaddatur ratio virtutis.

Quibus omnibus pensatis.

Henric.

D. Th. vbi
sup. ar. 4.

Art. 1.

Haud video in quo differat hæc sententia à priori Henrici, nisi in verbis. quod eo magis constat, ex diuo Thoma, vbi supra artic. 4. vbi dicit, quod fides & spes, sicut & Virtutes Morales, dupliciter considerari possunt: secundum inchoationem, & secundum perfectionem. Secundum prius, possunt non connecti: secundum posterius, non possunt non connecti. quæ est ipsissima sententia Henrici, vbi supra. Idem etiam D. Thomas articulo 1. vbi post alia, ponit duas conclusiones: Primo, loquendo de Morali Virtute imperfecta, quæ nihil aliud est, quam aliqua inclinatio in nobis existens ad opus aliquod de genere bonorum faciendorum, virtutes Morales non sunt connexæ: siue illa talis inclinatio, sit in nobis à natura, siue ex assuetudine.

Secunda est, loquendo de Morali Virtute perfecta, quæ est habitus inclinans in bonum opus bene agendum, & secundum hoc virtutes Morales sunt connexæ; vt fere ab omnibus existimatur. Hæc ille. Quænam ergo differentia?

Authoritates etiam adductæ tam hic quàm ibi, æquè militant.

Amb. su.
per Lucã.

Prima est Ambrosii super Lucam: *Connexæ sibi & concatenatæ virtutes sunt, vt qui vnã habet, plures habere videatur.*

Aug. l. 6.
de Trin.

Etiam August. l. 6. de Trin. dicit: *Virtutes quæ sunt in animo humano, nullo modo separantur ab inuicem.*

Cicero Tus.
Quæst. l. 2.
etiam l. de
Offic.

Etiam Cicero in Tusc. Quæst. l. 2. *Si vnã virtutem confessus es te non habere, nullam necesse est te habiturum.* Etiam lib. de Offic. *Qui vnã, omnes habere virtutes.*

Seco. 3. d. 36
qu. vn. 5.
Quãtũ ad
istis, &c.

Tertia sententia est Doctoris Subt. 3. d. 36. quæst. vn. §. Quantum ad istum articulum: *Concedo quod virtutes Morales, nec secundum genera sua quæ communiter assignantur, iustitia, fortitudo, & temperantia. Nec secundum vllam rationem generaliore, nec secundum rationes formales, sunt necessario connexæ.*

Probatur primo: *Quia vna virtus est aliqua perfectio ho-*

minis: sed non totalis; sufficeret enim tunc una virtus Moralibus, igitur partialis. Quando autem sunt plures perfectiones parciales, idem perfectibile potest esse simpliciter perfectum secundum unam perfectionem in summo; & simpliciter imperfectum secundum aliam; sicut patet in homine, cuius est habere multas perfectiones organicas, potest esse summe dispositus, in una, verbi gratia, quoad visum, vel gustum, vel olfactum, nihil habendo de auditu; igitur potest aliquis habere perfectionem respectu materiae temperantiae; nihil habendo de perfectione quae requiritur respectu materiae alterius virtutis, & per consequens potest esse simpliciter temperatus, etiam quantum ad quemcumque habitum temperantiae; etsi non sit fortis, non tamen erit simpliciter moralis sine omnibus virtutibus Moralibus, sicut non est perfecte sentiens simpliciter in omnibus sensibus. sed non est minus perfecte temperatus, licet sit minus perfecte moralis: sicut non audiens licet sit minus perfecte sentiens.

Secunda ex §. praecedente, aliter argumentatur Doctor specialiter contra D. Th. & est à priori.

Virtus cum omnibus quae sunt de per se ratione virtutis, generatur ex actibus conformibus rectae rationi; ita quod ultra naturam actus vel habitus, ratio actus vel habitus virtuosus, non requirit nisi conformitatem ad rectam rationem.

Quod patet 2. Ethic. cap. 6. ex definitione virtutis; Virtus est habitus electivus immediate existens; quoad nos, determinata ratione, & ut utique sapiens determinabit. (illud determinata ratione) significat connexionem virtutis ad rationem determinantem medium, in illa materia.

Sed sine concordia aliarum virtutum concurrentium in eodem operante, potest esse talis conformitas, tam actus quam habitus ad rectam rationem circa illud quod eligit. ergo.

Assumptum patet: nam non recte eligit circa materiam temperantiae, nisi praecedente recta ratione dictante de tali eligibili: potest autem praecedere dictamen rectum circa materiam unius virtutis absque omni di-

Ex §. praecedente
Secundum
D. Th.

2. Eth. c. 6

etamine rationis circa materiam alterius virtutis : ergo.

Tertio, *Vnus potest se exercitare secundum actus unius virtutis, & non alterius, seu circa obiectum illius virtutis & non alterius, & ita poterit sibi acquirere unam virtutem perfectam & non aliam. Confirmatur, quia potest non occurrere oportunitas sibi, agendi circa materiam alterius virtutis, nec inclinatur ad hoc, sicut ad illud, cuius habet habitum.*

Si dicatur, quod licet materia alterius virtutis non occurrat exterius, occurrit tamen in phantasmatibus, & circa illa oportebit recte intelligere.

Contra; possibile est illa alia non considerare, sed solum illa, ad que inclinatur habitus virtutis, quia non contingit intelligere simul duo distinctè, secundum communiter loquentes: igitur si occurrant alia que pertinent ad aliam virtutem, non potest voluntas eligere circa illa, nec bene nec male.

Pulchræ & subtiles admodum sunt aliæ rationes apud Doctorem pro hac sententia.

Scot.

Vasq. 1. 2.

disp. 84.

cap. 4.

Azor 18.

1. l. 3. c. 29

q. 1. post

Occham. 3

q. 12. art.

3. & c.

Gabr. q.

unica 4. 1

& 2.

Basol. ea.

dem d. q.

1. a. 1.

Scot.

Vnde videtur etiam communior hodie in Scholis, ut videre est apud Vasquez 1. 2. disp. 84. c. 4 & Azor. tom. 1. l. 3. c. 29. q. 1. post Occhamum 3. q. 12. in art. 3. principali, Basol. eadem d. q. 1. a. 1. Gabriel q. unica, a. 1. & 2. & alios veteres.

Nec argumenta videntur vrgere in oppositum.

Ad probationem minoris, concedo totum: subsumptum vero illius nego, nam ut recte Doctor, *Virtus non obliquatur: sed habens virtutem ex defectu alterius virtutis; nec ex hoc est virtus ista imperfecta: quia non est eius dirigere hominem circa omnia, sed circa propria obiecta; sicut non magis obliquatur homo in videndo si potest audire, quam si non potest.*

Ad illud ex Gregorio potest dici, quod loquatur ibi de virtutibus, prout sunt habitus, quia sunt principia merendi: & hoc modo verum est, quod una virtus moralis non est virtus, quia non meremur per unam sine alia, vel non concomitante alia:

alia. nam habens temperantiam moralem non meretur, si non concomitetur humilitas, vel saltem, si oppositum vitium insit.

Ad Commentatorem concedo quod sicut sorores iuuent se mutuo ad conuiuendum, vna tamen non est altera, nec essentialiter perficit alteram; ita istæ virtutes bene se iuuant ad saluandum se mutuo. & in hoc potest intelligi dictum quorundã, quod vna non est tota sine alia, quia ita non bene saluatur sine alia. nam homini exposito multis tentationibus circa diuersas materias, imperfectio circa vnã materiam est vna occasio imperfecte agendi circa aliam; & perfecta dispositio agendi circa vnã, iuuat ad recte agendum circa aliam. iuuant ergo se mutuo sicut sorores, sed nulla est requisita ad perfectionem essentialẽ alterius; sicut prius nascitur vna soror quam alia, & similiter non possunt simul generari: non enim possunt haberi duo actus perfecti generatiui duarum virtutum. Hoc optime soluit fundamentum Henrici.

Comment.
2.

Ad illud pro D. Thoma ex Ambrosio, videtur eandem rationem militare, sicut ad illud Gregorij.

D. Thom.
ex Am-
brosio.

Quod autem ex Augustino allatum est; manifestum est ex Epistola ad Hieronymum quæ est 29. post medium Epistolæ; vbi eandem doctrinam tradit, ipsum non negare quin vna virtus moralis potest esse sine alia; sed quia sine charitate nulla est vera & perfecta virtus. ergo si auferas charitatem, nulla erit virtus; & si concesseris charitatem, omnes virtutes sunt.

Greg.
Aug. ep.
ad Hieron. 29.

Vnde Aug. in tract. de laude charitatis. Vbi charitas, quid est quod possit deesse? vbi autem non est, quid est quod possit prodesse?

August.
tract. de
laude cha-
ritatis.

Vnde Magister 3. d. 26. Cur ergo non dicimus qui hanc virtutem habet omnes habet, cum plenitudo legis sit charitas. que quanto magis est in homine, tanto magis virtute præditus: quanto vero minus, tanto minus inest virtus.

Magist. 3.
d. 26.

Sed audiamus ipsum loco citato ad Hieronymum, vbi se ipsum explicat. Profecto ut quisque illustratione pie charitatis affectus est, in alio actu magis, in alio minus, in alio nihil: sic dici potest habere aliam, & aliam non habere, & aliam magis, & aliam minus habere virtutem. Postea.

Et ut generaliter breuiterque complectar, quam de virtute habeo rationem; virtus est charitas, qua id quod diligendum est diligitur. hac & in alijs maior est, in alijs minor, in alijs nulla est. Et secundum hoc dixerat paulo ante quod recte possum dicere in vno homine, quod maiorem habeat pudicitiam quam patientiam, & maiorem hodie quam heri, se proficit: & adhuc non habeat continentiam: & habeat non paruam misericordiam.

Ecce aperte concedit inesse misericordiam & non continentiam, omnia tamen tribuit charitati.

Immo in eadem epistola, vbi dixerat fuisse sententiam omnium philosophorum, omnes virtutes annecti, subnectit. Sed hac opinio non est sumpta ex diuina sententia, sed ex hominibus tantum, ingeniosis tamen. Quia si secundum diuinam sententiam volumus loqui, profecto erit in aliquo virtus vna, & cetera omnes erunt in eo. & postea. Nec etiam verum est secundum diuinam sententiam, qui vnā non habet, nullam habeat.

Hieron.
Comment.
ad 56. c.
Isaia.
Magist.
Hieron. l.
1. contra
Pelag.

Ad idem est Hieronymus Commentario ad 56. cap. Isaia in principio: Omnes virtutes sibi herent, ut qui vna caruerit, omnibus careat: qui ergo habet vnā, omnes habet: quod ratione charitatis intelligendum est secundum Magistrum.

Vel si minus placeat illa solutio Magistri; dic Hieronymum velle virtutes connexas esse participatione, non proprietate. quod expresse asserit l. i. contra Pelag. paulo post initium, vbi fusè hoc probat.

Connecti autem participatione, est connecti similitudine, id est, secundum generales quasdam rationes, id est, secundum discretionem, reſtitutionem, firmitatem, & moderationem; & hæ rationes in quolibet actu cuiuslibet virtutis inueniuntur, vt optime prosequitur Petigianis 3. d. 36. a. 4. ex Bassolis eadem d. q. vnica a. 1. Occham & Gabriel, vbi supra, volunt omnes virtutes connecti in rationibus illis communibus, & hoc tam quoad actum, quam habitum.

Petig. 3. d.
36. a. 4. ex
Bass. eadē
d. q. vnica
a. 1. Occh.
& Gab.
vbi supra.
D. Ber ser.
70 sup.
Cant.

Tandem D. Bernard. ser. 70. supra Cant. sub finem, loquens de virtutibus sponsi, dicit, Christum omnes vir-

cutes habuisse, ac proinde pasci inter lilia: secus tamen est in iustis. immo de illis loquens, dicit: *Magnus est qui tria aut quatuor lilia edificare poterit in tanta spinarum densitate, id est, tres vel quatuor virtutes.*

Non ergo secundum cum omnes virtutes connectuntur.

Quibus omnibus à Caietano ponderatis. tandem 1. 2. q. 65. a. 1. 4. cum Valentia tom. 2. disp. 5. q. 7. puncto secundo. fatentur virtutes non esse connexas essentialiter, seu quoad rationem essentialem, licet bene quoad proprietatem; adeo ut semper maneat hoc verum, quod vna virtus non potest esse sine alia realiter.

Caiet. 1. 2.
q. 65. a. 1.
4.
Valent. to.
2. disp. 5.
q. 7. puncto 2.
Scot.

Sed æquè militant contra hoc rationes Doctoris & auctoritates sanctorum citatæ.

Quod autem Caietanus, dicit, ut etiam notavit Casalius de Quadripartita iustitia hanc quæstionem tractans; argumenta Doctoris Subtilis solum probare non necessariam connexionem habituum; quod etiam concedit D. Thom. non autem enervare necessitatem connexionis in ratione virtutum moralium.

Casal. de quadripartita iustitia.
D. Thom.

Certe est gratis dictum: Doctor enim à priori probavit non connexionem realem virtutum, ut supra patet.

Scot.

Quod etiam Valentia ubi supra dicit Doct. Subt. solum probare vnam virtutem posse esse sine alia secundum essentiam, non autem secundum statum virtutis, quod solum asserit D. Thom. & sic

Valent. ubi supra.

Apparet secundum superius dicta, & modum explanationis *illius status*, quæ ex Caiet. & Casalio desumpsimus esse falsum. vere enim nihil addit ipsi rationi virtutis.

Caiet. & Casal.

Valentia quidem dicit, quod status virtutis in hoc consistit, quod virtus ob nullius generis difficultatem, siue in materia propria, siue extranea, deficiat ab officio recto secundum rationem formalem sui obiecti, sed immutabiliter & certò illud in quovis casu exequi valeat.

Valent.

Sed hæc explicatio non est ad mentem D. Tho. secundum Caietanum, Casalium ut patet supra; & Medinam qui 1. 2. q. 65. &c. ubi dicit solum requiri ad statum virtutis,

Medin. 1. 2. q. 65.

Quod homo operatur sciens & eligens, & firmo ac stabili animo.

Sic etiam communiter Thomistæ. quod meo videri nihil superaddit rationi virtutis, vt dixi.

Deinde hic modus explicandi Valentia, solum vult, statum virtutis intelligi de virtute in gradu heroico, quæ vix reperitur in vita ista, secundum quod communiter Doctores.

Si tamen vis vrgere illum esse sensum D. Thomæ;

Vere existimarim solum esse quaestionem de nomine, in forma locutionis, & nullo modo in re inter ipsum & Doctorem. Quod enim vna virtus indigeat aliis, ad hoc vt fixa sit & permanens & completa, omni tempore, in omni loco, in omni euentu, & quouis casu, vt loquitur Valentia, post Henricum de Gandauo, vbi supra. hoc non negat Doctor Subtilis, dicit solum hoc non requiri ad perfectionem huius vel illius virtutis, quia virtus vt sit non est inamissibilis secundum philosophum, sed difficulter amissibilis; & ad hoc non requirit alias virtutes, per se loquendo.

Valent.
post Hen-
ric. de
Gand. vbi
sup.
Scot.
Arist.

Azor. vbi
sup.

Et proinde Azorius, vbi supra, dicit has opiniones S. Thomæ & Scoti non differre; quod licet falsum sit, prout eam explicauerunt D. Thom. & Henricus: verum tamen est secundum hunc modum Valentia. quo sensu etiam eos conciliat Azorius, scil. intelligendo D. Thomam de virtute perfecta & heroica quæ secundum eum ibi; est dum homo fit potens contra omnem appetitus affectum, contra timorem mortis, &c. omni modo &c. quæ est ipsa doctrina Valentia & à nullo negata; sic etiam Tannerus in 1. 2. disp. 2. c. 4.

Valent.
Tanner. 1.
2. disp. 2.
c. 4.

Sed vere tam rarus est iste casus habendi virtutem in illo gradu; quod quaestio hæc reduci haberet ad speculationes Metaphysicas, cum vix vel ne vix ad mores pertineat, quod est contra intentum D. Thomæ & Doct. Subtilis.

confes.
Angl.

Quid hic teneat Confess. Anglica (si aliquid determinauit) postea declarabo.

PROBLEMA

TRIGESIMVMSECVDVM.

*An potest esse prudentia sine Virtute
Moralis.*

TOta hæc Quæstio inter Doctorem & D. Thomam, pendet ex diuerso modo sumendi prudentiam; vt recte notauit Petigianis art. 5. Si enim sumatur pro iudicio practico tantum ostensiuo vere & recte de agibilibus; vel vt loquitur Doctor 3. dist. 36. quæst. vn. §. Nec obstat, si sumatur pro habitu conformatiuo praxi, hoc est, quod sit talis cognitio, quod quantum est ex se, praxis recta debet sibi conformari, siue in eodem distante sequatur electio recta, siue non. prout latè prosequitur Doctor in Prologo primi Quæst. de Theologia practica & speculatiua.

Petig. a. 5.

scor. 3. d. 36

qu. vn. §.

Nec obst.

Idem Prol.

1. Quæst. de

Theol. pra.

Etica, &c.

Caiet. 1. 2.

q. 58. n. 5.

& q. 66.

art. 3.

Secundum hunc sensum non negant Thomistæ ex D. Thoma cum Caietano 1. 2. quæst. 58. n. 5. & q. 66. a. 3. prudentiam posse esse sine aliis virtutibus; sed tunc non volunt esse prudentiam propriè loquendo, sed potius dicendam esse scientiam practicam.

Et hanc viam Doctor §. Aliud dubium, iudicat probabilem: dicit enim §. Quantum ad primum de prudentia, *Potest dici quod strictè loquendo, prudentia non est sine virtute Morali, quæ est ratio recta confesse se habens appetitui recto ex 6. Ethic. appetitus autem non est rectus sine virtute morali, secundum Philosophum ibi.* Vult igitur probabiliter, quod quando contingit bene dictare circa aliqua, non bene agendo circa illa, quod non sit habitus prudentiæ, sed scientiæ practicæ.

scor. §.

Aliud dubium

&

§. Quantis

ad 1. &c.

6. Ethic.

Si vero sumatur prudentia, pro iudicio actuali, seu pro ratione recta actu se confesse habente appetitui recto, seu quod idem est actu coniuncta cum appetitu recto; tunc utraque Schola conuenit, & ex terminis constat, sibi annexam esse virtutem moralem, saltem aliquam sibi in appetitu respondentem.

D.Th. 1. 2. D. Thom quidem 1. 2. q. 60. a. 1. ad primum vult, v-
q. 60. a. 1. nam esse prudentiam respectu omnium virtutum mora-
Ad 1. & c. lium.

scot. §. De Sed Doctor §. De alia parte, tot esse prudentias spe-
alia parte. cie distinctas, quot sunt Virtutes Morales sic distin-
ctæ.

Sed hoc non tangit præsentem quæstionem, cuius finalis resolutio apud Doctorem est, quod licet sumatur prudentia in priori sensu, propriè dicenda esset prudentia.

Quod sic declaratur: Omnis habitus practicus in intellectu, cui nata est conformari virtus moralis in voluntate, est prudentia: sed tali habitui dictatiuo, licet non sequatur recta electio in voluntate, est tamen nata ei conformari. ergo est propriè prudentia.

Si dixeris: *Debet esse confesse se habens*; id est, concurs appetitui recto.

idem. Respondet Doctor. Hoc non mouet. Nam prius naturaliter non videtur habere aliquid de sua dependens à posteriori: Prudentia vero videtur esse naturaliter prior virtute morali; quia definit ipsam. ergo.

1. Ethic. Definitur autem secundo Ethicorum: *Virtus est habitus electiuus in mediocritate existens quoad nos determinata ratione, & ut utique sapiens determinabit.* Vbi patet virtutem definiri per ordinem ad rectam rationem; seu rectum dictamen intellectus, quod est prudentia.

Patet autem definitum aliquo modo esse posterius suo genere & differentia quibus definitur, sicut totum est posterius suis partibus; siue Physicum, siue Metaphysicum. Quod bene notandum est.

Quod etiam intelligendum est; siue dicet de mediis

ad finem, siue de ipso fine in particulari, seu ad particularem materiam contracta.

Dixi, siue de ipso fine, &c. quia consultamus non solum de mediis vtilibus ad aliquem finem, in quibus non est finis honestas, sicut in propria materia; sed etiam de ipsa materia finis; vt etiam tradit Doctor §. Licet istud videatur. verbi gratiâ, de fine temperantia in hoc cibo, & potu; vbi prudentia mediocritatem materiae habet assignare; sicut etiam in omnibus virtutibus.

Doctor §.
Licet istud
videatur.

De fine autem abstracto à materia, seu secundum se, non est prudentia: (verbi gratiâ, quod simpliciter bene viuendum est, &c. non attentis particularibus circumstantiis ad praxim) sed potius intentio eius praecedit prudentiam; praecedit verò à syndæresi, quod est lumen quoddam naturale & habituale intellectus practici inclinans eum ad assentiendum principiis vniuersalibus practicis; vt docet Doctor 2. distinctione 39. Scot. 2. d. & ab illa scilicet syndæresi proponuntur huiusmodi 39. principia vniuersalia, seu fines sic abstracti à materia.

Ratio autem huius est apud Aristotelem 3. Ethic. 3. Eth. c. 39. De non dubijs non est consultatio nec inquisitio; De fine autem secundum se considerato, hoc est, de ratione appetibilis propter se considerati sine materia, dubitatio esse non potest saltem practica.

Nam quamuis possumus dubitare, an hæc vel illa res sit honesta, an tantum delectabilis; quod est tantum considerare has rationes finis contractas in materia singulari, tamen de ipsa ratione honesti & de ipsa ratione delectabilis secundum se, abstracta à materia, non potest esse vlla dubitatio: sed per se vtraque patet esse appetibilis. sic Petigianis; & rectissime ad mentem Doctoris. vt patet §. Citato. vbi Doctor idem fusè & optime sic probat.

Petig. ad
mentem Sco-
ti §. Citato

Virtus Moralis semper sequitur ordine naturæ prudentiam aliquam, vt dictum est: sed ex electione finis particularis, verbi gratiâ, volo hic & nunc obseruare

224 *Problema trigefimum secundum,*
 castitatem, & huiusmodi, generatur virtus Moralis,
 ergo istam electionem præcedit aliqua prudentia.

Consequentia probatur, quia secundum omnes;
 virtus moralis habet necessariam connexionem cum

Seco. §. Po- prudentia dictatiua de sua propria materia: vt etiam no-
test aliter tat Doctor postea §. Potest aliter dici.
dici.

Et ratio est manifesta, quia nulla electio potest esse
 recta moraliter, nisi sit concors suæ regulæ, & suæ men-
 suræ, quæ est dictamen rectum: dictamen autem re-
 ctum est natum generare prudentiam, etiam si sit vnicum.
 ergo.

Nec obstat quod dicitur; prudentiam esse habitum
 consiliatum, & ita ad fines discursiuum; nam de fi-
 nibus propriis virtutum Moralium dictatur discurrendo
 à principiò practico sumpto à fine vniuersali ad parti-
 culares: & ille discursus est prima consiliatio, licet
 communius dicatur consilium de mediis Virtutum.

Scot. vbi Consequenter igitur ad hanc doctrinam; Doctor
sup. §. Cō- Subtilis tenet & fuse probat vbi supra §. Contra hoc ar-
tra hoc ar- guitur; quod prudentia potest stare sine virtute morali
guntur. in voluntate, quocum post Occhamum 3. quæst. 11. art. 3.
Occham. Bassolis 2. d. 25. quæst. 2. Rubion 3. dist. 36. quæst. 2. Ga-
 3. 7. 11. d. 3. briel qu. vn. ar. 3 qui semper agit Scotistam, & aliis qui-
 3. 1. f. 2. d. bus consentit Casalius lib. 2. c. 19. vbi fuse agit & bene,
 25. 9. 2. licet subinde Thomistam agat. Petigianis optime probat.
Rubion. 3. art. 7.
 d. 36. 9. 2

Gab. 7. vn. Tota autem difficultas oritur ex hoc capite, An sci-
 4 3. licet stante recto dictamine intellectus, potest voluntas
Casal. l. 2. velle vel non velle actu positiuo, contra id quod di-
 c. 19. pe- ctatum est à recta ratione; itavt potest esse rectum di-
sig. art. 7. ctamen in intellectu, & tamen voluntas male eligere.
 Hoc enim semel concesso, sequitur veritas opinionis
 Doctoris.

Scot. Quod Doctor sic probat.
 Primò ex Augustino super illud Psalm. 123. Forte vinos
Aug. super illud Ps. degluttissent nos. Hi sunt qui vini absorbentur; qui sciunt ma-
 323. lum esse & lingua consentiunt; absorpti moriuntur. Vbi pa-
 tet

patet stante recto dictamine intellectus, dictantis scilicet esse malum, quod malum est, tamen voluntas male eligit.

Idem super illud Psal. 68. *Fiat mensa eorum coram ipsis*, ^{Idē super illud Psal.} &c. *Quid est vitij consentientes, nisi scientes non debere non consentire?* ^{68.} *Ecce norunt muscipulam, pedem tamen electionis mittunt.* Vbi etiam patet intellectum recte dictare, quia norunt muscipulam, pedem tamen electionis mittunt, in oppositum dictaminis.

Idem super illud Psal. 118. *Concupiuit anima mea desiderare, &c.* dicit Augustinus: *Præcedit intellectus, sequitur tardus vel nullus affectus.* ^{Idē super illud Psal.} Vbi saltem manifestum est, non ^{118.} necessariò connecti rectam electionem cum recto dictamine; quia secundum Augustinum subinde *nullus est affectus.*

Sunt apud Doctores nostros præsertim Petigianis, ^{Petig.} plures ad idem authoritates; & verè sunt magni ponderis; quia loquuntur de scientia, seu dictamine, non quocumque sed practico, prout scilicet ordinatur ad voluntatem, quia de hic & nunc agendo vel non agendo; vt patet in locis citatis magni Augustini. ^{Aug. locis citatis.}

Quod ideo addo; quia Thomistæ dant prudentiæ tres actus; Primus est consiliari, seu inquirere; Secundus est iudicare, & sequitur ad prudentiam. Tertius est præcipere; qui est præcipuus actus prudentiæ. sic ^{D. Th. 1. 2. q. 52.} Thomistæ ex D. Thoma 1. 2. q. 52.

Et cum duobus prioribus actibus, potest non connecti necessariò virtus moralis in voluntate, quia aliàs non posset dari peccatum ex malitia; sed cum posteriori nullo modo secundum eos, quia præcipere, quem attribuunt prudentiæ, seu intellectui informato prudentiâ secundum eos, est formaliter quidem in intellectu, sicut ipsa prudentia, cuius est actus, causatur tamen, seu primo mouetur intellectus ad illud imperium exercendum à voluntate sic recte mouente. Sic ^{Caiet. 1. 2. q. 58. ar. 5.} Thomistæ cum Caietano prima secundæ quæstione 58. articulo 5.

Ex quo patet, secundum hunc modum eorum exponendi, non posse stare prudentiam secundum hunc actum sine virtute morali, quia requirit necessario appetitum rectum mouentem: constat autem secundum omnes, voluntatem seu appetitum non recte mouere posse sine virtute. Sed nescio annon sit hic circulus?

Rationes pro nostra sententia non affero; quia vt ingenuè dicam quod sentio, non concludunt contra eos; sed ex his tribus actibus, facile euadunt. Auctoritates videntur pungere.

Rationes etiam eorum contra nos non vrgent.

Summa igitur huius sententiæ est; errorem qui subest in omni peccato, non est iudicii, sed imperii; quod differt à iudicio, quia non dicit quid oportet agere, sicut iudicium; sed ordinat & imperat vt fiat; ac proinde non habet rationem iudicatiui; hoc est faciendum vel non faciendum: sed imperatiui, hoc fac vel facias; & eius veritas non consistit in conformitate ad rem; sed in conformitate ad appetitum rectum; quatenus imperat quod conforme est intentioni finis.

Sed ad quem finem necessarium sit hoc imperium, nescio; cum in intellectu & voluntate sufficiens efficacia sit ad quamcumque operationem. Vasquez etiam vbi *infra*, propter hoc negat imperium esse alium actum intellectus quàm actum compositionis; sed dicam postea non esse actum intellectus omnino.

Hinc etiam claudicant alio principio, scilicet quod iudicium practicum rationis, quod idem est ac imperium, prædeterminet voluntatem ad agendum seu prosequendum bonum ostensum.

Quod tamen videtur falsum; quia si illud iudicium practicum, est adeo prærequisitum ad operandum, vt in suo genere sit causa necessaria ad actum liberum voluntatis: & illo iudicio posito, voluntas non potest non consentiri illi; ergo voluntas non est absolutè talis potentia; quæ positis omnibus prærequisitis ad ope-

randum posset velle & non velle. & sic non erit libera.

Nec valet, quod respondent, scilicet voluntatem in se spectatam esse indifferentem, seu indeterminatam, non vero prout supponit iudicium illud intellectus, & vt mota ab illo. Sed hæc fuga nulla est: tum quia voluntas secundum se spectata nihil velle potest, donec sit mota ab illo iudicio rationis secundum eos: parum ergo est ad vsum libertatis in voluntate, quod ipsa secundum se sit indifferens, si vt mota ab intellectu, iam non est indifferens, sed determinata, cum determinatio illa intellectus, naturalis etiam est. verbi gratiâ, oculus per se ac nude sumptus est indifferens ad videndum & non videndum, quia vtrumque exercere potest, nec tamen est ideo liber, quia posita determinatione obiecti naturaliter determinatur ad videndum. Sic ergo in voluntate, si per intellectum omnino determinetur ad vnum: nec modus determinandi diuersus impedit, quia saltem vtroque est necessarius. Deinde in doctrina eorum voluntas nostra nude spectata, licet sit libera ad amandum & non amandum Deum, tamen supposita clara eius visione, non est libera, nec indifferens, quia supposita tali scientia de Deo, seu ostensione obiecti, non potest non amare, vbi patet secundum eos determinationem ex parte intellectus impedire vsum libertatis in voluntate.

Verius igitur est quod illud imperium quod explicant per hæc verba: *Fac hoc*; non est aliud per se loquendo, quam efficax volitio inclinans & impellens potentiam executiuam vt faciat hoc. Quod vel eo magis patet, quia imperium pro obiecto proximo & directo habet ipsum opus, volendo & promulgando hanc volitionem circa factionem vel actionem alicuius rei. Deinde ipsum fundamentum huius imperii seu iudicii practici est falsum. Quod est positio idearum practicarum à speculatiuis distinctarum in intellectu operantium, quæ

sint principia proxime applicatiua potentiaë executiua: non enim dantur tales; sufficit enim actus repræsentans in intellectu, quod artifex tale quid facere decreuerit, vel repræsentans talem effectum fore sine talibus idæis: Immo præter conceptum operis faciendi prærequisitum ad voluntatem faciendi, ac præter voluntatem faciendi & potentiam faciendi nullus est actus intellectus vel imperii requisitus ad opus vel ad volitionem operis: ille autem conceptus prærequisitus vt directius voluntatis faciendi, dicitur practicus; vt ostendi in Prologo. Nullum igitur imperium in intellectu formaliter, sed in voluntate. Sic

Scot. 4 d. Doctor quarta distinctione 49. quaestione quarta, argum. 3. & alibi frequens. Dixi, formaliter, nam concomitantur etiam in intellectu, quia est promulgatio eius.

Arist. 6. Quod vero afferunt ex Aristotele sexto Ethicorum *Eth. c. 10.* cap. 10. in hoc differre prudentiam à sagacitate, quod prudentia sit præceptiua, quia finis eius est, quidnam sit agendum: sagacitas vero vis solum iudicandi.

Vasq. p. 2. Hoc non vrget, vt etiam aduertit Vasquez par. 2. *qu. 17.* quaestione 17. quia vere ibi, non intelligit, per præcipere, imperium propriè dictum, sed iudicium practicum, seu dictamen prudens. id est, quo dictatur voluntati, quid agendum sit: sagacitas non sic ostendit vel determinat, quid agendum vel quid fugiendum, sed potius confirmat quod iudicatum est.

Ad solutionem vero prædictorum, aliqui recentiores, constituunt libertatem voluntatis in sola indifferentia iudicii rationis, id est, in hoc quod per actum iudicii ostendatur indifferentia in obiecto volendo, seu quod obiectum propositum voluntati non est necessario volendum ab ipsa, adeo vt indifferentia teneat se ex parte obiecti potius quam ex parte voluntatis. quo posito facilè soluuntur omnia quæ adduci solent ad probationem indifferentiaë in voluntate,

quia secundum hoc, voluntas licet determinetur aliunde, tamen ob indifferentiam in obiecto, manet liber. sicut de facto est in Deo, cuius voluntas ab æterno est summe determinata ad vnum, tamen quia omnia obiecta ad extra iudicantur ipsi indifferentia, hinc dicitur vere liber in actibus suis in ordine ad ea.


Sed sine omni prorsus dubio videtur hic modus explicandi libertatem creatam, falsus. & vix video in quo differat à fatali necessitate voluntatis, quam posuerunt Stoïci. Illi utique posuerunt indifferentiam in iudicio rationis, non quod voluerunt iudicium illud esse formaliter indifferens, sicut nec prædicti authores volunt; sed posuerunt rationem, vtramque partem, nempe neglectus vel amplexus obiecti voluntati proponere, cognitionem etiam ratiocinativam & deliberativam in intellectu agnouerunt, & putarunt voluntatem, non posse elicere actus humanos (non dico hominis) sine prævio illo dictamine intellectus, quod Aristoteles in libris Perihier. vocat consultationem, vbi sine dubio inuoluitur indifferentia obiecti, seu non necessaria determinatio in obiecto: cum his tamen omnibus, putarunt stare necessitatem in actibus liberi arbitrii (vt ipsi etiam vocarunt ob indifferentiam positam) & destrui omnem veram libertatem, quia voluntas post consultationem iudicii necessario fertur in obiectum; nam vel determinatur ab ipsa ratione, vel ab intelligentiis, vel cælo, vel à Deo secundum eos. adeo vt quod licet horum sufficiat secundum eos ad tollendam libertatem, quod etiam illi videntur dicere: nec exemplum de Deo est ad rem. Deus licet ab æterno, tamen à se, id est, à sua voluntate est determinatus ad hanc vel illam partem, & hinc est liber. Illi vero ponunt libertatem formaliter in ipsa indifferentia iudicii seu obiecti, adeo vt si voluntas aliunde determinetur, erit tamen libertas ob indifferentiam priorem, quod sane est ipsa opinio Stoïcorum, vel valde appropinquat.

*Arist. . .
bris Perihier.*

Sunt quidem apud Doctorem alia authoritates ultra

scil.

Problema trigesimum secundum,
 eas quas attulimus superius pro sententia, de necessaria
 connexione prudentiæ cum virtutibus, quarum solu-
 tio petit.



PROBLEMA

TRIGESIMVM TERTIVM.

*An & quomodo malitia vel peruersitas in vo-
 luntate potest excæcare intellectum.*

6. Eth.

c. 13.

3. Eth.

sap. 2.

Aug. su-
 per illud
 Psal. 2.

3. Eth.

scot. §.

Contra hoc
 arguitur.

Cuiusmodi sunt 6. Eth. c. 13. *Si voluntas male elegit,*
intellectus male dicitur.

Etiam 3. Ethic. *Omnis malus, ignorans.* scil. quæ oportet operari & respuere. Cui concordat illud Sap. 2. *Excæcauit illos malitia eorum.*

Confirmatur per Augustinum super illud Psal. 2. *Loquetur ad eos in ira sua, obumbratio merito sequitur eos, qui legem transgrediuntur.*

Sicetiam 3. Ethic. *Vitiosus qui iam habitum acquisiuit, habet ignorantiam finis.* Doctor vero in corpore. §. *Contra hoc arguitur, negat priuitatem voluntatis excæcare intellectum; ita quod erret circa agibilia.*

Quod sic probat.

*Termini sunt totalis causa notitiæ primi principij: ita in practicis, sicut in speculatiuis, ex primo Posteriorum: & forma syllogistica est euidentis omni intellectui, per definitio-
 nem syllogismi perfecti 1. Priorum. Igitur terminis apprehensus & compositus, & facta syllogistica deductione necesse est intellectum acquiescere conclusioni, cuius notitiæ dependet præcise ex principijs notis, & notitiæ deductionis syllogisticae. igitur impossibile est voluntatem facere intellectum consideran-*

rem principia & deductionem syllogisticam errare circa conclusionem sic deductam, & multo minus circa principia; igitur nullo modo excacabitur intellectus ut erret.

Et si tunc queritur, quomodo malitia excacat intellectum secundum illas auctoritates.

Potest dici quod excacat dupliciter. vno modo priuatiue; alio modo positue. priuatiue, quia auertit à consideratione re-
cta: voluntas enim eligens oppositum alicuius recte dictati, non permittit intellectum diu stare in illo recto dictamine, sed auertit ipsum ab illo, & conuertit ad considerandum rationes pro opposito, si quæ possunt esse sophistica vel probabiles; saltem auertit ad considerandum aliud impertinens, ne stet illa actualis displicentia, quæ stat in remorsu illo, qui habetur in eligendo oppositum dictati.

Positiue autem excacat sic; nam sicut voluntas recte eligens finem, præcipit intellectui, considerare illa, quæ sunt necessaria ad illum finem; & intellectus, sic inquirendo media ordinata ad illum finem rectum, generat in se habitum prudentia; ita voluntas eligens sibi malum finem (potest enim sibi præstituerè malum finem, sicut dictum est dist. I. quæst. 1. ^{d. I. q. II} primi) præcipit intellectui considerare media necessaria ad consequendum illum finem. De quo bene August. de Ciuit. ^{Ang. de Ciuit.}
Quod voluntas habet suas virtutes; sicut ibi pertractat; hoc est, voluntas præstituens malum finem sibi, præcipit intellectui inuenire media necessaria ad delectabilia prosequenda, & tristia opposita fugienda. Et sicut ex imperio voluntatis bene eligentis, generatur in intellectu bene dictante circa media ad illum finem bene electum perquirendum, habitus qui est prudentia; ita in voluntate male eligente, habitus acquisitus ex dictamine circa ea quæ ordinantur ad malum finem electum est error, & habitus directe oppositus habitui prudentia; & potest vocari imprudentia vel stultitia; non tantum priuatiue, sed positue & contrarie; quia sicut prudens habet habitum, qui recte eligit ordinata ad finem debitum; ita imprudens vel stultus habitum quo prompte eligit ordinata ad finem præstitutum à voluntate mala, & talis habitus generatur ex imperio voluntatis male eligentis.

Pro tanto igitur verum est, quod voluntas mala excacat; non quidem faciendo errare circa aliqua complexa; sed faciendo intellectum habere habitum considerandi aliqua media ordinata ad malum finem: & totus ille habitus est error in agibilibus, licet non sit error deceptiuus, quantum ad considerationem seu speculationem. Hæc Doctor, & sane secundum hanc doctrinam, facile est soluere omnia allata in oppositum.

scot.

Petes, An igitur intellectus nunquam potest errare speculando, seu in cognitione veri; verbi gratiâ; annon potest putare falsum verum, vel oppositum; & sic habere errorem deceptiuum?

Ad hoc dico; quod intellectus quoad principia vniuersalia practica errare non potest, nec quoad conclusiones immediate deductas ex eis: vt de vtrisque probauit Doctor. sed circa conclusiones particulares deductas; verbi gratiâ, ex duabus præmissis, quarum maior est principium vniuersale, minor est propositio de veritate particulari, & consequenter non ex terminis nota; potest errare; & falso iudicare de minori, & consequenter circa conclusionem deductam ex illa.

Et de hoc non potest esse dubium; cum clare constet de hæreticis, quod habeant errores positiuos & deceptiuos, contra multas veritates fidei etiam practicas; sicut iudicant multi Christum non esse adorandum in altari, & huiusmodi.

Hoc igitur non negat Doctor; sed solum vult, non necessario ad omne peccatum prærequiri talem errorem in intellectu, sed solum priuatiuum vel positiuum, modo supra explicato, nec etiam quod malitia voluntatis in electione possit sic excæcare intellectum, seu dictamen rationis, quod erret deceptiue, nisi modis ibi explicatis; quod vel maxime apparere putat in damnatis, quorum deprauata est voluntas in summo gradu; eorum tamen intellectus non adeo excæcatur, quod acquiescat huic tanquam vero, Deum esse odiendum, quia tunc non esset verum illud Isaia; vltimo: *vermis eo-*

Isaia; vlt.


rum non morietur. Nam simpliciter delectabiliter odierent Deum absque remorsu. Hæc ille.

Authoritates eorum in oppositum allatæ, facile ex dictis solvuntur; quia non arguunt alium quam errorem priuatiuum, & positium explicatum.

Alii hic multa addunt; sed si digne perpendantur, nihil superaddunt quoad substantiam, iis quæ diximus.

His positis de connexionione virtutum moralium inter se, & prudentiæ cum illis, opportune quæreretur de connexionione virtutum moralium cum Theologicis, & Theologicarum inter se.

Ostendimus fusè, agendo de potestate liberi arbitrii quoad opera moralia, non necessario connecti virtutes morales cum Theologicis; sicut etiam Scot. 3. d. 36. §. De tertio art. D. Thom. 1. 2. q. 65. art. 5. & alios; cum Doctore tamen conuenit communior Schola hodie post antiquiores Theologos, cuius veritas vt melius pateat, sit



PROBLEMA

TRIGESIMVMQVARTVM.

An virtutes Theologica necessario requirant virtutes morales infusas, & an tales sint.

Hanc quæstionem Doctore proponit in terminis hic Scot. d. 36 dist. 36. his verbis. *Sed si è conuerso virtutes Theologicæ presupponant morales (intelligit tã infusas, quam acquisitas) dubium est: nam si aliquis prius vitiosus de nouo conuertatur, talis in pœnitentiâ habet omnes virtutes Theologi-*

cas, & tamen non morales, saltem acquisitas. Patet. Primo probat de acquisitis. Quia non operatur delectabiliter aliquid eorum, ad quæ inclinatur eius habitus virtuosus: immo delectabile sibi esset operari secundum habitum vitiosum prius acquisitum & tristabile secundum oppositum. Hæc Doctor.

*Idem §.
Quantum
ad illum
art.*

Et idem simpliciter postea asserit. §. Quantum ad illum articulum. Utrobique asserit non solum virtutes morales non connecti quoad actus suos cum Theologicis, sed nec quoad habitum; ut patet ibi, ex ratione allata.

*Trid. sess.
6. c. 7.*

Deinde manifeste patet, quia contritus habet tres habitus Theologicos, qui sibi infunduntur in prima conuersione; ut satis insinuat Trid. sess. 6. c. 7. tamen non habet omnes virtutes morales, cum per vnicum actum contritionis non habent produci vel acquiri, præsertim cum sit instantaneus; acquisitio autem virtutum moralium successiua.

Nunc probat de infusis.

Quod si dicatur huic in pœnitentia esse infusas virtutes etiam morales, licet non tunc acquisitas, & eonfimitate de paruulo in baptismo; & per hoc saluetur prædicta connexio, quia si non habet innatas, saltem habet infusas.

Aug. in lit.

Quod probatur; quia habet eas in patria secundum Aug. & additur in litera; non enim videtur probabile, quod haberet eas in Patria, nisi haberet eas in via. nec acquirit eas in via, cum statim moriatur.

Scot.

Ad hoc respondet Doctor: *Licet de istis virtutibus moralibus infusis multa dicantur, scilicet quod videntur necessariae propter modum, medium, & finem: quia tamen omnis finis quem non possunt habere ex specie sua, determinatur sufficienter ex inclinatione charitatis; scilicet finis ultimus, qui est finis proprie virtutum supernaturalium; & etiam, secundum alios, virtutum moralium, non acquisitarum; quia non habent nisi finem humanum; sed infusarum; possunt tamen ex charitate. modus autem & medium determinantur per fidem infusam; quia fides docet media ad consequendum finem ultimum, & docet modum etiam attingendi illum, diri-*

gendo scil. virtutes acquisitas ad finem : sicut prudentia dirigit ad finem beatitudinis naturalis ; & sic nullo modo videtur necessarium ad attingendum finem supernaturalē, superaddere virtutes infusas. & hoc, vt dixi, neque propter modum, medium vel finem ipsū, cum omnia hæc haberi possint sine eis.

Ex nullo capite igitur videtur necessitas ponendi virtutes morales infusas, sed acquisitas tantum, in his qui habent eas acquisitas vel habere possunt : nec etiā in aliis, qui non possunt eas acquirere propter defectum vsus liberi arbitrii, quia non est maior ratio, quare isti debeant habere, & non illi.

Et tunc ad illud de paruulis, potest dici, quod non est necesse eos habere virtutes morales in patria, sed sufficit quod bene disponantur circa appetibilia per charitatem. charitas enim disponit circa omnia volibilia in vna ratione visibilis, & quod non oportet, quod habeant omnem scientiam in genere proprio, sed sufficiet eam habere in verbo, quæ est notitia perfecta.

Vel secundo si habuerint eas, potest dici quod infundentur eis in instanti beatitudinis : non est enim magis necesse, illa quæ pertinent ad viatorem, scilicet virtutes Theologicas, (si aliquando esset futurus viator) dari sibi in baptismo, quam ea quæ pertinent ad statum comprehensoris, dari sibi in instanti beatitudinis : Immo magis rationabile hoc quam illud.

Vel tertio, potest dici, quod si illa pertinent ad aliquam perfectionem comprehensoris, & non dentur in instanti beatitudinis, poterunt eas acquirere per actus suos ; sicut enim non apparet ratio, quare non possunt adicere aliqua scibilia in genere proprio quæ primitus non nouerunt : ita non apparet ratio, quare non poterunt ex bonis electionibus circa appetibilia ad finem, non tantum vt sunt volenda propter Deum in se, sed vt sunt volenda in quantum commoda sibi ; acquirere sibi vnum habitum inclinantem ad electionem talium appetibilium sub propria ratione, & ita virtutem moralem. Hæc Doctor.

Potest etiam doctrina Doctoris sic confirmari: Si illæ virtutes morales infusæ essent necessariae, sequeretur, quod actus virtutum moralium naturalium non essent ordinabiles ad Deum per se, sed solum per illas virtutes infusas. Consequens est absurdum. consequentia probatur, quia propter hoc ponuntur vt necessariae illæ virtutes; si enim actus virtutum naturalium ordinari possunt in finem, illæ virtutes erunt frustra. Consequens vero esse absurdum, patet, quia actibus virtutum moralium cum auxilio Dei disponimur ad gratiam & iustificationem (vt omnes fatentur) etiam in illo priori ad gratiæ infusionem. tunc vero non sunt infusæ virtutes illæ, quia simul cum gratia infunduntur, vt etiam in confesso est. ergo. Vnde facile obuiatur obiectioni

Thomist.

Thomistarum, quod scilicet virtutes supernaturales ordinant ad finem supernaturalem, acquisitæ vero ad naturalem, quia vt ex dictis patet, est falsum. Quod si dicatur has virtutes infusas esse necessarias saltem ob media ad finem, hoc æquè est falsum, vt ostendit Doctor, quia fides est etiam respectu mediorum; & est prudentia infusa, per quam dirigimur in mediis ad finem vltimum.

Scot.

Doctorem hac in parte, scilicet quoad negationem virtutum moralium infusarum, & quoad negationem necessariae connexionis Theologicarum cum eis, sequuntur Occham 4. quæst. 3. ad tertium. & 4. Gabriel 4. dist. 4. quæst. 1. art. 2. conclus. 7. & art. 3. dub. 2. Bassolis 3. dist. 33. q. 2. art. 3. & post omnes alii Scotistæ. Faber 4. dist. 14. quæst. 2. disp. 13. Perigianis 3. dist. 36. art. 12. fusè & docte prosequitur. non negant tamen per accidens posse infundi virtutes, sed non esse tales præter Theologicas, quæ ex natura sua hoc petant, & substantialiter differant ab acquisitis, sicut alii volunt. verbi gratiâ, dari temperantiam acquisitam, quâ homo vtitur ad finem naturalem, scil. corporalem, & aliam quâ ad finem supernaturalem, scil. quâ corpus subiiciatur spiritui, & huiusmodi,

Occham.

4. q. 3. ad

3. & 4.

Gab. 4. d.

4. q. 1. a. 2

conclus. 7

& a. 3.

dub. 2.

Bas. 3. d. 33

q. 2. a. 3.

Petig. 3. d.

36. a. 12.

& sic singulis virtutibus moralibus acquisitis, aliàs infusas specie distinctas, respondere.

D. Thom. 1. 2. quæst. 63. art. 3. & 4. & ibidem sui, tenent dari habitus Morales infusos & connexionem prædictam.

D. Tho. 1.
2. q. 63. a.
3. 4. &c.

Adducunt authoritates sacri Textus: sed nihil probant. etiam sanctos Patres, sed non probant, vt apud eos videre est.

Specialiter tamen affertur Clemens in Viennensi: De summa Trinitate, & Fide Catholica; vbi definit esse probabiliorem opinionem Doctorum tenentium infundi parvulis in Baptismo gratiam & virtutes.

Clem. in
Vienn.

Sed vere non est ad rem, quia differentia inter Doctores fuit, non de Moralibus, sed de Theologicis.

Aliqui negabant omnino infundi gratiam vel virtutes scilicet Fidem, Spem, & Charitatem; sed solum peccatum deleri, cuius oppositum vt probabilius censuit Clemens; quod nos non tangit. Sic Innocentius tertius ante Concilium Viennense declaravit statum controuersia, vt fuse & rectè declarat Petigianis hic. Sic etiam Horant. noster, qui interfuit Tridentino, & optime poterat intelligere intentum definitionis, tam ibi quam Viennensis lib. 1. c. 59. expressè dicit, quæstionem in Viennensi fuisse de Virtutibus Moralibus.

Innocent. 3.

Petig.
Horat. l. 1.
c. 59.

Contra hoc tamen posset argui, quod tunc baptizatis non esset prouisum satis pro regimine appetitus inferioris, quia vacuus Virtutibus Moralibus imperfectè operabitur. licet in superioribus per tres Virtutes Theologicas, circa finem esset aptatus.

Sed hoc non vrget, quia satis eis prouidetur, quod potest acquirere Virtutes.

Sunt etiam aliquæ rationes apparentes. Quia verbi gratiâ, constat pœnitentiam esse habitum infusum, nec tamen Theologicum. Idem de virtute religionis, quæ non potest esse acquisita, quia immediate versatur circa Deum.

Ad hæc dico, non ego, sed Doctør 4. d. 14. quæst. 3.

Scot. 4. d.
14. qu. 3.

§. Nec ex
hoc.

§. Nec ex hoc. Quod pœnitētia non est virtus infusa, sed acquisita. Verba eius sunt: *Quod quicumq; notitia habita, siue ex lumine naturali, siue ex fide, potest secundum illam notitiam appetitus inclinari, & ex frequenti actione generare in se habitum sic inclinantem, qui erit habitus electiuus, quia appetitiuus, & secundum rectam rationem, licet non naturalem, sed rectiorem, scilicet ex illa regula Euangelij: Pœnitentiam agite. Potest voluntas frequenter elicere actum conformem isti regula, & generare in se habitum inclinantem ad consimiles actus, & illa erit virtus; quia recte rationi, immo rectissima, consonus tamen moralis, quia ex more & consuetudine generata; sic paupertas, castitas, humilitas, sunt virtutes Morales, licet non conformiter rationi naturali, sed reuelate in Euangelio.* Hæc Doctor. Vbi patet secundum eum pœnitentiam esse acquisitam, nec video ad quid necessario infundatur alius habitus pœnitentiæ.

scot.

Suarez de
Pœn. disp.
3. sect. 5.

Suarez quidem de pœnitentia disput. 3. sect. 5. dicit pœnitentiam esse virtutem infusam, quia tener actum eius, scilicet, detestationis peccati, esse supernaturalem quoad substantiam; & hoc probabiliter putat elici ex Trident. licet postea dicat actum illum posse esse dilectionis secundum sensum Trident. vbi non presse agitur de pœnitentia; nihil ergo contra nos.

Trid.

scot. resp.
ad vlt. qu.
4. d. 14. ad
Aug.

Sed quicquid sit de hoc; ego consequenter tenendum puto, actum pœnitentiæ non esse quoad substantiam supernaturalem, sicut nec eius habitum; licet requirat auxilium speciale, vt eliciatur, *vt oportet*. Non igitur constat pœnitentiam esse habitum infusum; dicit enim Doctor in responsione ad vltimum quæst. 4. dist. 14. ad August. *Quod pœnitentia potest innasci ex naturalibus: sed non esse veram quatum ad finem pœnitentiæ attingendum sine charitate.* Quod etiam additur de religione, puto falsum. nec sufficit quod versetur circa Deum; requiritur enim vt sit habitus infusus; quod materia circa quam, sit Deus; vt etiam finis intrinsecus eius actus, sit Deus. sicut etiam in Fide, Spe, & Charitate. religionis autem materia proxima est actus humanus

aliquis, sicut thurare, genuflectere, &c. finis eius quidem intrinsecus est Deus sub particulari ratione, sed non tendit in Deum, nisi in quantum coniungitur; cum Charitate, sed eius finis proprius est colere Deum.

Vel clarius dic; quod Virtutes infusæ habent Deum pro obiecto, *quod & cui*, seu sub *qua*. verbi gratiâ, Charitas est circa essentiam diuinam vt hanc; nec aliud est obiectum formale, vt alibi ostendit Doctor tam in Prologo, quam hic in tertio, de tribus virtutibus Theologicis. Latria vero seu religio habet Deum pro obiecto cui, sed non sub qua; quia non vt Deo, sed vt Domino suo, quæ est aliqua ratio communis Deo & creaturæ.

*Scot. Prol.
& in tertio
de 3. virtutibus.
Theol.*

Deinde infusæ; pro materia circa quam, habent Deum immediatè, quia est amare Deum, sperare Deum, credere in Deum: religio vero pro materia circa quam seu obiectum immediatum est reddere tale debitum, verbi gratiâ, homagii seu adorationis. *Cui*. Est ipse Deus, religio ergo est sub iustitia; actus eius est reddere Deo, &c. sic pœnitentia.

Dices colere Deum, æque tendit in Deum, ac amare Deum, vel credere in Deum, quod patet ex terminis.

Respondeo quod non, quia colere Deum est reddere debitum religionis Deo; vbi debitum est obiectum cultus.

Dices colere est ipsum debitum; patet autem quod non potest esse sibi obiectum. ergo Deus.

Antecedens patet quia debemus colere Deum, ergo colere est actus debitus, seu est ipsum debitum.

Respondeo *colere* si sumatur pro productione actus cultus Dei, est quidè debitus; non propter se, sed propter cultum producendum debitum, qui est terminus colendi, seu producendi ipsum; sicut intellectio, est terminus producendi intellectionem. & sic manet, quod colere est reddere debitum, &c. quæ est ratio formalis iustitiæ scil. dare vnicuique quod suum est. Eodem modo solvere

pecunias debitas; ipsummet soluere, seu numerare, est debitus, non propter se, sed propter pecunias debitas. secus autem esse in virtutibus infusus constat.

Tanner. 1. 2.
disp. 2. c. 3.
in 1. p.
n. 24.
Sap. 7.
Sap. 8.

Tannerus quidem in 1. 2. disp. 2. c. 3. in 1. par. strenuè opponit hanc Doctoris Subtilis sententiam. dicit enim num. 24. esse contra Scripturas, Ecclesiam, & sanctos Patres, vbi adducit Sapient. 7. *Venerunt mihi pariter omnia bona cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.* Et rursus Sap. 8. *Sobrietatem enim & sapientiam docet, & iustitiam & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus.*

Conc. Viennens.
Vie.

Ecclesiæ sensum colligimus, non solum ex Romano Catechismo, in quo disertè asseritur, effectum Baptismi inter cæteros esse: *Nobilissimum omnium virtutum comitatum, que in animam cum gratia diuinitus infunditur.* Sed etiam ex decreto quodam Pontificis in Concilio Viennensi, vbi sic dicitur: *Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi (que per Baptisma applicatur pariter baptizatis) opinionem secundam, que dicit tam paruulis, quam adultis conferri in Baptismo informantem gratiam, & virtutes tanquam probabiliorem, & dictis sanctorum ac Doctorum modernorum Theologia magis consonam & concordem, sacro approbante Concilio duximus eligendam.* Quod decretum cum generatim de virtutibus loquatur, non est cur restringatur ad Theologicas.

S. Greg.

Ex sanctis Patribus, luculentum imprimis est testimonium sancti Gregorii qui sic ait: *In sanctorum quippe cordibus iuxta quasdam virtutes semper permanet: iuxta quasdam vero recessurus venit, & venturus recedit, in Fide enim Spe, atque Charitate, & in bonis alijs, sine quibus ad cælestem Patriam non potest veniri, sicut est Humilitas, Castitas, iustitia atque misericordia perfectorum corda non deserit, &c.* Et paulò post: *In his itaque virtutibus, inquit sine quibus minime ad vitam peruenitur, Spiritus sanctus in electorum suorum cordibus permanet, &c.*

Tanner.

Tandem Tanner. affert rationem hanc. *Æquum est existimare ordinem rerum supernaturalium non minus perfe-*

ctum esse, quam sit ordo rerum naturalium; at vero vñ homo in hoc ordine recte dispositus sit, non modo circa finem, sed etiam circa media per virtutes Morales, id quoque in ordine rerum supernaturalium diuina prouidentia factum esse, conuenit asserere. Et hinc dicit nostram sententiam esse falsam, si non temerariam.

Sed verè meo vidèri, ex omnibus, quæ ex ipso retuli, nec vnum verbum est ad propositum; nec tamen maiora his habet Medina, ex quo ipse desumpsit verbatim, qui valde temere hanc veterum & grauissimorum Doctòrum sententiam temerariam asseruit.

Ad illud ex Scripturis. Manifestum est nihil inde conuinci posse de virtutibus infusis, saltem quoad sensum quæstionis nostræ; id est, quod dentur specie differentes ab acquisitis, quæ non possent alio modo, quàm diuina infusione haberi: si enim concederetur sapientiam esse infusam Salomoni, quid ad rem? sicut probabile est de primis parentibus; ipsis esse infusas omnes virtutes: hoc autem est per accidens; non quod huiusmodi virtutes suaptè naturâ hoc petant. Sensus vero illius textus, videtur esse ostendere sapientiam dirigere & incitare ad acquisitionem aliarum virtutum. quod nihil est. secundus textus nullatenus iuuat. vt vel leuiter aspicienti patet. *Conc. Vienn.*

Ad illud de Viennensi, dictum est fusè. Ad Catechismum eodem modo: nec tamen putem singula in Catechismo, sensum Ecclesiæ declarare necessarium, sed probabilem. vt in multis facile est ostendere, eodem modo de Rituali & Breuiario. *Greg.*

Ad illud Gregorii, nihil de infusione: sed solum de habitatione Spiritus sancti per virtutes, quas ibi enumerat, in cordibus iustorum; quia sine iis non peruenitur in cælum; quod nihil est ad rem: addit Deum in istorum cordibus non semper manere per alia dona non necessaria ad salutem; sed aliquando communicat ea iis prout diuina sapientia iudicat expedire; non enim omnes sancti erant Prophætæ vel Doctores; quod si aliqui subinde


242 *Problema trigesimum quartum,*
sint tales, forte ad breue tempus vel pro particulari oc-
currentia conceditur. vnde recte dicit Gregorius: *Recess-*
surus venit, & venturus recedit.

Ad rationem. solum arguit de quadam congruitate,
quam ipsi imaginantur: illud vero congruum iudican-
dum est, quod Deus iudicat & operatur; non quod nos
imaginamur. Deinde abunde omnia per virtutes acqui-
sitas in homine charitate & reliquis supernaturalibus
virtutibus instructo, tam ad media, quam ad finem sup-
plentur, vt supra fusè ostendi ex Doctore.

Scot.

Fr. sc. 1. 2.
disp. 86.
c. 2.

Miror sane, quod viri alias doctissimi, tam facile in
censuras minus modestas, ex adeo incertis fundamen-
tis prorumperent, & sensum Ecclesiæ clamitarent; vbi
nec vestigium eius. Audiamus, si placet, Vasquesium
licet oppositæ sententiæ: *Ceterum licet hanc opinionem (sci-*
licet oppositam) existimem probabiliolem, tamen Thomistarum se-
ueritas, ne dicam audacia, mihi nulla ratione probatur, qui ita
huic opinioni consentiunt, vt lenibus & infirmis nixi fundamen-
tis, oppositæ sententiæ notam temeritatis inurere non vereantur.
sic ille 1. 2. disp. 86. c. 2.



PROBLEMA

TRIGESIMUM QUINTUM.

*An Virtutes Theologicae sint inter
se connexae.*

IN hac quæstione pariformiter philosophandum est;
sicut in illa, de connexionione virtutum moralium inter
se, & plane eadem sunt hic & ibi fundamenta.

D. Th. 1. 2.
q. 65. a. 4.

D. Thom. 1. 2. quæst. 65. art. 4. Postquam moue-

rat quæstionem, *An Fides, & Spes, possint esse sine Charitate*, resoluit quod sic. ex Glossa super Matth. 1. ubi Matth. 1. dicitur: *Fidem generare Spem, & Spem Charitatem*. Ex hoc arguit: *Generans est prius generato, & potest esse sine eo. ergo Fides sine Spe, & Spes sine Charitate*. Postea in corpore dicit: *Quod Fides, & Spes sicut etiam virtutes morales habent dupliciter considerari, uno modo secundum inchoationem, alio modo secundum perfectum esse virtutis: virtus enim perfecta perfecte operatur bonum*. Alias non est virtus, nisi inchoatiua, vt loquitur D. Thomas ibi; Fides autem non operatur perfecte nisi secundum electionem rectam, quia non credimus nisi depēdenter à voluntate; voluntas autem non recte eligit, nisi ex charitate. Hæc est medulla ipsius & suorum sententiæ; & satis consequens ad doctrinam eorum traditam quæstione citata.

Doctor vero Subtilis consequenter ad sua prius data principia, oppositum tenet. Dicit igitur §. *Quantum ad quartum articulum: Dico quod virtutes Theologicae non sunt connexæ inter se, sicut patet in patria, ubi manebit & actus Charitatis sine actu & habitu Fidei & Spei. sicut etiam patet in via; ubi in peccatore manet Fides, & Fides sine Charitate: igitur ex ratione habituum in existendo, non est necessaria connexio earum*. Scot. 9. Quantum ad 4. art.

Sed numquid in fieri vel in infusione sunt connexæ, ita quod vna non possit infundi sine alia?

Respondeo, quæcumque separari possunt in esse, ea potest Deus separare in fieri; & ideo quantum est ex se, non necessario connectuntur in infusione, sed ex liberalitate diuina connectuntur: quia Deus totum hominem perficit; ita quod sicut corporaliter nullum sanauit nisi perfecte, neminem etiam sanauit corporaliter, quem non etiam spiritualiter, ita etiam spiritualiter non sanat hominem, nisi perfecte sanat: perfecta autem sanitas est, si quantum ad intellectum habet Fidem, & quantum ad voluntatem Spem, & Charitatem. De Pœnitentia distinctione 3. cap. Si quid. Pœn. d. 3. c. si quid.

Si quæreretur, vtrum Fides & Spes sine Charitate essent virtutes;

Dici potest, sicut prius dictum est de virtutibus moralibus, quod in specie sua possunt esse perfectæ, in quantum scilicet sunt principia propriorum actuum respectu propriorum obiectorum. Sed perfectionem illam vltimam quam habent in attingendo finem, ad quæ ordinantur ex charitate, non possunt habere sine ipsa: quia nulla virtus, nec eius actus acceptatur sine charitate; quæ sola diuidit inter filios regni & perditionis.

De habitibus intellectualibus, non oportet immorari; planum est enim, quod non est necessaria eorum connexio, nisi fortè sint habitus subordinati; quales sunt habitus principiorum & conclusionum; & in talibus prior potest esse sine posteriori, licet non è conuerso.

scot.

Hæc Doctor.

Nulla etiam hic difficultas noua, præter eas, quas enodauimus superius.

Cof. Angl.

Quoad Confess. autem Anglicam nihil in hac re quoad connexionem vllarum virtutum decernitur: nullas tamen dari veras virtutes sine charitate autumant; quod probabile est in via sancti Thomæ. Immo prorsus idem


D. Tho.

scot.

dicunt cum Doctore, scilicet philosophicè capiendo nomen virtutis, dari veras sine charitate, licet non veras nec perfectas, prout coniungere debent habentem

Aug.

fini vltimo, sicut etiam Augustinus censuit, vt supra ostendi. Sed de hoc fusè egi de operibus moralibus, vbi omnes opiniones conciliare studui. hic igitur sicut ibi, est pax cum eis.



PROBLEMA

TRIGESIMVMSEXTVM.

De operibus Supererogationis.

INter doctiores Protestantes & nos, hic nulla prorsus altercatio.

Hookerus utique, cuius doctrina hodie publica auctoritate reflorescit l. 3. Eccles. Polit. sect. 8. nobiscum plane consentit; & ex D. Paulo probat. alibi etiam ad idem citatur; sed non memini me alibi legisse, licet totum perlegerim: post illum Couellus in defensione Hookeri: & tandem post eos & alios fusius Montacutius in Apello Cæsarem, & alibi.

*Hook. l. 3.
Eccles.
Polit.
sect. 8.*

*Couel. in
defens.
Hookeri.*

Sed ad rem. sensus quæstionis in duobus punctis consistit.

*Mont. A-
pello Cæ-
sarem.*

Primo an à Christo Domino, instituta sint aliqua quæ non præcepti strictè loquendo, sed consilii rationem habeant.

Hoc concesso. An homo viator ultra adimpletionem præceptorum, per gratiam Dei potest aliqua horum consiliorum adimplere.

De priori. Calvinus Pelagium subsecutus, qui volebat neminem saluari nisi omnia sua venderet & daret pauperibus, propter illud Matth. 19. 21. *Si vis perfectus esse: vende omnia & da pauperibus.* Ut notavit Augustinus epist. 89. sic ille vult per hoc & alia Euangelica consilia, præceptum imponi; licet contra omnem sensum, & ipsam literam Euangelii.

Calvin.

Matth. 19

Aug. ep.

89.

Probat tamen suum errorem Calvinus & sui sequaces; ex illo Lucæ 17. 10. *Cum feceritis omnia que præcepta*

*Calu. ex
illo Luc.*

17. 10.

sunt vobis, dicite, serui inuiles sumus. Ergo nullum opus Supererogationis, quia nihil possumus facere, quod non debemus; sicut nec mancipia suis Dominis, quia quicquid faciunt, Dominorum suorum est. quod confirmatur autoritate.

Ambr. sup. Luc. 17. D. Ambrosii super Lucæ 17. vbi dicit: *Sicut non solum non dicis seruo tuo, recumbe, sed exigis ab eo aliud ministerium & gratias ei non agis: ita nec in te patitur Dominus unius esse usum operis aut laboris, quia dum viuimus debemus semper operari. Ergo cognosce te esse seruum plurimis obsequijs defæneratum. non te præferas. & postea. nec te iactes se bene seruisti, quod facere debuisti, &c.*

Bernard. Ad idem etiam citatur Bernardus & alii ex antiquioribus.

Quibus & huiusmodi non obstantibus, veritas Catholica est & omni antiquitati consona, à Christo Domino instituta esse consilia; quorum obseruationi non astringitur homo Christianus.

Probatum primo ex modo loquendi scripturæ: cum enim de præceptis Christus ageret; necessitatem absolutam annectit: *si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* & huiusmodi. Nullus ergo ingressus ad vitam æternam, nisi obseruatione mandatorum.

De consiliis vero agens, non sic; *sed si vis perfectus esse, vade, vende omnia & da pauperibus, &c.* Illa non requiruntur ad esse simpliciter, sed solum ad perfecte esse, vt patet. hic ergo congruitas; ibi necessitas.

Gen. 17.1. Obiicies Gen. 17. 1. vbi Deus Abrahamo, *Ambula coram me & perfectus esto.* Ibi Deus agit de præceptis, quæ ibidem illi tradit seruanda: tamen subnectit, & *esto perfectus.* ergo illa additio non arguit consilia in priori loco, sicut nec hic.

Sed certe nullo modo valet: quia agitur ibi de perfectione naturali, seu quæ sequitur ad impletionem mandatorum naturalium, nec alia perfectio tunc consulebatur; perfectio autem Euangelica altior multò est, & ad præcepta naturalia superaddit consilia; quæ tempore

naturæ vel legis, ne quidem proponerentur, nec gratia tanta ministrabatur. de illa perfectione hic agitur, ut doctissime ostendit Horant. lib. 5. cap. 16. dicens: *Testor Deum, Christiane Lector, in cuius conspectu sto, quod ad sexaginta sanctorum testimonia ex ipsis fontibus collecta, habes, qui ex prefato Mathæi loco Evangelica & Apostolica perfectionis argumentum colligunt, quod sane nobis firmisimum reliquerunt, omnesque una voce clamant, Dominum adolescenti de perfectione iustitiæ interroganti, de eadem respondisse, Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, &c.*

Deinde Paulus nullam replicam admittit. dicit enim in terminis: *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.*

Sed ne dicatur consilium Apostoli; non Christi: de hoc edifferens, addit: *Qui potest capere capiat.* Præcepta vero quisque posse & velle capere debet. hic vero nemo tenetur ad posse: quod si potest, si ad hoc à Deo gratiam acceperit, *Vnusquisque enim proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* ut loquitur Paulus ad 1. Cor. 7. 7. *Capiat:* id est, liberum est ut capiat. *Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc indicavit in corde suo, servare Virginem suam, benefacit.* Vers. 37. consilium ergo est: quia *sub potestate voluntatis.* & quia si fecerit *melius facit.* vers. 38. sin minus: *benefacit.* eodem versu. Non etiam hic præceptum, quia nullum peccatum: & Christi est; quia *de Virginibus præceptum Domini non habeo.* Nullus ergo hic proteruendi locus.

Sed ad Patres accedamus,

Augustinus serm. 61. de tempore; eleganter totam rem explicat: *Aliud est consilium, aliud præceptum. Consilium datur ut Virginitas conseruetur, ut à vino, & carnis abstineatur, ut vendantur omnia & pauperibus erogentur. Præceptum vero datur ut iustitia custodiatur, ut omnis homo diuertat à malo & faciat bonum. Denique de virginitate dicitur, Qui potest capere capiat: sed omnis arbor, quæ non facit fructum, excindetur,*

& in ignem mittetur, consilium qui libenter audierit & fecerit, maiorem habet gloriam: præceptum qui non implèuerit nisi pœnitentiâ subuenerit, pœnam euadere non potest.

Etiã I. de sancta Virginitate c. 30. *Nec enim sicut Non mœchaberis, Non occides, ita dici potest, Non nubes: illa exiguntur, ista offeruntur. si fiunt ista, laudantur: nisi fiunt illa, damnantur: in illis Dominus debitum imperat vobis, in hoc autem si quid amplius SUPEREROGAVERITIS, in redeundo reddet vobis.* Hæc ille & multoties alibi ad idem.

Nazianz.
Chryf.
Hieron.
contra Iouin.
l. I. c. 7.

Ad idem Nazianzenus, Chrysofomus, Hieronymus contra Iouinianum lib. I. c. 7. & omnes sancti Patres, res est obuia: non hærendum.

De secundo puncto: quoad illam partem impletionis præceptorum: fusè superius egi; non est quod repetam. de altera vero particula: scilicet de obseruatione aliquorum consiliorum. Patet, iustum ex gratia Dei aliqua eorum posse perficere; aliàs non rectè à veritate dictum: *qui potest capere capiat*: quia statim conuinceretur esse repugnantiam in subiecto: & consequenter nullam veritatem in propositione; quia de subiecto in se falso, seu repugnante nihil potest verificari, vt norunt Logici. verbi gratia, homo irrationalis est risibilis: ex illo capite non est vera.

1. ad Cor.
6. 16. 18.

Tandem D. Paulus 1. ad Cor. 9. 16. 18. de seipso dicit, se fecisse aliquid boni, ad quod non vi præcepti tenebatur: *Nam etsi euangelizauero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit. que est ergo merces mea? ut Euangelium predicans, sine sumptu ponam Euangelium.* Quid vult per illa verba; *necessitas enim mihi incumbit*: nisi præcepti necessitas: præceptum vbique erat, quod Paulus euangelizaret? quod *sine sumptu*: hoc nullibi impositum, sed ad augmentum gloriæ voluntarie & pie exhibitum: non enim sic reliqui Apostoli, sed ex altari viuebant; quod de iure poterant; quia fideliter altari seruebant.

Quid moror? eo ipso quod consilia admisisti, aliqua saltem eorum, id est singula respectiue, à viatoribus, adimpleri posse per gratiam Dei, vel inuitus intulisti. non enim

enim frustra. Christus Dominus illa nobis libera reliquit: non inaniter consuluit.

Sed ne ipsum vocabulum *Supererogationis* terrere possit: vel nouum figmentum Neotericorum iudicaretur;

Audiuimus Augustinum, (qui etiam ab aduersariis *Aug.* instar omnium habetur) ipsissimo vocabulo vsus: *Si quid amplius Supererogaueritis, &c.* Quæ verba omnem difficultatem eodant. Illud (*amplius*) referendum est ad priora; vbi de præceptis actum. Iudicat ergo possibile facere *amplius* quàm præceptum est. ibi medulla rei. iudicat posse *Supererogari amplius* quam præceptum est. ibi complementum.

Sed vt nullus scrupulus maneat hac in parte de mente Augustini: si obiiceretur, Illa opera quæcumque sint, non ab Augustino denegari esse Deo debita; licet satis responsum sit ex textibus citatis; tamen audi ipsum afferentem huiusmodi opera esse Deo indebita, dicit enim Tom. 6. de adult. Coniugiis l. 1. c. 14. *Omnia mihi licita sunt, sed non omnia expediunt, ita ostendit D. Paulus ea quæ licita sunt, id est, nullo præcepto Domini prohibentur, sicut expedit potius esse tractanda non præscripto legis, sed consilio charitatis. Hæc sunt quæ amplius erogantur sanccio, qui curandus ad stabulum Samaritani illius miseratione perductus est. & ideo dicuntur non à Domino præcipi quamuis à Domino moneantur offerri, vt tanto intelligantur esse gratiora, quanto magis ostenduntur INDEBITA.*

*Idem to. 6
de adult.
Coniug. l.
1. c. 14.*

Probauialibi fusè nos posse per gratiam Dei omnia *Idem.* mandata seruare: hic ex Augustino declarauimus nos posse eadem gratiâ aliqua consilia adimplere; & ne sit vis in verbo; aliqua opera *Supererogationis*, & aliàs, *indebita præstare.*

Sed ne proteruienti sit vllum refugium, dicendò nullibi reperiri in terminis nos posse plus præstare quam Deus præcipit.

Vide Augustinum de verbis Apostoli ferm. 18. vbi de *Idem de* Virginibus agens dicit: *Ambierunt illam maiorem pulchritudinem cordis sui. Quid iubes? adultera ne simus? hoc præcipis? post. ser. 18*

De sancta
virginitate
c. 30.

amando te plus facimus quam iubes, &c. Quid clarius? id est Virginitatem propter amorem Dei colendo plus præstant quam iubetur. secundum illud eiusdem de sancta Virginitate c. 30. *Cogitate illis nomen æternum. quis explicat quale nomen erit? quicquid tamen erit, æternum erit. hoc credendo & sperando, potuistis coniugia non deuitare prohibita, sed transuolare concessa.*

Nec dicendum, Augustinum loqui de impletione huius folii præcepti: sed omniũ: alias non dixisset, quod habituræ sint nomen æternum in cœlis; Quod manifeste solum competit adimplentibus, non vnum, sed omnia Dei mandata. qui enim vel vnum mandatum violat, *omnium factus est reus.* & consequenter GEHENNÆ IGNIS. Possumus ergo secundum Augustinum vera opera Supererogationis præstare.

Hieron.

contra Io-
uin. l. 1. c.

7.

Smyth de
votis Mo-
nasticis. c. c.

Ad idem etiam Hieronymus contra Iouinianum l. 1. c. 7. *Maiores gratia est offerre quod non debeas, quam reddere quod exigeris.* Aliquid ergo potest à nobis Deo offerri, quod non debetur. fusè etiam Hieronymus ad Demetriadem omnia superius dicta confirmat: & inter reliquos, optime de hoc agit doctissimus Smytheus de votis Monasticis contra Petrum Martyrem.

Hæc ergo decisio Augustini, Hieronymi & Ecclesiæ Catholicæ.

Insistere possim in pluralitate sanctorum Patrum; sed non hærendum; ne aërem verberasse incufer.

Ad argumenta.

Ad primum: aliqui, nec inferioris notæ, putant illa verba, *Serui inutiles sumus*, debere exponi, quia nihil Deo vtilitatis attulimus, licet omnia præcepta adimpluerimus: secundum illud: *Bonorum nostrorum non indiges.* sic Lyra noster post Bedam; Immo vtraque glossa conuenit. Glossa interlinearis sic habet. *Serui quia empti prærio: Inutiles: quia bonorum nostrorum non indiget Deus; vel quia non sunt condignæ passiones huius temporis. ad futuram gloriam*

Lyra post
Bed. Glos.
interli-
nearis.

quæ reuelabitur in nobis. & Glossa ordinaria sic. Si homo ab homine seruo, non uniforme, sed multiplex ministerium exigit, nec gratiam habet: quanto magis vos qui sine me nihil potestis facere, non vnus vsum operis exercere debetis, sed semper nouis studiis augere priora: nec vos iactetis, quia bene seruitis.

Hos etiam citat Casalius l. 3. c. 23. vbi solum iactantiam & præsumptionem argui vult; quod indubie verum est, quoad posteriorem partem; nec in illa, sed in priori parte expositionis aliquantulum differunt Doctores. Casal. l. 3. c. 23.

Receptior sententia igitur est, quod *serui inutiles sumus, quia quod debuimus facere, fecimus*; id est, adimplendo præcepta, fecimus solum quod debitum est; in quantum scilicet serui sumus; serui enim vt tales, tenentur ad præcepta Domini, nec ex hoc gratiam specialem merentur: prout paulo ante dictum est. *Nunquid gratiam habebis seruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat*: hoc tamen non impedit, quo minus præter præcepta, consilia Christi assequamur, & hinc gloriam apud Dominum adipiscamur.

Ad rationem. dico nos debere Deo omnia quæ possumus habere vel facere, ex titulo religionis; ille etiam est sensus Ambrosii, ratione scilicet essentialis dependentiæ creaturæ ad creatorem, id est, debemus ipsum recognoscere, vt à quo omnia habemus: saltem negatiue, quia non dare alteri, vel nobis arrogare rationem finis vltimi, quod Dei est proprium, non tamen tenemur ipsi referre positiue: immo cum actus nostri liberi, sic sunt à Deo, quod etiam ratione libertatis sub imperio nostro sunt; possumus dici, & vere sumus Domini eorum; eos debemus Deo, tanquam Domini feudales Domino principali, vt etiam recte obseruauit Lessius de iustitia & iure; Lessius d. iustit. c. iure. qui reuera Domini sunt, licet dependenter à principali, nec tenentur ratione talis dependentiæ; singula sua bona ipsis actu referre, vt perspicuum est.

Alia quidem Deo debemus, sed ex alio titulo scilicet ex præcepto: cuius generis decem sunt; nec ad plura, quam iuxta contenta sub reatu culpæ obligamur (exceptis, quæ

ad Sacramenta spectant, de quibus superius) vt constans est omnium Patrum & Theologorum. si quæ ergo alia Deo offerimus, *supererogatiua* dici possunt, quia non præceptiue demandata.

Confess.
Angl.

Ad Confessionem vero Anglicam quod attinet: sic Latine reddo articulum 14. cui titulus, *De operibus Supererogationis.*

Opera voluntaria præter & supra Dei mandata, quæ opera Supererogationis vocant, non possunt sine arrogantia, & impietate doceri. & rationem subnectit. Per illa enim homines declarant, se non solum Deo reddere quod ipsi debent, sed quod in eius gratiam plus præstant quam debent, &c.

Vt verum fatear; determinatio huius articuli durior videretur; si verba subsequentiæ eius difficultatem non diminuerent. Eatenus ergo opera Supererogationis damnant, quatenus per ea declaramus, nos plus præstare Deo, quàm ex vilo titulo debemus: illa enim verba indefinite prolata (*plus præstant quam debent*) secundum regulas Scholarum, vniuersaliter exponenda sunt; & tunc hunc faciunt sensum: *Plus præstant quam vilo modo vel iure debent.* Illa ergo opera damnat articulus, damnamus & nos; recole quæ paulo superius dixi de titulo religionis: adde quod si Deus exigeret, quod iure posset, & debemus; inutiles plane & miserimi essemus: omnia illi debemus, quia nihil non accepimus: non ergo gloriamur, nos plus Deo præstare quàm debemus: si omnem titulum debiti includamus. lege Ambrosium superius, cui assentimur.

Adde etiam articulum loqui de operibus puri hominis, id est, non gratiâ Dei præuenti & adiuti; quod vel ex eo patet, quod nec semel gratiæ mentionem facit: nos vero de homine iusto, id est, gratiâ Dei instructo.

Nihil ergo hic contra opera Supererogationis à nobis ex Patribus asserta, & superius exposita, quæ etiam eorum grauiores authores diserte astruunt. Calvinistæ aliqui superastruunt, & ad calumniam nobis imponunt friuola & falsa in hoc puncto Supererogationis:

Deus ipsis parcat, qui fraudulenter animas, aliàs veritati bene effectas, aucupantur. interim à nobis stant Confessio Anglica & eius genuini sequaces. Hic ergo pax, & vtinam pax illa, non quam mundus dat, quæ singulis horis nouitate opinionum violatur, sed quam Christus suis Apostolis legauit, & Paraclæti vnctione confirmabatur. Fiat. Ad hoc autem opus sine dubio intercessione Sanctorum, & Angelorum, præsertim huic patriæ præsidentium, quorum auxilia humillime imploramus. sed ne hoc friuolum appareat, non imperitens erit, si ad calcem operis de Prædestinatione & Iustificatione Sanctorum subiungam.



PROBLEMA

TRIGESIMVM SEPTIMVM

ET VLTIMVM.

De Inuocatione Sanctorum.

An liceat inuocare Sanctos.

HÆc quæstio est grauis, & hodie grauius agitata inter nos & aduersarios; vbi, vt pro more nostro certa ab incertis excutiamus;

Notandum primò, certum & incontrouersum esse, non deberi orare ad ipsos absolute seu vltimate, quasi ab ipsis, quod rogamus impetrandum esset, & per illos implendum. Hoc utique semper negant sancti Patres, dum ipsis à Gentilibus vel Hæreticis imponeretur adoratio vltimata Sanctorum ranquam Deorum; sicut patet de Iuliano, qui obiicit contra D. Cyrillum quod Christiani æquali cultu prosequerentur suos Martyres,

Cyrl. cōt. Iul. l. 6. Aug. l. 22. de Ciu. c. 10. ac Pagani suos heroes, sicut Hercules & alios, quos adorabant vt Deos minores; vt patet apud Cyrillum contra Iulianum lib. 6. Ad hoc etiam alludit August. l. 22. de Ciu. c. 10. vbi fusè rem declarat.

Notandum secundo, quod multi ex veteribus putarunt Sanctos manere extra cœlum in occultis quibusdam receptaculis, necdum beatificatis vsque ad vniuersale iudicium; vt patet de Irenæo libro 5. in fine. Theodoro in Hebr. 11. & aliis; immo Ioannes 22. eò in hac opinione processit, vt nisi Deus præuenisset, forte definire attentasset; & hodie Græci idem tenent, vt patet apud Thomam à Iesu de Conuersione omnium Gentium lib. 6. cap. 1. vbi agit de erroribus Græcorum. D. Augustinus etiam de hoc aliquando subdubitalle putatur, in *Retract. l. 1. c. 14. ep. 3. ad Fortun. de Ciuit. Dei l. 12. c. 9. & alibi.*

Notandum tertio, quod sancti Patres valde cautè agebant manifestando mysteria fidei coram Gentibus ne pro dignitate eorum non intellecta scandalizarentur. Vnde Origenes lib. 2. in epist. ad Romanos dicit: *An Sancti qui cum Christo sunt, aliquis pro nobis agant ac laborent, habeatur quoque inter occulta Dei, neque chartula committantur mysteria.*

Notandum quarto, quod quando apud sanctos Patres inuenitur, sicut frequens est, quod solebant in altari memoriam facere Sanctorum: hoc intelligendum fore, non quod simpliciter seu nude facerent mentionem eorum, vel gratiarum actiones redderent pro ipsis, sed vt per eorum orationes & interpellationes iuuentur. Vt patet apud Cyrillum *Catech. 5. Cum hoc sacrificium offerimus, facimus mentionem illorum qui ante nos dormierunt, vt Deus illorum orationibus, suscipiat preces nostras.* Sic etiam Augustinus tract. 84. in Ioann. & alibi. *Ideo ad ipsam mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, vt etiam pro eis oremus, sed magis vt ipsi pro nobis orent.* Frequens est huiusmodi locutio apud veteres. vt patet in antiquis Liturgiis Græcorum.

Cyrl. Catech. 5.

Aug. tract. 84. in Ioann.

Ant. Liturg. Gr.

Et specialiter hoc ostendit Eusebius lib. 13. præpar. Euang. c.7. dignum est lectu.

Eus. l. 13.
præpar.
Euang. c.7.

Notandum denique, Controuersiam inter nos & aduersarios, non in hoc consistere, an Sancti pro nobis interpellent, sed solum (si quæ est, sicut forte inter Nostrates, si res digne expendatur, nulla est) an inuocandi sint, cum nos non audiant.

Ad cuius probationem,

Primò afferunt textus illorum veterum, qui dubitabant de præsentis gloria Sanctorum, & de eorum beatifica visione; iudicant enim, implicare in sententia illorum Patrum, Sanctos non videre Deum, & orationes nostras exaudire.

Afferunt secundo, alia loca Patrum, vbi insinuant rem fuisse vel dubiam, vel plane falsam, Sanctos defunctos ullam notitiam nostrarum rerum habuisse. Inter quos præcipuus est Aug. l. de cura pro mortuis, fuscè cap. 13. 14. 15. 16. & Psal. 108.

Aug. l. de
cura pro
mort. c. 13.
14. 15. & c.
Psal. 108.

Afferunt tertio, alios veteres, qui si forte aliquam inuocationem agnouerunt, ex alio errore tunc vulgari decepti, illud astruxerunt: scilicet vulgari receptum erat, Martyres fuisse præsentis sepulchris. vt patet apud Hieronymum contra Vigilantium cap. 2. vbi dicit, & quidem assertiue: *si agnus ibi est, ergo & qui cum agno sunt.*

Hier. cont.
Vigil. c. 2.

Sic etiam Maximus Taurinensis in natali Martyrum Tauricorum: *Vniuersi Sancti vbique sunt, & omnibus presentes, & semper nobiscum sunt, nobiscum morantur; hoc est, & in corpore nos viuentes custodiunt, & de corpore recedentes, recipiunt.* De hoc etiam Augustinus, nec audet resolvere, lib. de cura pro mortuis habenda cap. 16. immo alibi affirmantem sequitur. Idem modus loquendi apud veteres frequens; vnde nec mirum, hoc admissio, si Sanctos orandos iudicauerint.

Max. Tau.
& c.

Aug. l. de
cura pro
mortuis
c. 16.

Afferunt quarto, alia loca Sanctorum, vbi in terminis negant nos indigere aliis patronis apud Deum, præter Christum. sicut Chrysost. Hom. de profectu Euang.

Chryf. de
prof. Euang.

Ceterum non opus tibi patronis apud Deum, neque multo discurfu, ut blandiaris alijs: sed licet solus sis, patronoque careas, & per teipsum Deum preceris, omnino tamen voti compos eris: neque enim tam facile Deus annuit, cum alij pro nobis orant, ut cum ipsimet oramus, licet plurimis pleni simus malis. Sic

Amb.c.1. etiam Ambros. ad Rom. cap. 1. Suffragatore non est opus ad Regm. apud Deum.

Isa.c.8. Sic etiam confirmant ex Isa. c. 8. vbi Spiritus sanctus hanc inuocationem detestans, ait: Annon quisque mortuos pro vivis consulturus est?

Afferunt quinto, fatuitatem nostram saltem interpellando hunc sanctum pro curatione certi generis morborum, alium pro alio, quasi à Deo singuli Sancti ad singula mala pharmaca venditarent:

Tandem impossibilitatem in-adiectò norant; scilicet eos ex tam longinqua distantia extra sphæram extremorum, Sanctos in cœlis, nostras orationes in terris proclamatas exaudire posse.

Trid. sess. 25. titul. de Inuocatione, & Veneratione, & reliquijs Sanctorum; sic enim habet: Illos verò qui regant Sanctos æterna fœlicitate in cœlo fruentes, inuocandos esse: aut qui afferunt vel illos pro hominibus non orare, vel eorum ut pro nobis etiam singulis orent, inuocationem esse idololatriam, vel pugnare cū verbo Dei, aduersariq; honori vnus Mediatoris Dei & hominum Iesu Christi, vel stultum esse in cœlo regnantibus voce vel mente supplicare impie sentire, &c. Sed quia auctoritas huius licet grauissimi Concilii non adeo ab aduersariis acceptetur, altius hanc veritatem eruemus.

Conc. Carthag. 5. In Concilio Cartaginensi 5. (Quòd postea cum reliquis Concilijs Carthagine habitis in 6. Synodo generali in Trullo celebrata confirmatum fuit) Can. 14. statuitur his verbis: Item placuit ut altaria, que passim per agros aut vias tanquam memoria Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquia Martyrum condita probantur, ab Episcopis.

ab Episcopis qui eisdem locis præsumi (si fieri potest) euertantur. Si autem hoc propter tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentem, ut qui recte sapiunt, nulla ibi superstitione denincti teneantur; & omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus aut aliqua reliquia sint. Quod etiam hodie habetur, de Consec. 1. Placuit altaria.

Non ausim cum aliquibus Theologis ex hoc Canone inferre definitionem articuli Controuersi; quia vere hic non definitur: declarat tamen fuisse tunc sensum & praxim Ecclesiæ ad sepulchra & altaria Sanctorum orare, & Dei auxilium per eos inuocare: ad hoc enim memoria Martyrum apud veteres celebrabatur, ut superius in quarto Notabili diximus.

Et hic satis declaratur; ad quid enim plebes illa loca frequentabant, ubi aliqua certa reliquia eorum essent? Indubiè non ut nomina eorum pronuntiarent, vel reliquias altius reconditas (quod communiter non concedebatur) inspicerent, sed ut opportunum eorum auxilium implorarent.

Illum autem modum agendi ad sepulchra & altaria Sanctorum, qualis fuit, describit Hieronymus in vita Hilarionis, ubi de constantia agens, dicit: *Erat solita peruigiles in sepulchro eius noctes ducere, & quasi cum presente ad adiuuandas orationes suas sermocinari.* Nyssenus etiam in oratione de S. Theodoro, pulchrè describit modum illum veterem orandi ad sepulchra: *Superfundentes lacrymas Martyri ut pro ipsis deprecetur, &c.*

Nyss. in orat. de S. Theod.

Et in hunc sensum ordinatum fuisse in Concilio 5. Toletano can. 1. Litanias statim temporibus peragi debere, cum communi schola Theologorum, crediderim.

Conc. Tol. 5. can. 1.

Sed subnectamus aliquos textus manifestiores veterum; inter quos statim occurrit Augustinus libro de Cognitione veræ vitæ cap. 39. *Si anime corporeas voces non audiant, quomodo animas sanctorum, Petri scilicet & Mar- timi, vel alterius iusti, preces suas exaudisse, multi experti sunt? dicitur quod oratio cordis, non oris, ascendit in cælum.*

Aug. l. de cognit. v. ra vitæ c. 39.

Fuse prosequitur; sed quia nec in retractationibus vel Possidio hic liber inueniatur, nescio an ei innitendum foret.

Idem tractat. super Psal. 85. In tract. super Psalm. qui omnium iudicio est Augustini Psalm. 85. sic habet: *Dominus enim noster Iesus Christus adhuc interpellat pro nobis, omnes Martyres qui cum illo sunt, interpellant pro nobis, non transeunt interpellationes ipsorum, nisi cum transferit gemitus noster, &c.* Interpellatio ergo eorum, supponit gemitum nostrum; & durat durante gemitu nostro, quia transeunt simul secundum Augustinum. Si vis ergo prius astruere (vt astruis) astrue & posterius.

Si obicias illum intelligere per *gemitus nostros*, captiuitatem nostram in hoc corpore, quia subdit: *Cum autem transferit gemitus noster, omnes una voce, uno populo, in una patria consolabimur millia millium coniuuncta psallentibus Angelicis choris, &c.* Non renuo; modo simul fatearis ipsum non crude loqui de hoc nostro exilio materiali, sed de nobis gementibus sub eius onere, id est, orantibus liberari ab hoc corpore quod grauat animam, &c. quod est intentum ipsius & nostrum.

Ambro. to 1. l. de uidiis. Notus est locus Ambrosii tomo 1. libro de Viduis: *Obsecrandi sunt Angeli pro nobis qui nobis ad presidium dati sunt; Martyres obsecrandi, quorum uidemur nobis quodam corporis pignore uindicare, &c.* Scio Ambrosium hunc librū scripsisse dum esset iunior Christianus licet Episcopus, citat tamen eundem librum in suis Commentariis super Lucam, cum in fide maturior esset, nec retractat quod hic dixerat; unde manifestum est illud fuisse praxim & sensum Ecclesiæ & suum.

Idem c. 1. ad Rom. Nec ualet quod in cap. 1. ad Romanos, videatur oppositum habere his uerbis; *Suffragatore non est opus apud Deum; quæ uerba (si eius sunt) facile exponi possunt, habita tam manifestè & fusè sententia eius in priori loco; quod se intelligat ex parte Dei non est opus suffragatore, licet rectè ex parte nostri: Sic etiam loquitur magnus noster Alensis questione 92. membr. 1. art. 4.*

Alf. qu. 92. m. 1. art. 4.

quod Sancti intercedendo magis tenent se ex parte orantium, quam obiecti. quod vtique verum est, quia non Deus, sed nos indigemus eorum suffragiis secundum illud Hilarii super Psalmum 129. *Intercessione Angelorum non natura Dei indiget, sed infirmitas nostra.*

Hil. super
Psal. 129.

Verius tamen est, quod ille Commentarius ad Romanos, non est Ambrosii; sed alterius non satis noti authoris, vt communis sententia est.

Comment.
ad Rom.

Quod autem dicat in obitum Theodosii: *Tu solus, Domine, ne, inuocandus es.* Indubiè loquitur de absoluta & vltimata illa inuocatione, quam in Notabili primo diximus Gentiles nobis imposuisse.

De Hieronymo ad suam Paulam constat. In vita Hilarionis, vbi Constantiam laudat quia ad sepulchrū eius solebat orare, & alibi frequens. De Basilio, oratione in 40. Martyres constat: *Qui aliqua premitur angustia ad hos confugit, qui rursus letatur, hos orat, &c.* Mihi perinde est an hoc consulat vel narret: Saltem laudando narrat, quia ad laudes Sanctorum & deuotionem populi hoc perorauit, immo consulit; & rationem consulis subdit: *Ecclesia enim eorum est refugium coaptatum Christianis.*

Hieron. ad
Paulam.

Bas. ora. in
40. Mart.

Tandem Eliphad Themanites in caput 5. Iob, declarat tunc inuocationes Sanctorum fuisse in frequenti vsu. vnde inelamauit S. Iob. *Voca si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere.* Vide D. Thomam in exposit. literali super Iob. vbi optime ponderat illa verba. & 2. 2. q. 83. ar. 4. ad qu. An solus Deus debeat orari.

Elip. The.
in c. 5. Iob.

D. Tho. in
expos. lit.
sup. Iob.

o. c. 2. 2.
q. 83. a. 4.

De praxi autem recepta Christianorum etiam in primis quingentis annis, notat Nicephorus l. 15, c. 28. vbi Petrum Gnapheum publicis Ecclesiæ precibus vtentem ad Sanctos inducit; & ibidem testatur nomen B. Virginis inuocari solitum in omni precatione.

ad q. An
solus, &c.
Nicephor.
l. 15. c. 28.

De Gregorio circa annum sexcentimum, publicas Litanias celebrantem constat. De Græcis etiam, fuit semper res notaria: vt patet in Liturgiis Basilii,

Greg.

Arcud. de Chrysoſtomi, & hodie practicatur (vt notat Arcudius,
ſac. Ordin. de ſacramento Ordinis.

His & huiuſmodi multis Sanctorum authoritatibus
 deuicti, multi ex aduerſariis hodie agnoſcunt fuiſſe
Perkins. conſuetudinem veterum etiam in primis quingentis
probl. de annis Sanctos orare. vt fatetur Perkinsius in proble-
inuocat. mate de Inuocatione Sanctorum (licet aliàs Caluini-
ſanct. ſta) & Centuriatores, centur. 4. cap. 4. cent. 5. ca. 4.
Centuriat. D. Montacutius de hoc ſubiecto agens, momentis
cœt. 4. c. 4. rationum & monumentis authoritatum oppreſſus, à
cent. 5. c. 4 veritate ſtat. & alii frequenter.

Montacut.

De re igitur non ſolum inter nos eſt concordia,
 ſed ni fallor etiam inter celebriores ex aduerſariis; vt
 poſtea melius patebit. Si quid igitur difficultatis eſt,
 ad modum intelligendi illam deprecationem coarctan-
 dum cenſeo.

De quo apud Doctores noſtros variæ dantur expli-
 cationes, tam quoad modum orandi ex parte noſtri,
 quam audiendi vel ſuffragia noſtra percipiendi ex par-
 te Sanctorum.

Primus modus explicandi hanc veritatem, eſt,
 quod licet non vltimate Sanctos oramus ſicut Deum,
 quaſi per eos implendum eſſet propter quod oramus,
 vt dixi in primo notabili, tamen in recto porrigantur
 orationes ad eos, quaſi per ipſos impetrandum eſ-
 ſet quod petimus. Sic videtur diuus Thomas ſecun-
 da ſecundæ quaſtionis 83. ad 4. tenere, vbi ſolum ſpe-

D. Tho. 2.

2. qu. 83.

ad 4. & c.

cificat directum modum inuocandi §. Reſpondeo di-
 cendum: *Quod orationem porrigimus Sanctis, Ange-
 lis, & hominibus: non vt per eos Deus noſtras petitiones
 cognoſcat: ſed vt eorum precibus & meritis orationes no-
 ſtra ſortiantur effectum.* Vbi dicit nos porrigere oratio-
 nes noſtras Sanctis; quod eſt in recto eos orare:
 Deinde eodem modo loquitur de porrectione ora-
 tionum in ordine ad Sanctos, ac in ordine ad viatores,
 quos ibi intelligit, *per homines*, manifeſtum autem eſt
 nos eos in recto interpellare.

Hæc sententia est sine dubio rationabilis, & sic eam D. Subtilis æstimat, vbi inferius, & facile soluit omnia *Scot.* in oppositum, sub initium Problematis prolata.

Secundus modus explicandi est absolutissimus dicendo, quod preces nostræ possunt dirigi sanctis nunc in recto, nunc in obliquo. adeo vt non restringat modum orandi ad obliquum solum, nec ad rectum; sed recte vtrumque fieri. sic Doctor 4. dist. 45. verbis supra cita *Idem 4. d. 45.* & hæc est communis Sanctorum & Doctorum: & vtrumque practicat Ecclesia, vt patet de Collectis & Litanis Ecclesiæ; sic etiam, veteres vt patet ex supra allatis: & secundum hanc sententiam, recte vno vel altero modo oratur: nec aliquid contra hanc viam potest afferri. Nec putem Alensem differre, licet dicat sanctos se *Alens.* magis tenere ex parte orantium, quam qui oratur, vbi supra, & ibidem dicit, *Deum solum inuocandum simpliciter*, quorum vtrumque verum est in sensu Doctoris.

Veteres vero subinde obliquum illum modum orandi exercuisse indubium est, nam in veteri lege, oblique solum orabant sanctos, sicut Exod. 32. *Quiescat ira tua, esto placabilis super malitia populi tui, recordare Abraham, Isaac, & Iacob seruatorum tuorum.* Sunt verba Moysis. etiam Danielis 3. *Ne auferas à nobis misericordiam tuam, Domine Deus noster, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum.* Ecce per merita horum Sanctorum, à Deo beneficia exposcunt. vt optime ponderat Horantius noster in locis Catholicis, fol. 259. id est, per merita quibus obtinebant à Deo fœdus pro semine suo. hoc addo vt obuicem Caluino asserenti huiusmodi preces offerri Deo ex intuitu fœderis initi cum Patriarchis; *Hor. locis Cath. fol. 259.* litera autem contextus est perspicua de ipsis sanctis & meritis eorum saltem in ordine ad fœdus, vt vel proteruienti patet, quæ est interpellatio obliqua.

Apud Christianos vero patet, apud Aug. c. 16. de cura *Aug. c. 16. de cura pro mortuis.* *Deus suorum merita Martyrum, vbi vult, quando vult, quomodo vult, maxime per eorum memorias, quonia hoc nouit nobis expedire ad edificandum fidem Christi, pro cuius*

illi confessione passi sunt, bonitate mirabili & ineffabili commendat. Ecce dicit, Per eorum memorias, &c. Quid autem illa verba importent, dixi superius ex ipso Augustino in Ioannem. Eos commemoramus. postea. ut ipsi pro nobis orent. id est, illorum mentionem facimus Deo, ut Deus illorum orationibus suscipiat preces nostras, ut Cyrillus vbi supra. modus autem commemorandi apud veteres fuit ordinatissimus, ut habetur in Mystagogicis: nempe primo Patriarcharum, deinde Prophetarum, denique Apostolorum, Martyrum, &c.

Idem. in Ioan.

Cyrl. vbi sup.

Theod. in vita Marciani.

Theodoretus historia Sanctorum Patrum in vita Marciani plane explicat hunc modum, ut habetur apud Bellarminum: *Ego autem huic narrationi finem imponens, rogo & queso ut per horum intercessionem, diuinum consequar auxilium.*

Corn. Pa. 4. ep. 12.

Sic etiam Cornelius Papa epist. 12. (si sit eius) quæ est de translatione corporum Apostolorum: *Orantes Deum ac Dominum nostrum Iesum Christum, ut intercedentibus Sanctis suis Apostolis, maculas nostrorum purget peccatorum.*

Ambr.

Hier. Bas. fl.

Magist. 4. n. 45.

Subinde etiam & rectum modum interpellandi præcassè, æquè constat ex Ambrosio, Hieronymo, & Basilio supra. Tandem Magister 4. dist. 45. vtrumque hunc modum complectitur & declarat, dicens. *Oramus ut Sancti intercedant pro nobis, id est, ut merita eorum nobis suffragentur, & ut ipsi velint bonum nostrum, quia ipsis volentibus, Deus vult,* ibi vtrumque explicat: perpende.

Hactenus de modo orandi, nunc de modo audiendi: in quo etiam est diuersitas explicandi, & tres viæ apud Doctores de hoc habentur.

Gabrielis Canone.

Prima est Gabrielis in suo *Canone*, quod Sancti quædam supernaturali vi imbuti, distincte & intuitiue cognoscant cogitationes aliorum, adeo ut nec in Verbo, nec per reuelationem à Verbo, sed quasi connaturaliter ad statum illum, concedatur talis potentia supernaturalis, sicut dos agilitatis, & id genus alia, ad beatitudinem consequentia: quam opinionem licet non am-

plector, non tamen vsquequaque improbabilis videtur.

Secunda via est D. Thom. 2. 2. q. 83. ad 4. quod formaliter in verbo videant orationes & interiores motus cordis nostri: quod etiam sic probat ex Gregorio in 12. moral. *In verbo manifestatur illud quod decet eos cognoscere de eis que circa nos aguntur: & quantum ad interiores motus cordis: maxime autem excellentiam eorum decet, ut cognoscant petitiones ad eos factas: vel voce vel corde. & ideo petitiones quas ad eas dirigimus Deo manifestante cognoscunt.*

Quæ vltima verba per se sumpta possent intelligi de visione causaliter facta à verbo potius quam formaliter in verbo, tanquam in speculo, vt alii loquuntur: sed referendo ad priora. *In verbo manifestatur, &c.* Videntur plane intelligi de speculari cognitione Sanctorum; sic etiam Caietanus; Ferdinandus tamen Vellofillus in Aduertentiis suis fol. 92. in 4. Tom. 5. Chrysostomi quæsitio 21. explicat D. Thomam, non de illa formali cognitione in verbo, sed causali. *Hoc est quod causat in illis cognitionem orationum & petitionum Deus eis reuelando: Non quod Deus causet actum illum immanentem in intellectu eorum, licet bene posset, non solum prout qualitas est, vt alii dicunt, sed etiam vt actus vitalis est, ad cuius rationem solum requiritur, quod de natura sua sit immanens potentie vitali, & recepta in illam, non autem quod ab eadem producat, vt post Doctorem Subtilem tenent eius sequaces: sed hoc omisso; Vellofillus tenet ex D.*

Thoma quod Deus solum specialiter concurrat cum intellectu eorum ad cognitionem illam: vt patet his verbis. *Quæro quando ego loquor cum Petro, nunquid potest verba que ego profero sine Dei concursu intelligere? Cerrum est quod non, sed Dei concursus semper est quolibet instanti paratus, ergo Sancti non ex suis naturalibus, sed per Dei auxilium speciale, statim quod illos oramus, & orationes & petitiones nostras agnoscunt.*

Magister etiam 4. d. 45. §. Sed forte quæris. totus est pro hæc speculari cognitione precum in verbo.

D. Tho. 2.
2. q. 83.
ad 4.
Greg. 12.
mor.

Caietan.
Ferd. vel-
los. Ad-
uert. fol.
92. in 4.
Tom. 5.
Chryf.
quæst. 21.
& D.
Thom.

scor.
vellos. ex
D. Tho.

Magist. 4.
d. 44. §.
sed &c.

Matth.

Hebr.

Matth. 18
vers. 10.D. Bern.
ser. 5. de
Dedicat.
Ecl.Scot. 4. d.
45. q. ult.
§. de 2. ar.
Durand.
4. d. 49.
3. conclus. 8.
De Doctore patet his verbis.
Dico quod non
est necesse ex ratione beatitudinis,
quod beatus videat orationes
nostras, regulariter, siue uniuersaliter in verbo,
quia non est
aliquid quasi necessaria sequela beatitudinis:
neque quod reuelentur,
quia non talis reuelatio necessario sequitur beatitudinem.
Beatitudo enim intellectus in obiectis creatis non transcendit
quid-

Pro illa vero sententia de formali & speculari visione; potest sic argumentari. Angeli ex sententia Christi videndo faciem Patris, vt habetur in Matthæo, vident necessitates eorum, qui sunt Filii Dei, & impetrant quod eis est necesse; siue sit vindicta in hostes, vel quicquid aliud ipsis expediat secundum illud ad Hebr. *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerio missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis*: subsumo: sed Sancti vident faciem Patris: ergo vi huius visionis vident necessitates seu orationes nostras, &c. cum par omnino videatur ratio, maior patet ex verbis Matthæi 18. vers. 10. *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est*. Vbi manifeste docet, non offendendos nec contemnendos paruulos, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris: id est, secundum meum iudicium, quod siue Angeli eorum custodes ipsis præsentialiter adsint, siue non, (aliquando autem ipsos adesse præsentialiter indubitatum est) semper tamen vident faciem Patris, id est, circumferunt secum beatitudinem suam, vt omnes Theologi post D. Bernardum serm. 5. de Dedicacione Ecclesiæ concedunt, & hinc vident iniurias in paruulos Christi illatas: & inde præmonet Christus, *videte ne contemnatis, &c.* Quod si hæc Christi argumentatio efficax sit (vt sine dubio est) concludit etiam intentum de Sanctis videntibus faciem Patris, quod consequenter videant in Deo preces nostras, vel saltem quod Deus ipsis reuelet. Quod sufficit contra Calvinistas.

Tertia sententia est Doctoris Subtilis 4. dist. 44. q. ult. §. de 2. articulo, Quod non formaliter, sed effectiue a verbo. Durandi 4. dist. 49. quæst. 3. Soti ibidem q. 3. a. 3. conclus. 8. De Doctore patet his verbis. *Dico quod non est necesse ex ratione beatitudinis, quod beatus videat orationes nostras, regulariter, siue uniuersaliter in verbo, quia non est aliquid quasi necessaria sequela beatitudinis: neque quod reuelentur, quia non talis reuelatio necessario sequitur beatitudinem. Beatitudo enim intellectus in obiectis creatis non transcendit quid-*

quidditates, seu illa quorum essentia visa est necessaria videndi.

Tamen quia congruum est, beatum esse coadiutorem Dei in procurando salutem electi, eo modo quo hoc sibi potest competere: & ad istud requiritur sibi reuelari orationes nostras specialiter quæ sibi offeruntur, quia illi specialiter innituntur meritis eius, tanquam mediatoris producentis ad salutem, quæ petitur: ideo probabile est, quod Deus beatis reuelat de orationibus sibi vel Deo in nomine eius oblati.

Singula verba sunt notatu digna: quoad præsens tamen punctum, resolutio est, fieri per reuelationem, non generalem, seu in principio suæ beatitudinis, vel vi status eorum, vt aliqui volunt, sed per specialem, vt hic expresse tenet Doctor, sic etiam Durandus, & alii vbi supra.

Et certe hic modus explicandi, videtur insinuare modum dirigendi orationes nostras Sanctis, debere potius esse Deo in nomine Sanctorum, quam ipsi Sanctis in recto, vt etiam notauit Bellar. l. i. c. 20. de Sanctis. §. Atque ex his duabus. supposito enim quod non aliter noverint preces nostras, nisi Deo specialiter reuelante, nunquid videtur sequi preces nostras rectius dirigi Deo, vt hic vel ille Sanctus intercedat pro nobis? qui est obliquus modus orandi Sanctos, eo quod eadem via orandi sunt, quæ audiunt. non autem audiunt nisi Deo specialiter reuelante, secundum hanc sententiam: ergo mediante illa interpellandum foret, secundum eandem. Et eo plus hic modus orandi confirmari videtur, in via Durandi, qui vult fieri reuelationem istam in proprio genere (quam æstimat Bellar. esse Augustini) si enim non vident Sancti preces nostras, nisi Deo specialiter reuelante in proprio genere, vel per Angelos, iudicent doctiores, an non tenendo hanc Durandi sententiam, magis consequens sit tenere obliquum illum modum orandi? & hoc insinuat Bellar. & illa est ratio cur in veteri lege oblique orabant Sanctos, secundum Doctores, scilicet quia non videbant preces viatorum in Deo, sed speciali

scot.

Durand.

vbi sup.

Bell. l. i. c.

20. de

sanctis §.

c.

Durand.

Bellar.

reuelatione extra Deum. Quod etiam tenet hæc opinio. sed nihil definitio, solum doctioribus propono; sententiam vero meam declaravi superius ex Doctore complectendo vtrumque modum orandi, quam etiam fuisse omnium veterum æstimo. licet Nicolaus Denis tract. 7. p. 1. portione 2. q. 1. §. Et ad illud requiritur explicando modum orandi Sanctos, dicit, *Nos offerre preces Deo in nomine sanctorum.* sed hæc missa facio.

Scot.

Nicol.

Denis

tract. 7. p.

1. port. 2.

q. 1. §. Et

ad Sc.

Bellarmin.

Scot. n. 7.

§. Ad

arg. prin-

cipalia.

Aug.

Angl. in

4. qu. de

beatitud.

diff. 3. &

Smis.

tract. 2

disp. 6. q.

8. §. Mis-

sis igitur.

Dur. ubi

sup. &

Bell. Sc.

§. Atque

ex his 2.

Aug. c.

15. de cura

pro mort.

Smis.

Gabr.

Scot.

Inter ipsos autem qui requirunt hanc reuelationem specialem, adhuc est differentia; quod non aduertit (licet alias acutus) Bellarminus. alii enim volunt, quod reuelatio fiat rerum in Verbo; sic Doctor; n. 7. §. Ad argumenta principalia his verbis: *Quibus in verbo regulariter reuelantur, &c.* Sic etiam Aug. dum vult Angelos cognoscere res in Verbo, seu in visione matutina, & videtur communior; quem etiam amplexus est Angles in 4. q. De beatitudine, difficult. 3. & Smisings tract. 2. disp. 6. q. 8. §. Missis igitur.

Alii vero quod fiat reuelatio singularis rerum in proprio genere, sic Durandus ubi supra & alii, & Bellar. iudicat omnino probabile. §. Atque ex his duabus. & putat esse Augustini c. 15. de cura pro mortuis, licet hoc neget Smisings. verba quidem Augustini sunt indefinita, & ad vtrumlibet applicabilia. Gabriel etiam quoad modum obiecti, scil. in proprio genere, non differt. Quam sententiam loquendo de posse, si nimia distantia extremorum non impediret (vt etiam notat Doctor) omnino iudicarem verissimam, etiam secundum vires naturæ; animas scil. beatas posse etiam naturaliter videre cogitationes nostras, scil. si sibi relinquerentur, & hoc intuitiue; *Proportionatum enim est sibi quodcumque intelligibile creatum*, vt patet: cuius generis sunt preces vel cogitationes nostræ: immo nec putem eos obligari ad certam distantiam, ab intrinseco, quo minus orationes nostras perspiciant in cælo existentes: limitatio enim agentis creati, non fundatur in necessitate præsentia agentis & passi, nec hinc certam sibi vëdicat Iphæram actiuitatis

(non enim eo perfectior est effectus vel actio, quo fit in loco magis
distanti, cum sit idem effectus & eadem actio, quae esset in loco
propinquiori) cur ergo virtutem requirat perfectiorem,
aut minus limitatam? certe ex hoc capite, nulla est ratio.

vt acutissime notauit Smifings tract. 2. disp. 5. n. 42. Ratio ergo, cur non possunt agentia creata ultra certam
sphaeram, est; non natura rerum, vel finitas agentium
simpliciter, sed prout subordinata sunt dispositioni, Dei
authoris naturae, qui ob conuenientem vniuersi dispositio-
nem sic instituit, ne agentia se inuicem impedirent. sic
Doctor 2. d. 2. q. 12. De facto igitur ob nimiam distan-
tiam non possunt animae separatae, nec nobis suas cogi-
tationes reuelare, nec nostras perspicere. non tamen
implicantia vlla est, quod id faciant: & sic sancti in cœ-
lis audirent orationes nostras; cum si naturas extremo-
rum solum attendamus, (sine interuentu legis Dei)
actu sic fieret. immo cum vt dicit Doctor 2. d. 9. qu. 2.
Angeli de facto loquuntur in distans ad inuicem, & ea-
dem est ratio in animabus separatis, quis potest ipsis de-
signare certum terminum, quin possent in maiorem, &
forte in cœlum vsque à terris, sicut Sol, & superiores
Planetae, & stellae fixae, quae sunt multo altiores, emit-
tunt species visibiles licet materiales ad nos in terris. Nec
hoc solum; quin vt excultiores Mathematici, certissi-
mis experiētiis tradiderunt, species rerum etiam minu-
tiorum euehuntur ad corpus Solis, & inde per instru-
menta reducuntur, & visibiles redduntur nobis; sicut
de characteribus scripturarum, tradunt Trithemius, &
alii multi; & noui viros probatae fidei, qui se factitasse
testantur. cui mirum igitur, si animae beatæ videant scri-
pturas cordis nostri, licet multum distantes? Et quis no-
uit, an Deus hoc permiserit, Sanctis & Angelis in sua
gloria existentibus? Cognitio quidem rerum diuinarum
nobis est in delicijs, & multo magis oblectat, parum quid de illis
attigisse, quam res alias totas perspexisse, vt recte Aristoteles
de substantiis separatis agens in 1. Metaph. sciendum ta-
men ex eodem Aristotele, quod cognitio quam hic ha-

Smif.
tract. 2.
disp. 5. n.
42.

scot. 2. d.
2. q. 12.

Idem 2. d.
9. q. 2.

Trithem.

1. Metaph.

bemus de eis, est sicut visio noctuæ respectu Solis. Non igitur adeo tenaciter hærendum nostræ tenuissimæ & obscurissimæ cognitioni rerum diuinarum, & immaterialium, vt statim eas vel actiones earum, ad cursum entium sublunarium astringamus.

Durand.

Sed his missis: opinio Durandi præacta, non est improbabilis, & inferuit ad plura; de quibus postea in solutione argumentorum.

Ad argumenta.

Ad rationes primi generis, vno verbo responderetur, ex hac vltima via: quia licet dubitabant illi Patres an adhuc Sancti essent in cœlis; manente hoc dubio, bene stat ipsos posse orare pro nobis, & Deum ipsis reuelare preces nostras, vel per se vel per Angelos: & vt patet in multis locis eorundem Patrum, non obstante illo priori dubio, de facto tenebant nostras inuocationes valere apud ipsos: non quidem potuerunt videre in Verbo formaliter, nisi essent beati formaliter, nec hoc potuerunt Patres tenere, dubitando de priori: constans tamen fuit tam in praxi quam doctrina Ecclesiæ, vt ex supra dictis videre est, commemorationes inuocatiuas celebrare Sanctorum, & certo speratiuas opportuni auxilii per eos: de modo tamen, an per Angelos ad ipsos deferrentur preces eorum, vel an à Deo immediate reuelarentur ipsis; quæ communior fuit sententia, & apud Augustinum frequentior modus loquendi, vt postea patebit, non omnino erat perspicuum. Quod nihil est contra veritatem ab Ecclesia definitam. Notandum etiam vel maxime, quod Græci, vt ex Thoma à Iesu notauimus, hodie dubitant, an Sancti defuncti videant Deum, & tamen, vt etiam alibi notauimus ex Arcudio Græco, agente de Sacramento ordinis, hodie orationes dirigunt ad il-

Aug.

Th. à Iesu

Arcud.

hos, & in Euchologio seu caeremoniali eorum habetur in ordinatione tam Presbyterorum, quam reliquorum, formalis inuocatio Sanctorum in hac forma, *Sancti Martyres, qui bene decertastis, &c.* Immo videtur esse sensus Ecclesiae hodiernus, illa duo optime stare. quia licet communiter asseritur, S. Eliam non esse in caelis, tamen licentia fit Carmelitis, ipsi officium dicere.

Ad rationes secundi generis, respondit D. Thomas, quod mortui omnes ea quae in hoc mundo aguntur: considerata eorum naturali conditione, non cognoscunt: & praecipue interiores motus cordis, quod utique verum est. Quod autem addunt in confirmationem, textum Isaiae 6. 3. *Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos.* vbi dicit Augustinus. *Mortui nesciunt, immo Sancti, quid agant viui.* Et Augustinus & Hieronymus ibidem.

Ad hoc respondet Doctor. *Verum esse pro tunc, quia erant in Lybno, & sic non habebant visionem in qua fiunt reuelationes istae regulariter.* Quod non obstat, fieri aliquando & specialiter: in illo igitur casu Deus non reuelauit iis Sanctis, statum Israëliitarum in poenam eorum: vel forte nescierunt ad effectum iuuandi: vel nescierunt, scilicet nescientiâ opposita scientiae approbationis. sic Hieronymus vbi supra. & alii. nec plus illinc conuincitur.

Quia tamen Augustinus de cura pro mortuis, vt in obiectione habetur, videtur anxie de hoc agere, futurius expendendum erit intentum eius ibi: quod mire dilucidauit Smising's tract. 2. disp. 6. q. 8. §. Potest autem primo. Ex quo, quia doctissime discurret totum defumam.

Augustinus in capitulis in initio citatis, docet fuisse, spiritus defunctorum ignorare statum viuorum: ex quo ca. 16. concludit *Sanctos Martyres opitulari ijs quos per eos certum est adiuuari, generaliter orando pro indigentia supplicantiu, sicut nos oramus pro mortuis, quibus utiq; non praesentamur,*

270 *Problema trigesimum septimum, & ult.*
nec ubi sint, vel quid agant, scimus. Nec ullibi hanc doctrinam retractat.

D. Th. 1. p. 2. 89. a. 8. D. Thomas respondet 1. p. qu. 89. ar. 8. Augustinum hoc dubitando dixisse, quia præmittit c. 13. *¶ Vt voles quisque accipiat quod dicam.* Dicit autem Smisingus quod ea non sunt verba dubitantis, sed solum non pertinaciter asserentis, seu non præiudicantis sententiæ aliorum. Vnde *Aug. c. 13* eodem capite 13. ait: *An forte nos errando ista dicimus? ac* *et ca. 15.* si dicat, nequaquam: & c. 15. dicit: *Proinde fatendum est, nescire quidem mortuos quid hic agatur.* Assertiuè. Dubitat quidem *Aug. ca. 16.* quemadmodum optulerentur Martyres eis, quos per eos certum est adiuuari, vtrum ipsi per seipso ad sint vno tempore tunc diuersis locis, & tanta longinquitate discretis; an ipsis in loco suis meritis congruo, ab omnium mortalium conuersatione remotis, & tamen generaliter oratibus pro indigentia supplicantium, Deus omnipotens, qui est vbique præsens, exaudiens Martyrum preces, per Angelica ministeria vsquequaque diffusa, præbeat hominibus ista solatia: quam rem dicit esse altiore, quam vt ab ipso possit attingi, & se definire non audent. Non dubitat Augustinus an Martyres absentes in locis suis meritis congruo res nostras cognoscant in particulari, sed huius negantem partem supponit, comparans illorum absentium notitiam cum notitia nostra, ita vt sicut nos ignoramus qui sese habeant defuncti, ita etiam ignorent illi qui sese habeant viui.

idem.
1. 2. ar. 6. Et postea reiecta Bellarmini solutione §. Missis igitur. *Missis igitur.* respondet: velle quidem Augustinum, quod spiritus defunctorum ordinariè non sciant res viuorum ex conuersatione inter viuos (aliquando enim ad nos redire spiritus defunctorum admittit. c. 15. & probat exemplo *Aug. c. 15* Samuelis apparentis Sauli 1 Reg. 18.) nec tamen ideò quâ ad ipsos pertinet, ignorent res viuorum, etiam de præsentibus sunt. nam cum c. 15. dixisset, vt diximus, posse spiritus defunctorum aliqua de rebus viuentium posteaquam contigerunt, discere ab aliis animabus vel

Angelis; tertium modum adiecit, dicens: *Possunt etiam spiritus mortuorum, aliqua que hic aguntur, que necessarium non est eos non nosse; non solum preterita vel presentia, verum etiam futura, spiritu Dei reuelante cognoscere; sicut non omnes homines, sed Prophetæ dum hic uiuerent cognoscebant, nec ipsi omnia, sed que illis reuelanda Dei prouidentia iudicaret.* Ecce manifestè se explicat, qualiter negauerat ante cognitionem rerum nostrarum, Sanctis defunctis. Et in hac sua explicatione, valde opinionem nostram, de modo audiendi confirmat.

Qui plus voluerit de mente Augustini, prosequatur locum citatum apud Smifings.

Aug. apud Smif.

Ad rationes tertii generis, vere sensum Ecclesiæ confirmant. videbant enim ex orationibus porrectis ad Sanctos, vel quod idem est, Deo, in nomine eorum, multos sua vota obtinuisse & auxilia opportuna recepisse. quo supposito & omnibus diuulgato, oriebatur quæstio, an Sancti ipsi inuocantibus adessent, & præsentialiter solarentur (quam partem aliqui tenuerunt, virtute scilicet diuina non propria) vnde Augustinus, *Non ideo putandum est viuorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis vel adiuuando Martyres adsunt. Sed ideo potius intelligendum est, quod per diuinam potentiam Martyres viuorum rebus intersint, quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus interesse non possunt.* Alii vero tenuerunt & probabilius, illos solum interfuisse orantibus in virtute, id est, iuando, non se ipsos præsentibus exhibendo. quam etiam Augustinus vbi supra, licet dubitans, amplexus est.

Aug.

Quicquid sit, certum est opinionem de illa vbiquitaria præsentia Sanctorum, fuisse exortam ex quotidianis & frequentissimis curationibus obtentis ad sepulchra Martyrum, vt ex Augustino ex superius dictis, & omnibus aliis Sanctis constat; non autem deuotionem erga ipsos exortam ex illa opinione vbiquitatis, quod plane friuolum fuisset, & indignum quod tantis Patribus imponeretur.

Chrysof. Ad rationes quarti generis; ad illud Chrysofomi, *Vellof. vbi* optime respondet Vellofillus vbi supra, sanctum Doctorem inuehere contra desides; & certe patet hom. 8. *Chrysof.* in Matth. *Si negligentes fuerimus ac desides, neque per aliorum. 8. in* rum merita possumus saluari. Et postea: *Hæc autem dicimus, Matth.* non vt pro peccatoribus, supplicandum esse Sanctis, ne gemus, sed ne nosmetipsos, in otium ac desidiam resoluamus. Et idem habet homil. 5. in Matth. etiam hom. 1. in priorem epistolam ad Thessalonicens. & nota quod nullibi hi libri habeantur pro suspectis, nec apud ipsos aduersarios.

Idem hom. 5. in Matth. etiam hom. 1. in priorem ep. ad Th. Isaia. Ad confirmationem ex Isaia. respondeo cum communi, quod moris erat apud Chaldaeos inuocare spiritus parentum & consanguineorum mortuorum: solebant enim sacrificare & comedere ad sepulchra eorum, eos Deos esse æstimabant, & hinc *expouarua* exorta est, quia solebant consulere eos de rebus dubiis, &c. & hoc Deus detestatur.

Ad rationes quinti generis, respondet Augustinus *Aug. ep. 137.* epist. 137. *Sicut dicit Apostolus, non omnes Sancti habent dona curationum; ita nec in omnibus memorijs Sanctorum ista fieri voluit ille qui diuidit proprie unicuique sicut vult.* Non omnes ergo Sancti, dum inuocantur, *curant;* sed quibus concessum est. nec omnes eadem ratione mortuos resuscitant; sed *spiritus diuidit prout vult.* Quid ergo incommodi si ad hunc Sanctum oretur pro tali beneficio, & non ad alterum, si experientia didicerimus ad preces huius, non illius, talia beneficia aliquando obtenta; vt aliquando accidisse in Memoriis Sanctorum, satis insinuat ibi Augustinus.

Ad vltimum de impossibilitate audiendi, dictum est superius.

Dices, saltem sub Euangelio nullibi extare præceptum de Inuocatione Sanctorum.

Horant. fol. 260. Respondeo, cum Horantio fol. 260. hoc factum, ne Gentiles conuersi, crederent se iterum ad cultum terrigenarum trahi, & pro veteri modo Sanctos, non vt Patronos, sed vt Deos adorarent.

Denique

Denique potest peti, an cultus quo veneramur Sanctos, sit actus religionis? Ad quod facilis est solutio ex dictis de habitibus moralibus infusus Probt. 34. vbi fuse egimus de obiecto religionis; quod est Deus solus: Cum igitur habitus distingui debeant per obiecta, consequens est, quod cultus Dei & Sanctorum à distinctis habitibus oriatur. & hoc expresse tenet D. Thom. 2.2. q. 103. a. 3. ad 2. Dicendum tamen quòd ad religionem pertinet, licet non est religionis actus, nec est actus ciuilis, quia obiectum non est aliquid ciuile, sed supernaturale, scilicet sanctitas eorum. Ad eandem tamen virtutem pertinere putem ad quam spectat cultus, quem tribuimus viris Sanctis viatoribus: quæ est *Dulia*, seu honor quidam spiritualis, & ratione obiecti, supernaturalis; licet non plane eadem virtus, quâ Deus colitur. Et hanc veritatem prorsus amplectuntur doctiores ex Nostratibus.

D. Th. 2.
2. q. 103.
a. 3. ad 2.

Tandem vt pro more applicemus ad Confessionem Anglicam in art. 22. sic habetur: *Romana doctrina de Inuocatione Sanctorum, est res fœua, inaniter inuenta, & super nullum fundamentum scripturæ astructa; immo potius verbo Dei repugnans.*

Conf.
Angl.
art. 22.

Verba in frontispicio sine dubio durissima. Attendendum tamen, quod vi huius articuli non reprehenditur Inuocatio Sanctorum simpliciter seu in se: vt patet: sed *Romana doctrina de Inuocatione*, seu de explicatione inuocationis Sanctorum. sic etiam diserte astruitur: vt etiam patet.

Vis igitur huius eorum determinationis seu censuræ, consistit in examine doctrinæ Romanæ. non quid Romani, seu catholici (quod idem est in phrasi eorum) tenuerint, sed quid ipsi de doctrina eorum iudicarint. Hoc igitur non ex Scripturis Catholicorum, sed suorum eruendum est.

Calvinus princeps tenebrarum harum l. 3. Instit. cap. Calu. l. 3.
20. dicit nos inuocare Sanctos, vt Deos; vt olim Genti- c. 20. In-
les calumniabatur Christianis, vt Notabili primo osten- sit.
di. Et paulo superius eodem capite asserit, nos in publi-

cis orationibus, nec semel Christi facere mentionem, sed solum Sanctis dirigere preces nostras, quasi Christum excludendo. Frequentissimus est in huiusmodi calumniis, ut articulate deducit Horantius noster in Catholicis.

*Horant.
locis Ca-
tholicis.*

D. An.

*D. Andros Res-
ponf. ad c.
20. Pero-
nis fol. 28.*

D. Andros in Responsorio ad c. 2. Eminentissimi Peronii fol. 28. eodem modo quo Calvinus, intelligit preces nostras Sanctis directas esse ultimas, & absolutas, & quasi tot diis porrectas; ut fuse ibi declarare conatur, non quidem ex Doctorum consensu, sed hymnorum concentu.

Hæc igitur est doctrina, quam in articulo ut fatuam derident, quam etiam nos, ut impiam abitramus. cui igitur mirum, quod plebs auerfetur à doctrina sancta & Catholica, dum huiusmodi calumniis imbuitur?

Calvinum non moror (ybi que mendaciis scætet, nec aliam viam suam monopoliam anarchicam, in contemptum Principum & Prælatorum astruendi, nisi mendaciis turpissimis habuit) sed Nostrates demiror. D. Andros in suo ibidem congressu cum Peronio, & ex multis apud Bellarminum, quos citat locis, rectius perspiciebat sensum Ecclesiæ, & poterat ex responsionibus, quas refert ad Prudentium & Paulinum ex Bellarmino, ad Hymnos Ecclesiæ quos canit, applicuisse, dicendo eos, *more poetico luisse*; vel si hoc minus placeat, dic quod verum est, eos eodem sensu quo Paulus Rom. II. locutos, *ut saluos facerem aliquos*, id est, precibus, &c.

Idem.

Non agitur utique, *de verbis, sed sensu verborum*; ut alibi etiam recte Bellarminus. Optime vero nouit D. Andros omnes ad unum Doctores Catholicos dum doctrinaliter agunt, illum modum deprecandi Sanctos semper explosisse, ipsammet Ecclesiam in Trid. ubi supra sic declarasse. Quid igitur ad hymnos recurrendum? sed putem ipsum non serio egisse, sed se & lectorem hymnis illis recreare voluisse.

*Trid. ubi
sup.*

Hos nominatiores refero; apud alios vero inferioris notæ, licentia imponendi frequens.

Summa est quod Confessio Anglica nihil determinauit contra veritatem fidei; explosit quidem impiam & gentilitiam doctrinam falso Ecclesie imputatam. Conf. Engl.

Adde quod nemo Nostratum, qui Protestantes habentur, vsquam scripsit contra opinionem Doctoris secundum suam latitudinem, in modo orandi Sanctos; vel postremum modum audiendi orationes nostras. Scot.

Eodem plane modo & eodem verborum tenore, in eodem articulo, abiiciunt, non Purgatorium, indulgentias, adorationem imaginum & reliquiarum in se, sed vt prius DOCTRINAM ROMANAM de his omnibus, id est, doctrinam falso nobis imputatam. De Purgatorio putant esse locum à nostris inuentum ad cacabum Pontificis concoquendum (est phrasis Caluinistarum) ad crucem Christi euacuandam, &c mira huiusmodi clamitant. De Indulgentiis, putant illas Pontificis venales nundinas, quasi pro libito suo viatores, vel defunctos ab omni pœnarum debito exsoluere (intelligo semper de Caluinistis.) De cultu imaginum & reliquiarum, putant nos latriam proprie dictam ipsis terminatiue tribuere, Gentium idola constituere. Has impias impiorum hominum calumnias & fabellas, sub nomine DOCTRINÆ ROMANÆ, vt ridiculas abiiciunt, nos vt Dei sponsæ summe iniuriosas abhorremus. Purgatorium vero in se, seu quoad substantiam definitionis Ecclesie, præsertim in Florentino, plùrimi admittunt, id est, *locum purgationis & emundationis*, vt loquitur Cyprianus tom. I. ep. 52. Florent. Cyp. to. I. ep. 52. (licet modus purgandi & emundandi non adeo perspicue definitur) Indulgentias etiam prout in Tridentino, Trid. id est, iudiciariam quandam absolutionem seu relaxationem pœnarum in foro Dei ob peccata debitarum (vt loquuntur Scholastici) cum Cypriano Tom. I. ep. 14. & Tertull. Tom. 2. l. ad Martyres c. 1. & alibi, non recusant; nec solum debitarum ob Ecclesie disciplinam, Cyp. to. I. ep. 14. Tert. to. 2. l. ad Mar- vt Caluinistæ dicunt, quia vt loquitur ibi Cyprian. *Qui libellum à Martyribus acceperunt, auxilio eorum adiuuari apud Dominum passuri;* non ergo solum apud Ecclesiam; rogat tyres c. I.

Cyp. ep. 11 tamen Cypr. vt Martyres *cauè petentium desideria ponderent, ut pote amici Domini, & cum illo postmodum indicaturi, & actum, & opera, & merita singulorum,* epist. 11. in alia editione ep. 15. Ecce ipsis modum præscribit, quomodo ab Ecclesiæ Prælati absolutionem pœnarum, vel satisfactionis Deo debitæ pro peccatoribus exposcerent.

Tert. l. de pudicit. c. 22. Tertul. etiam Martyrum nimiam in hoc facilitatem aliquando reprehendit l. de pudicitia c. 22. rem tamen in se vterque declarat. Immo ipse Kemnitius apud Bellarm. fatetur, Aug. Cypr. & Tertull. indulgentias in sensu explicato, sapius agnouisse cultum etiam imaginum & reliquiarum, prout in Nicæno, Lateranensi, & Tridentino; nulla horum in articulis Confessionis Anglicanæ negant. Immo doctissimi Nostratium, quibuscum non raro egi, plane recipiunt, & omnia venerabili antiquitati consona in congressibus nostris ingenue fassi sunt; gazophylacium quidem spirituale & sanctum ex Christi & Sanctorum meritis congregatum, & in acceptatione diuina conseruatum, non adeo clare ex Scripturis & Sanctorum Patrum monumentis declaratum, putant.

Mayron. Quod ante eos æstimauit Mayronius noster cum paucis aliis, nec eo opus putarunt ad veritatem Indulgentiarum stabiliendam. Quoad reliquiarum & crucis Christi venerationem, profitentur D. Andrerros in Responsorio ad c. 18. Peronii, Casaubonus in exercitationibus Baronii ad annum 34. & alibi cum aliis. post Cyril. in Catechesi 4. Hieron. ad Marcellam, Aug. & alios. cultum etiam seu *venerariam quandam honorationem* sacrarum imaginum cum Chrysofotomo in sua liturgia, id est, *inclinationem religiosam ad imaginem,* astruit post alios D. Montacutius in Responsorio ad Heighamum, & in Appello Cæsarem c. 22. quam etiam venerationem Græcos semper excoluisse, testatur Curopalata de officialibus. De Purgatorio, antiquiores eorum agnouerunt, vt patet apud Foxium, de Latimero, nec Petrus ignomen-
to Martyr absolute negauit. Ego vero non particulares aliquorum hominum opiniones, sciscitor, sed quid in

Confessione ipsa decretum sit, ostendi; vbi vt dixi, non vsus, sed abusus calumniose Ecclesiæ imputatus, exploditur.

Hic igitur cum Confessione Anglica erit pax omnimodè, modo non ex affectu partium, sed veritatis, omnia pro dignitate perpendant.

Dum huc vsque peruenissem, & ad exemplū D. Pauli qui suum Euangelium ante promulgationem cum aliis Apostolis conferre voluit, (vt monuit Beda l. retra. in Actis Apostolorum) ad iudicia virorum eruditorum, has indigestas lucubrationes, quâ debebam humilitate, submisissimè; exoratum, potius emandatum est, vt reliquos articulos quantocius aggrederer. Vt porui & debui, modestè reluctatus sum; scabiositatem subiecti, malitiam temporum, ad inuicem comparauit, vrgentissime proposui; præ requisitis tandem iudiciis aliorum sacerdotum, plurimorum illustrium & nobilium Catholicorum qui de conuenientia subiecti ad circumstantias temporis, personarum, & præsentis status rerum, longissima experientiâ edocti poterant iudicare, pietatis in communem matrem nostram affectu & motiuo deuictus, acquieui, & calamo licet leuiori percurri; in quibus, si omnia rectè perpenderit lector eruditus, magnum futuræ readunationis specimen perspiciet.

Bed. l. retra. in Actis Apost.

Iudicia Catholicorum de subiecto operis.

Sed pergamus.



ARTICVLI CONFESSIONIS ANGLICÆ, PARAPHRASTICE exponuntur, & in quantum cum veritate com- possibiles reddi possunt, perlustrantur.

ARTICVLVS I.

De Fide in Sacrosanctam Trinitatem.



VNVS est viuus & verus Deus, aternus, incorporeus, impartibilis, impassibilis, immensæ potentia, sapientia, ac bonitatis, creator atque conseruator omnium tum visibilium, tum inuisibilium. Et in vnitae huius diuinae naturæ tres sunt personæ, eiusdem essentia, potentia, ac aternitatis, Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

ARTIC. II.

De Verbo, siue filio Dei qui verus homo factus est.

Filius qui est Verbum Patris, ab aeterno à Patre

genitus, verus & aternus Deus, ac Patri consubstantialis in utero B. Virginis, ex illius substantia naturam humanam assumpsit, ita ut duæ naturæ, diuina & humana, integrè atque perfectè in unitate personæ fuerint inseparabiliter coniunctæ, ex quibus est unus Christus verus Deus & verus Homo, qui vere passus est, crucifixus, mortuus & sepultus, ut Patrem nobis reconciliaret, essetque hostia non tantum pro culpa originis, verum etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis.

ARTIC. III.

De descensu Christi ad inferos.

Quemadmodum Christus pro nobis mortuus est & sepultus, ita est etiam credendus ad inferos descendisse.

ARTIC. IV.

De Resurrectione Christi.

Christus vere à mortuis resurrexit, suumque corpus cum carne, ossibus, omnibusque ad integritatem humanae naturæ pertinentibus, recepit, cum quibus in caelum ascendit, ibique residet, quoad extremo die ad iudicandos homines reuersurus sit.

ARTIC. V.

De Spiritu Sancto.

Spiritus sanctus à Patre & Filio procedens eiusdem est cum Patre & Filio essentia, maiestatis, & gloria, verus ac aternus Deus.

ARTIC. VI.

De diuinis Scripturis, quod sufficient
ad salutem.

Scriptura sacra continet omnia quæ ad salutem sunt necessaria, ita ut quicquid in ea nec legitur, nec inde probari potest, non sit à quoquam exigendum, ut tanquam Articulus fidei credatur, aut ad salutis necessitatem requiri putetur.

Sacra Scripturæ nomine eos Canonicos libros veteris & noui Testamenti intelligimus, de quorum auctoritate in Ecclesia nunquam dubitatum est.

PARAPHRASIS.

Quinque Articuli priores solum Symbolum Apostolorum exponunt, nec ministrant materiam examinationis.

Articulus vero sextus quoad priorem paragraphum examinabitur in Articulis 20. 21. & 34.

Quod verò subdit de numero Scripturarum Canonicarum, huius loci est.

De nominibus & numero Librorum sacrae Scripturæ Canonicae veteris Testamenti.

Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, prior Liber Paralipomenon, primus Liber Esdrae, secundus Liber Esdrae, Liber Esther, Josue, Iudicum, Ruth, prior Liber Regum, secundus Liber Regum, prior Liber Samuelis, secundus Liber Samuelis, Liber Iob, Psalmi, Prouerbia, Ecclesiastes vel Concionator,

Cantica

Cantica Salomonis, quatuor Prophetæ maiores, duodecim Prophetæ minores.

Cæteros, autoritate Hieronymi, adducti in Ecclesijs ad mores instruendos non ad doctrinam firmandam legi iubent. Cuius generis sunt,

Tertius Liber Esdræ, quartus Liber Esdræ, Liber Tobie, Liber Iudith, reliquum Libri Esther, Liber Sapientiæ, Liber Iesu filij Sirach, Baruch Prophetæ, Canticum trium puerorum, Historiæ Susannæ, de Bel & Dracone, Oratio Manasses, prior Liber Maccabæorum, secundus Liber Maccabæorum.

Sciendum etiam in Trid. sess. i. vbi accurate proponuntur Libri Canonici, *Tertium & quartum Libri Esdræ, Librum Iesu filij Sirach, Canticum trium Puerorum, Historia Susannæ, de Bel & Dracone, non in Canonem admitti; ideò de illis nulla est controuersia.* Trid. sess. i.

Noui Testamenti omnes Libros (vt vulgo recepti sunt) recipimus & habemus pro Canonicis.

PARAPHRASIS.

Intèr Catholicos, paucissimos inuenio viros eruditos, qui post Florentinum, in dubiũ vocarunt vltos ex Libris ibi pro Canonicis declaratis, nisi Caietanum in fine suorum Commentariorum super Libros historiarum veteris Testamenti, qui Libros in Articulo exceptos, Canonicos rectè appellari fatetur ob autoritatem Conciliorum & aliquorum Patrum, sed in dissimili gradu; scilicet, vt hic in Articulo: *Non ad Fidem formandam, sed solum ad mores instruendos; vt olim loquutus est Ruffinus in expositione Symboli.* Caiet. Ruffin. in exp. Symboli. Frã. Miradula

de fide &
ord. cre-
dendi ex
Hieron.
&c.
Trid.
Florent.

de fide & ordine credendi idem plane asserit ex Hieronymo, & ad eundem fere sensum citat S. Antoninum, post Lyranum in præfatione ad libros Tobiaë.

Hæc eorum opinio, licet singularis valde, & certe hæresi proxima est, præsertim post Trid. vbi illos in Canonem reponi declarat, secundum quod ante fecerat Florentinum cum consensu vtriusque Ecclesiæ.

Charan-
za.

Saltem sic Charanza citat Florentinum, & alii ipso seniores. video tamen ab aliis viris doctis in dubium verti, an Florentinum libros illos hodie controuersos, vt Canonicos declarauerit sed de Trid. constat. Quia tamen articulus non omnino reiicit eos ex Canone, non videtur esse hæresim simpliciter: sic etiam Melchior Ca-

Melchior
Cano in
locis l. 2.
c. 9.

no in locis l. 2. c. 9. vbi tamen fatetur esse hæresi proximam, quia certe veritati Catholica fidei aduersatur; non manifeste quidem, sed sapientum omnium longe probabili ac ferme necessaria sententiæ. Facile enim esset huiusmodi glos-

Vualdens.
l. 2. c. 19.
doctrinal.
fid. antiq.

semate, quascunque quoruncunque Conciliorum definitiones eludere & euertere. scio tamen Vualdensem l. 2. Doctrinalis fidei antiq. c. 19. tenere quod auctoritas declarandi & approbandi sacros libros sit in serie Patrum omnium, & fidelium ab Apostolis succedentium. sic etiam Driedonis l. 1. de Eccles. Scripturis & dogmatibus c. 1. & hinc minus ausim sententiam præactam Caietani, & huius articuli hæreseos insimulare.

ARTICVLVS VII.

De veteri Testamento.

Testamentum vetus nouo contrarium non est, quandoquidem tam in veteri quam in Nouo per Christum, qui vnicus est mediator Dei & hominum, Deus & homo, aeterna vita humano generi est proposita. Quare male sentiunt qui veteres tantum in promissiones temporarias sperasse consingunt. Quamquam lex

à Deo data per Mosen (quoad ceremonias & ritus) Christianos non astringat, neque ciuilia eius præcepta in aliqua republica necessario recipi debeant, nihilominus tamen ab obedientia mandatorum (quæ moralia vocantur) nullus quantumuis Christianus est solutus.

PARAPHRASIS.

Hic Articulus per totum Catholicus est.

ARTIC. VIII.

De tribus Symbolis.

Symbola tria, Nicanum, Athanasij, & quod vulgò Apostolorum vocatur, omnino recipienda sunt & credenda: nam firmissimis Scripturarum testimonijs probari possunt.

PARAPHRASIS.

De hoc idem est iudicium.

ARTIC. IX.

De peccato originali

Peccatum originis non est (vt fabulantur Pelagiani) in imitatione Adami situm, sed est vitium & deprauatio naturæ cuiuslibet hominis ex Adamo naturaliter propagati, qua fit vt ab originali iustitia quam longissime distet, ad malum sua natura propendeat, & caro semper aduersus spiritum concupiscat, unde in

unoquoque nascentium iram. Dei atque damnationem meretur, maneat etiam in renatis hac deprauatio natura, qua fit ut affectus carnis (Græci, Φερόμενα Γενεῶς, quod alij sapientiam, alij sensum, alij affectum, alij studium carnis interpretantur) legi Dei non subijciatur. Et quamquam renatis & credentibus nulla propter Christum est condemnatio, peccati tamen in sese rationem habere concupiscentiam, fatetur Apostolus.

PARAPHRASIS.

Prior pars sanam continet doctrinam, & tam san-
ctis Patribus, quam Theologis valde conformem.

Posterior vero, quæ incipit: *Manet etiam in renatis,*
examinatur propè finem Problematis 12.

ARTIC. X.

De Libero Arbitrio.

Ea est hominis post lapsum *Ada* conditio, ut sese naturalibus suis viribus & bonis Operibus ad fidem & invocationem Dei conuertere ac preparare non possit. Quare absque gratia Dei qua per Christum est nos praueniente ut velimus, & cooperante dum volumus ad pietatis opera facienda, qua Deo grata sunt & accepta, nihil valemus.

PARAPHRASIS.

Catholicus est, & declaratur Problematibus 10. 11.
12. Immo à Prob. 5. ad 12.

ARTIC. XI.

De hominis Iustificatione.

Tantum propter meritum Domini ac Salvatoris nostri Iesu Christi per Fidem, non propter opera & merita nostra, iusti coram Deo reputamur. Quare sola Fide nos iustificari doctrina est saluberrima ac consolationis plenissima, ut in homilia de Iustificatione hominis fusiùs explicatur.

PARAPHRASIS.

Hic Articulus examinatur fusè Probl. 22.

ARTIC. XII.

De bonis Operibus.

Bona opera qua sunt fructus Fidei & iustificatos sequuntur, quamquam peccata nostra expiare & diuini iudicij seueritatem ferre non possunt, Deo tamen grata sunt & accepta in Christo, atque ex vera & viva Fide, necessariò profluunt, ut planè ex illis aqùè Fides viva cognosci possit, atque arbor ex fructu iudicari.

ARTIC. XIII.

De operibus ante Iustificationem.

Opera quæ sunt ante gratiam Christi, & Spiritus eius afflatum, cum ex fide Iesu Christi non prodeant, minime Deo grata sunt, neque gratiam (ut multi vocant) de congruo merentur. Immo cum non sint facta ut Deus illa fieri voluit & præcepit, peccati rationem habere non dubitamus.

PARAPHRASIS.

Examinatur hic Artic. Problematibus 18. 20. 21.

ARTIC. XIV.

De Operibus Supererogationis.

Opera quæ supererogationis appellant, non possunt sine arrogantia & impietate prædicari. Nam illis declarant homines non tantum se Deo reddere quæ tenentur, sed plus in eius gratiam facere quàm deberent, cum aperte Christus dicat, Cum feceritis omnia quæcumque præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus.

PARAPHRASIS.

Examinatur hic artic. Problemate 36.

ARTIC. XV.

De Christo, qui solus est sine peccato.

Christus in nostræ naturæ veritate per omnia similis factus est nobis, excepto peccato, à quo prorsus erat immunis, tum in carne, tum in spiritu; venit ut agnus absque macula, qui mundi peccata per immolationem sui semel factam tolleret, & peccatum (ut inquit Ioannes) in eo non erat: sed nos reliqui etiam baptizati, & in Christo regenerati, in multis tamen offendimus omnes. Et si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.

PARAPHRASIS.

Hic articulus vsque ad hæc verba: *Sed nos reliqui etiam baptizati, &c.* sanctissimus est: ibi vero indiget glossa, non mea, sed magni Augustini in l. de natura & gra. contra Pelagianos.

*Aug. l. de
nat. &
gra. contra
Pelag.*

Cum de peccatis agitur, de S. Virgine Maria propter honorem Domini, nullam prorsus habere volo questionem. inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos & Sanctas, qui in Scripturis Sanctis non modo non peccasse, verum etiam iuste vixisse referuntur, cum hic viuerent congregare possemus, & interrogare; utrum essent sine peccato: quid fuisse responsuros putamus? Quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, sic interrogari potuissent, vna voce clamassent illud, quod ait Ioannes Apostolus: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

Ad hunc sensum explicandum censeo articulum & verba ipsa omnino fauere: non enim dicit, *Omnes reliqui baptizati*, vbi ob vniuersalitatē illius termini, includi videretur etiam B. Virgo, sed castius dicit: *nos reliqui*, vbi sine dubio non interponit B. Virginem inter communes fœces peccatorum, *propter honorem Domini*, præsertim dum eam Angelus ex Dei mandato, *gratia plenam & in mulieribus benedictam* pronunciauit. Si ergo illam includi voluissent articuli conditores, aliquas saltem exceptiones honorarias addidissent, quod dum non fecerint, nec speciatim nominarint, putem illos cum Augustino, *Cum de peccatis agitur de S. Virgine Maria*, nullam prorsus habere velle quæstionem; immo per illum terminum restrictiuum (*nos reliqui*) ipsam plane exclusisse charitatiue sentio. Et eo magis, quia subditur. *Nos reliqui BAPTIZATI*, de B. Virgine enim sub dubio semper fuit, an fuerit baptizata; forte enim ipsa fuit excepta ab illa lege; nec mirum, quia vt pie Doctor 4. d. 4. q. 6. de ea fuisse ratio dispensandi: quia forte habuit in conceptione filii sui illam plenitudinem gratiæ, ad quam Deus disposuit eam peruenire. Illi igitur termini indefiniti in articulo, non possunt rationabiliter extendi ad casum tam specialem & dubium.

A R T. X V I.

De peccato post Baptismum.

Non omne peccatum mortale post baptismum voluntarie perpetratum, est peccatum in Spiritum sanctum & irremissibile: Proinde lapsis à Baptismo in peccata, locus pœnitentiæ non est negandus: post acceptum Spiritum sanctum possumus à gratia data recedere, atque peccare: denuoque per gratiam Dei resurgere atque resipiscere: ideoque illi damnandi sunt qui se quamdiu huiusmodi

viuum,

viuunt, amplius non posse peccare affirmant, aut vere resipiscentibus, venia locum denegant.

PARAPHRASIS

Totus Articulus optimam continet doctrinam: illustratur tamen Probl. 27. & præcipuè Probl. 30.

ARTIC. XVII.

De Prædestinatione & Electione.

Prædestinatio ad vitam, est æternum Dei propositum, quo ante iacta mundi fundamenta suo consilio, nobis quidem occulto, constanter decreuit, eos quos in Christo elegit, ex hominum genere à maledicto & exitio liberare, atque, ut vasa in honorem efficta, per Christum ad æternam salutem adducere; unde qui tam præclaro Dei beneficio sunt donati, illi spiritu eius, opportuno tempore operante, secundum propositum eius vocantur, vocationi per gratiam parent, iustificantur gratis, adoptantur in filios Dei, unigeniti eius Iesu Christi imagini efficiuntur conformes, in bonis operibus sanctè ambulant, & demum ex Dei misericordia pertingunt ad sempiternam felicitatem.

Quemadmodum Prædestinationis & electionis nostræ in Christo pia consideratio, dulcis, suavis & ineffabilis consolationis plena est vere pijs, & ijs qui sentiunt in se vim spiritus Christi, facta carnis & membra quæ adhuc sunt super terram mortificantem, animumq; ad cælestia & superna rapientem, tum quia fidem nostram de æterna salute consequenda per Christum plu-

rimum stabilis atque confirmat, tum quia amorem nostrum in Deum vehementer accendit. Ita hominibus curiosis, carnalibus, & spiritu Christi destitutis ob oculos perpetuò versari Prædestinationis Dei sententiam, perniciosissimum est præcipitium, unde illos diabolus protrudit vel in desperationem, vel in aequè perniciosam impurissimæ vitæ securitatem. Deinde promissiones diuinas sic amplecti oportet, ut nobis in sacris Litteris generaliter propositæ sunt, & Dei voluntas in nostris actionibus ea sequenda est, quam in verbo Dei habemus diserte reuelatam.

PARAPHRASIS.

Catholicus est, & fusè declaratur Problemate I.

ARTIC. XVIII.

De speranda æterna salute tantum in nomine Christi.

Sunt & illi anathematizandi qui dicere audent unumquemque in lege aut secta, quam profitetur, esse seruandum, modo iuxta illam & lumen naturæ accuratè vixerit, cum sacra Littera tantum Iesu Christi nomen prædicent in quo saluos fieri homines, oporteat.

PARAPHRASIS.

Catholicus est.

ARTIC. XIX.

De Ecclesia.

Ecclesia Christi visibilis, est cætus fidelium in quo verbum Dei purum prædicatur, & sacramenta quoad ea quæ necessariò exiguntur iuxta Christi institutum rectè administrantur; Sicut errauit Ecclesia Hierosolymitana, Alexandrina, & Antiochena: ita & errauit Ecclesia Romana, non solum quoad agenda, & ceremoniarum ritus, verùm in ijs etiam quæ credenda sunt.

PARAPHRASIS.

Prior Paragraphus sanus est. Posterior glossandus. vbi etiam dicit Ecclesiam Romanam errasse in rebus fidei: aduertendum est ibi condistingui Ecclesiam Romanam à cæteris particularibus Ecclesijs, quia pariformiter de Hierosolymitana, Alexãdrina, in quo sensu si dixeris errasse de facto, non est contra fidem, licet contra veritatem: Ecclesiam autem Romanam sic aliquando condistingui, antiquitas testatur. Hieronymus enim epist. 85. Episcopum Romæ pari gradu condistinguit Episcopo Eugubii, id est, prout præcisè Episcopus vrbis; secus fietiam vt Episcopus orbis. Innocent. IV. c. Apostolicæ de re iudicata, omnino distinguit Ecclesiam Romanam ab Ecclesia vniuersali etiam repræsentatiua, sic Trid. sess. 14. frequens est etiam apud Doctores præsertim apud Bellar. de summo Pontif. l. 4 c. 4. & Mirandulam de fide & ordine credendi, Theoremate 6: §. Quapropter etiam aduertendum. Ecclesia vero Romana, frequentius aliter sumitur, sicut in Concilio Constant. sess. 8. per Romanam Ecclesiam, Ecclesiam vniuersalem in-

telligi vult : & eam errasse non asserit articulus, quod solum est de fide.

A R T I C. XX.

De Ecclesiæ autoritate.

Ecclesia potestatem habet decernendi ritus & ceremonias, & dirimendi controuersias in fide. Ecclesiæ non licet quicquam instituere quod verbo Dei aduersetur, neque unum Scripturæ locum sic exponere potest, ut alteri contradicat. Quare licet Ecclesia sit diuinorum testis, & conseruatricis, attamen ut aduersus eos nihil decernere, ita præter illos nihil credendum de necessitate salutis debet obtrudere.

PARAPHRASIS.

Priora verba clara sunt, & omni antiquitati consona, vnde Aug. 1. de vtilitate credendi, contra Manichæos, culmen autoritatis quoad prædicta in Ecclesia confiteri declarat.

Verba subsequents non minus clara: scriptura enim secundum omnes veteres est regula certa veritatis. vnde Aug. 1. de baptismo c. 3. *Quis nesciat sanctam scripturam canonicam, tam veteris quam noui Testamenti, omnibus posteriorum Episcoporum literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari & disceptari non possit, virum verum vel vtrum rectum sit, quicquid in ea Scriptura constiterit, &c.*

Quod autem subditur in articulo, Ecclesiam esse testem & conseruatricem sacre Scripturæ, valde conforme est D. Paulo, qui eam vocat *firmamentum veritatis*, & Ioanni in Apocalypsi qui eam vocat, *Ciuitatem habentem fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum*: scilicet qui eam prædicationibus & sa-

Paul.

Apoc. 21.
14.

cris scriptis suis fundauerunt. Valde etiam confirmatur articulus ex sententia Augustini contra Epistolam fundamenti: *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholica commoueret auctoritas.* Vnde ipsa semper declarauit veras à pseudo-Scripturis, vt patet Carth. 6. can. 46. & in posterioribus, de quo supra; quam veritatem optime declarat Molina 1. p. disp. 1. art. 2.

Aug. 6. c.

Carth. 6. c. 46.

Molina 1. p. disp. 1. art. 2.

Postrema verba articuli glossam interlinearem deposcunt: vbi enim dicitur, *Ita præter illos nihil credendum de necessitate salutis debet obtrudere.* Istud præter intelligi debet, quod nec actu nec *dwámu* in eis continetur. hoc est, quod nec in terminis nec vi consequentiæ inde deducitur, seu quod *inde probari non potest*, vt astringitur articulo sexto. Quod sanum ferre sensum æstimo. nempe illum Augustini contra Cresc. 1. c. 33. *Quamuis huius rei certe de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen etiam in hac re à nobis teneretur veritas, cum hoc facimus quod vniuersa placet Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas. vt quia S. scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, eandem Ecclesiam consulat, quam sine vlla ambiguitate S. scriptura demonstrat.*

Aug. cont. Cresc. 1. c. 33.

Adde etiam, scripturas diuinas non de iis solum instruere quæ scripta sunt, sed de iis etiam quæ non sunt scripta. vt patet 1. ad Cor. 11. 2. Ephes. 2. Huiusmodi ergo Ecclesiæ potest proponere credenda, & ex scripturis probari possunt; nec aduersatur articulus.

1. Cor. 11. 2. Eph. 2.

Quando etiam dixi, in terminis vel vi consequentiæ, volo dicere, non solum vi consequentiæ lumine fidei, sed etiam euidenti lumine naturæ. verbi gratiâ, in hac consequentia, Christus homo est, ergo habet cor, sanguinem, cerebrum, &c. Consequens enim illud est de fide, vt Doctores Theologi communiter asserunt, vel saltem est veritas Theologica secundum omnes. de qua lege Conink disp. 9. dub. 9. vbi fusè hoc examinat: vide etiam quæ diximus, Prob. 27.

Conink disp. 9. dub. 9.

De authoritate Conciliorum Generalium:

Generalia Concilia sine iussu & voluntate Principum congregari non possunt, & ubi conuenerunt, quia ex hominibus constant, qui non omnes spiritu & verbo Dei reguntur, & errare possunt, & interdum errant, etiam in his quæ ad normam pietatis pertinent: ideoque quæ ab illis constituuntur ut ad salutem necessaria, neque robor habent neque authoritatem, nisi ostendi possint è sacris Litteris esse desumpta.

PARAPHRASIS.

Priora verba videntur confirmari authoritate Hieronymi Apol. 2. contra Rufinum, ubi ex hoc capite quoddam Concilium reiicit, dicens: *Quis Imperator hanc Synodum iussit congregari?* Quasi velit, necessariam hac in parte iussionem Imperatoris. & sic obseruatum patet in omnibus fere Conciliis veteribus. ut de Nicæno ex iussione Constantini; Sardicensi, Constantii & Constantis; Constantinop. 1. Senioris Theodosii; ut referunt Socrates & Nicephorus. Per se quidem loquendo, id est, spectando solum ius diuinum, Concilia possunt cogi sine interuentu potestatis Principum, ut constat de Hierosolymitano: nec hoc potuit Hieronymus negare; per accidens tamen ob circumstantias temporum, & locorum, debet omnino consensus, immo & iussio Principum subinde præmitti; De consensu patet, ob bonum & pacem publicam: De iussione etiam æquè constat, quando verbi gratiâ Episcopi, vel quorum interest, adesse Conciliis, nolint parere citationi Ecclesiasticæ (vel ob aliàs causas id genus multas) tunc enim Principes authoritate sibi à Deo commissâ iustè possunt aduersus eos edicere: de hoc lege Durand. de mod. Concil. gener. celebr. rubr. 71. Vnde Martianus ad Leonem, *Si, inquit, onerosum est, ut tu ad has partes venias, hoc ipsum nobis proprijs litteris tua sanctitas manifestet, quatenus in om-*

*Hier. A-
pol. 2. cõtra
Ruf.*

Socrat.

Niceph.

nem orientem & in omnem Thraciam & Illyrium sacræ nostræ Li-
 teræ dirigantur, ut ad aliquem definitum locum qui nobis placue-
 rit omnes Episcopi conveniant. Sic etiam Gregorius, Theo- Greg. ep.
 doricum Francorum Regem epist. 54. l. 9. Registri, hor- 54. l. 9. Re-
 tatur, ut contra Simoniacos qui per Regnum suum im- gist.
 punè grassabantur, Synodum in beat congregari. sic etiã
 V. Synodus quæ est secunda Constant. actione 2. habet. Synod. 5.
*Hic proximis diebus precedente pio iussu Christo amantissimi ac
 Deo custoditi Imperatoris, nobis convenit presens nunc sancta
 Synodus; Et sic factitatum testantur Cõcilia allata, nec
 aliud vi huius Articuli infertur.*

Verba sequentia æquè facilis sunt concoctionis, ma-
 gnam enim latitudinem habet illa clausula (*etiam in rebus
 ad Deum spectantibus*) Concilia enim generalia errare pos-
 se in rebus, quæ fidem aut mores ad salutem necessarios
 non concernunt. communis est Doctorum, ut patet in
 decreto Innoc. & Panormitanus ibi, sic etiam D. Tho. Panormit.
 in Quodlibet. & optime declarat Cano in locis l. 5. c. 5. D. Thom.
 qu. 4. Bellarm. etiam de Rom. Pontif. lib. 2. c. 16. §. vbi quodl. Ca-
 obseruandum est. maneat ergo clausula illa, (*etiam in re-* no. locis l. 5
bus ad Deum spectantibus) modo non sint necessaria res- c. 5. q. 4.
 ctu fidei & bonorum morum; quod nec ibi asseritur. Bell. de Ro-

Ultima verba sententiã veterum, & omnium fere mo-
 dernorũ declarant: non enim possunt de non hæretica fa-
 cere propositionẽ hæreticã, ut recte Gerson in quæst. An
 liceat appellare in causis fidei; nec cudere articul. Fidei,
 ut rectè Suarez de Trip. Virt. disp. 2. §. 6. n. 10. Sed solum
 ex abditioribus Scripturæ locis, & Apost. dictis, veritatẽ
 eruere. i. *ut intelligatur illustrius, quod antea credebatur obscu-*
riu; ut loquitur Lerinensis c. 17. Cano etiã in locis l. 12.
 fol. 353. ex D. Th. dicit, fidem nostrã non inniti reuelatio-
 nibus aliis præter eas, quas Apostoli & Prophetæ, autho-
 res videlicet canonicorum Librorũ, ediderunt. Et con-
 firmat ex D. Paulo. vnde Doct. Subt. 4. d. 11. qu. 3. agens
 de definitione Concilii Lateranensis, dicit non fuisse in
 potestate Ecclesiæ facere istud verum aut non verum
 scilicet transubstantiationem) sed Dei instituentis.

Panormit.
D. Thom.
quodl. Ca-
no. locis l. 5
c. 5. q. 4.
Bell. de Ro-
man. Põt.
l. 2. c. 16.
§ vbi, & c.
Gers. & c.
Suarez de
Trip. virt.
disp. 2. §. 6
n. 10.
Ler. c. 17.
Scot. 4. d.
11. q. 3.

Ecclesiæ quidem est (*directa in hoc ut creditur à spiritu veritatis*) intellectum à Deo traditum in Scripturis explicare, ut recte ipse. Et hoc facit Ecclesia, dum aliquam veritatem definire dicitur: non enim nouis reuelationibus innititur, sed antiquis, in Scripturis & dictis Apostolorum latitantibus, ut constans est opinio Doctorum.

Scol. *ibid.*
C. c.

Vnde Doctor *ibidem* dicit, quod in symbolo illo sub Innocent. III. in Concil. Lat. c. *Firmiter credimus*, magis explicitè ponitur veritas aliquorum credendorum, quàm habebatur symbolo Apostolorum, vel Athanasii, vel Nicæni. non ergo noua fides, sed vetusta

Scol. 1. q. 1.
s. 2. diff. 1.

magis explicatur. sic etiam Molina 1. quæst. 1. art. 2. disp. 1. dicit: Quod concursus, quo Spiritus sanctus præsto adest Ecclesiæ, non est ad constituendum aliquid esse de fide, quod antea non erat de fide; sed solum assistit ad declarandum ea quæ mediate, vel immediate spectant ad fidem. & sicut in Ecclesia non est potestas facere aliquid esse de fide quod non erat ante, sed solum declarare fidelibus, quid debeat certo teneri de fide; sic nec etiam est potestas facere sacram Scripturam, vel addere vel diminuere Canonicos libros. Sic etiam

Turrec
veg. super
Trid. l. 1.
c. 6. valer.
2. 2. d. 1. 7.
i. C. c.

Turrecremata, & Vega supra Trident. l. 1. c. 6. Valentia 2. 2. d. 1. quæst. 1. & alii, & D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 7.

D. Th. 2. 2.
q. 1. a. 7.
Coninck.

expressè docet: *Articulos fidei post tempora Apostolorum non creuisse*; quod non alium potest habere sensum, quam

do act. su-
pernaturo.
libus diff.
12. dub. 6.
Eph. 2.

illum quem posuimus. creuissent enim, si Ecclesia sua definitione efficeret, ut aliqui Articuli iam essent de fide, qui antea non erant, ut recte Coninck de actibus

Cyp. ep.
74.

supernaturalibus disp. 12. dub. 6. Et ex hoc conuincitur, Nam secundum Apostolum, Ephes. 2. *superædificamur supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum*; non igitur aliud fundamentum, nec alia fides, quam ipsorum.

Huc conforme est illud Cyp. ep. 74. *Si in aliquo nutaueris & vacillaueris veritas, ad originem Dominicam, Euangelicam, & Apostolicam traditionem reuertamur, & inde surgat actus nostri ratio, vnde & ordo & origo surrexit.*

ARTIC. XXII.

De Purgatorio.

Doctrina Romanensium de Purgatorio, de Indulgentijs, de Veneratione & Adoratione tum Imaginum, tum Reliquiarum; necnon de Inuocatione Sanctorum, res est futilis, inaniter conficta, & nullis Scripturarum testimonijs innititur, immo verbo Dei contradicit.

PARAPHRASIS.

Examinatus est Probl. 37.

ARTIC. XXIII.

De Vocatione Ministrorum.

Non licet cuiquam sumere sibi munus publicè prædicandi, aut administrandi Sacramenta in Ecclesia, nisi prius fuerit ad hæc obeunda legitime vocatus & missus. Atque illos legitime vocatos & missos existimare debemus, qui per homines, quibus potestas vocandi Ministros atque mittendi in vineam Domini, publicè concessa est in Ecclesia, coaptati fuerint, & adsciti in hoc opus.

PARAPHRASIS.

Est conformis sacræ Scripturæ, doctrinæ sanctorum Patrum, & praxi vniuersalis Ecclesiæ.

ARTIC. XXIV.

De Precibus Publicis dicendis in lingua
vulgari.

*Lingua populo non intellecta publicas in Ecclesia
Preces peragere, aut Sacramenta administrare, verbo
Dei & primitivæ Ecclesiæ consuetudini plane repu-
gnat.*

PARAPHRASIS.

Scio plerosque ex Nostratibus existimare hic decer-
ni, in Scripturis esse præceptum publica Ecclesiæ offi-
cia in linguis vernaculis celebrari. Quo nihil minus in-
tenditur. D. Paulus enim quem huic articulo hoc astru-
endi fundamentum iecisse credunt, plane aliud vult.
Scribit enim ibi ad Corinthios, apud quos tunc tempo-
ris & Hebræos constantissimum fuit in lingua vulgari
communia celebrare: non igitur crediderim Paulum
Corinthiis imposuisse, aut illud præcipere voluisse,
quod iam publicè in usu erat, sed vel de priuatis eorum
conuentibus, vel saltem de priuatis colloquiis post com-
munia officia peracta habitis, ibi agit, & eos reprehendit,
qui dono linguarum præditi etiam in linguis extra-
neis tunc loquebantur: sicut si aliquis apud nos in lingua
Teutonica, quod ridiculum videretur.

Hunc vero esse sensum D. Pauli non potuit latere cõ-
ditores Articulorum, & consequenter nec contra tam
manifestam veritatem aliquid potuerunt ordinare.

Decernit igitur hic Articulus esse repugnans Scriptu-
ris id est, non doctrinæ Scripturæ, quasi aliquid in op-
positum ordinaretur, quod est falsum, vt dictum est; sed
scriptioni seu traditioni Scripturæ, quæ fuit apud Co-
rinthios in lingua communi: orationes etiam & admini-
strationes Sacramentorum in Scripturis traditæ, vulgo
publicæ fiebant in lingua cõmuni, quia scripturæ ipsis in
vulgari tradebantur, nã hebr. Hebræis, Græcè Græcis.
& hoc solum dicit hic Articulus; testatur vti que tradi-

tionem Scripturæ & omnium ibi contentorum, etiam Sacramentorum, celebratam fuisse in linguis communibus, quod sensu exposito verum est: non tamen aliquid hic per modum legis instituitur, vel omnino mandatur, vt in Articulo patet.

Addo, nullam legem dari posse de accidentibus. Per accidens vero est quod à singulis in hac occidentali mundi plaga non intelligatur lingua Latina, quæ per se loquendo est lingua cõmunis Ecclesiæ Latinæ; & in hoc ex parte distinguitur à Græcis. vnde Græci apud omnes iurisdictioni Patriarchæ Constantinopol. subditos, licet Græci non sint, officia idioma Græco celebrant: supponitur enim, tam apud Græcos quàm Latinos, linguas illas respectiuè communiter addisci, sicut de Latina Beda suo tempore diligenter factitatum testatur. Et hinc Trid. præcipitur Presbyteris vt Parochianos in cõmunibus Ecclesiæ officiis instruerent, vt patet sess. 22. c. 8. Vnde si dixerimus Paulum vetuisse Preces publicas celebrari lingua non communi, intelligi deberet, nisi adesset qui interpretaretur; vt recte articulus V. Confessionis Anglicæ sub Eduardo VI. Omnibus ergo modis Ecclesia satisfacit huic præcepto (si præceptum est, quia interpretem apponunt. in Trident.

*Beda.**Trid. sess. 22. c. 8.**Art. Cõf. Angl.*

Addo vltterius etiam vi huius Articuli probabiliter inferri posse, debere Ecclesiæ officia & Christi Sacramenta in lingua Latina apud nos hodie celebrari; quia per se loquendo (vt dixi) est lingua communis, & communiter intellecta, & publice in singulis locis edoãa: solum autem asseritur in Articulo, quod preces publicæ fiant in lingua à populo intellecta, quod sine dubio intelligi debet de per se, non per accidens loquendo.

Hoc dico, casu quo, intelligi contendant Articulum de præsentis vsu Ecclesiæ: & ob hanc rationem in Africa vt testatur Cypr. de orat. Dom. & Aug. de bono Perseu. c. 13. Missas & reliqua faciebant Latine, licet lingua vulgaris erat Punica, & Latina ab inferiori plebe non intellecta. de Hispania patet apud Isidorum de diuin. Nomin.

*Cypr. de orat. Dom.**Aug. de bono Pers.**c. 13. Isid. de diuin. Nomin.*

Conc. To- & in Concil. Tolet. 4. cap. 2. 12. 13. 14. 15. & de Anglia
let. 4. c. 2. nota est historia Bedæ lib. 1. c. 1. Fœminæ quidem ra-
 12. 13. 14. rius intelligebant Latinam, nec de illis intelligi potest
 15. Paulus, sed de idiota, id est, de illo cui incumbit respon-
Bed. l. 1. c. 1 dere, quod non est fœminarum, quæ nec loqui debent
 in Ecclesia, vt ibidem Paulus, & in iure canonico cau-
 tum est.

Dices hunc articulum condemnare vt scripturæ seu
 verbo Dei repugnantem, modum Ecclesiæ Latinæ cele-
Caiet. in 1. lebrantis, sicut etiam Caiet. in 1. ad Cor. 14.
ad Cor.

Respondeo me sensum articuli satis exposuisse; quia
 tamen communiter sic à Nostratibus intelligitur; refe-
Cano. 1. 5. ram quid de hoc habeat Cano. 1. 5. c. 5. q. 5. *Non aude-*
c. 5. q. 4. *rem asserere esse hæreticum, si aliquis dixerit aliquam Ecclesiæ*
consuetudinem, vel legem esse malam, vel iniustam, modo non
sint de rebus ad salutem necessariis, quia vt Deus non deficit in
necessariis, sic non abundat in superfluis. sic ille. Consequen-
 ter ad hanc doctrinam, si Nostrates, simpliciter dicerent
 hanc Ecclesiæ legem seu consuetudinem esse malam,
 cum non videatur saluti necessaria secundum doctrinam
 à Cano alibi traditam, ipse non eos hærescos incusaret.
Ecclesia enim mores quosdam à Christo & Apostolis traditos re-
tinet, in quibus qui Ecclesiam errare diceret, hic erroris eius au-
thores Christum & Apostolos faceret: alij vero mores sunt post
Apostolos inducti, in quibus quamuis Ecclesia erraret, non prop-
terea fides periclitaretur. Hæc ille. Cuius sententiam, ego
 non sum tantus, vt condemnare auisim. Aduerte tamen,
Trid. 6. ff. Dicere quod Missa in lingua vulgari tantum celebrari
 22. c. 9. debeat, eo quod sit contra Christi institutionem in Trid.
 sess. 22. c. 9. anathemati subiicitur. Hoc autem non di-
 cit articulus præactus: non enim dicunt *tantum* in lin-
 gua vulgari, sed pro ratione audientium: Et hinc in ali-
 quibus Collegiis, nempe vbi omnes callent Latinam,
 officium diuinum hodie fit Latine; nec Missæ, sed pre-
 cum publicatum, (quæ aliud sunt à Missa) mentionem
 faciunt. Quod non est contra Trid. directe, quia Trid.
 solum loquitur de Missa, & quod tantum fiat in vulgari,

eo quod sit contra Christi institutionē: neutrum tamen horum dicit articulus, vt ibi patet, sed dum dicit esse repugnans verbo Dei (licet vt ostendi superius, non omnino de hoc agit) intelligi deberent institutioni D. Pauli, non Christi, cuius scripta sub nomine verbi Dei comprehenduntur, omnia tamen ab Apostolis demandata, non sunt mandata Christi, vt ab omnibus concessum est; & consequenter licet dixissent esse contra institutionem Apostoli, non esset expresse contra fidem. De Caietano quidem, audacter scripsit, sed ante Trid.

ARTIC. XXV.

De Sacramentis.

Sacramenta à Christo instituta, non tantum sunt nota professionis Christianorum, sed certa quadam potius testimonia, & efficacia signa gratiæ atque bonæ in nos voluntatis Dei, per quæ inuisibiliter ipse in nobis operatur, nostramque fidem in se non solum excitat, verum etiam confirmat.

Duo à Christo Domino nostro in Euangelio instituta sunt Sacramenta, scilicet Baptismus, & Cæna Domini.

Quæque illa vulgò nominata Sacramenta, scilicet Confirmatio, Pœnitentia, Ordo, Matrimonium, & Extrema Vnctio, pro Sacramentis Euangelicis habenda non sunt, vt quæ partim à praua Apostolorum imitatione proflexerunt, partim vitæ status sunt in Scripturis quidem probati: sed Sacramentorum eandem cum Baptismo, & Cæna Domini rationem non habentes, vt quæ signum aliquod visibile seu eceremoniam à Deo institutam non habeant.

Sacramenta non in hoc instituta sunt à Christo ut spectarentur, aut circumferrentur, sed ut rite illis uteremur, & in ijs dumtaxat, qui digne percipiunt, salutarem habent effectum: qui vero indignè percipiunt, damnationem (ut Paulus inquit) sibi ipsis acquirunt.

PARAPHRASIS

Paragraphus primus & secundus Catholicus est: tertius exponendus.

Vbi sciendum, quod receptissima veritas est, tam in Occidentali quàm Orientali Ecclesia, septem esse Sacramenta, in quorum administratione, si ex officio fiat (potest esse difficultas aliqua de ministro matrimonii) necessario requiritur homo sacer, ut minister Ecclesiæ; ut conueniunt omnes Doctores, & in Florentino cum liberrimo consensu totius Ecclesiæ definitum fuit, illa esse proprie dicta Sacramenta; & licet Græci in aliquibus aliis punctis, præsertim de absoluto suprematu Papæ refulierint: in hac tamen veritate vsque in hodiernum diem constant; ut testantur eorum Scriptores. Ne igitur hæc Nostratum censura videatur toti Ecclesiæ repugnare, glossanda est, hic non negari omnem rationem Sacramenti cæteris quinque, quæ ibi specificat, sed solum differentiam ponere, tam in necessitate, quam principalitate Baptismi, & Eucharistiæ, respectu cæterorum; in quo conuenit tota Antiquitas, cum vniuersa Schola Theologorum, ut omnibus notum est. hunc vero esse sensum genuinum huius articuli, patet, quia subditur (*sed non eandem habent rationem*) non negat ergo simpliciter esse Sacramenta, quod antea dixerat, sed in dissimili gradu, quod vltro concedimus. Fuit quidem olim inter Doctores aliqua controuersia, An omnia Sacramenta fuerint à Christo instituta immediate; de qua re Sotus 4. d. 1. q. 5. a. 2. & Durand. d. 2. q. 1. putant non esse hæresim dicere Vnctionem & Confirmationem non esse instituta à Christo,

Florent.

*Pot. 4. d. 1.
q. 5. d. 2.
Durand.
d. 2. q. 1.
Hug. 2. de
Sac. p. 15.
c. 2.*

Fauet Hugo 2. de Sacr. p. 15. c. 2. & Bonau. d. 7. a. 1. q. 1. *Bonau. d. 7*
 sed optime illorum doctrinam oppugnat Doctor 4. d. 2. *a. 1. q. 1.*
 q. 1. Omnes tamen conueniunt esse de fide septem esse *Scot. 4. d.*
 Sacramenta. *2. q. 1.*

Alia verba intermixta in articulo non sunt directe res-
 ponsiua ad quæsitum, quod erat de numero Sacramen-
 torum. vnde secundum regulas Doctorum post Canum *Canon. l. 5.*
 l. 5. q. 4. etiam in definitionibus Ecclesiæ, non ligantur *q. 4.*
 Catholici ad singula verba definitioni annexa, nec se-
 quaces huius censuræ, vt etiam iurent in illa verba per
 accidens allata.

Paragraphus vltimus ponderabitur in articulo 28.

A R T I C. XXVI.

De vi institutionum diuinarum, quod eam non
 tollat malitia hominum.

*Quamuis in Ecclesia visibili, bonis mali semper sint
 admixti, atque interdum ministerio verbi & Sacramen-
 torum administrationi præsent: tamen cum non suo, sed
 Christi nomine agant, eiusque mandato & autoritate
 ministrent, illorum ministerio vti licet, cum in verbo Dei
 audiendo, tum in Sacramentis percipiendis, neque per il-
 lorum malitiam effectus institutorum Christi tollitur, aut
 gratia donorum Dei minuitur, quoad eos qui fide & rite
 sibi oblata percipiunt, quæ propter institutionem Christi,
 & promissionem efficacia sunt, licet per malos admini-
 strentur.*

*Ad Ecclesiæ tamen disciplinam pertinet, vt in malos
 Ministros inquiratur, accusenturque ab his qui eorum
 flagitia nouerint, atque tandem iusto conuicti iudicio, de-
 ponantur.*

PARAPHRASIS.

Est ipsa doctrina Ecclesie, & omnium Patrum.

ARTIC. XXVII.

De Baptismo.

Baptismus non est tantum professionis signum ac discriminis nota, qua Christiani à non Christianis discernantur: sed etiam est signum regenerationis, per quod tanquam per instrumentum rectè Baptismum suscipientes, Ecclesie inseruntur, promissiones de remissione peccatorum atque adoptione nostra in filios Dei per Spiritum sanctum visibilibus obsequantur, Fides confirmatur, & vi diuinæ inuocationis gratia augetur.

Baptismus paruulorum omnino in Ecclesia retinendus est, ut qui cum Christi institutione optime congruat.

PARAPHRASIS.

Idem est iudicium.

ART. XXVIII.

De Cæna Domini.

Cæna Domini non est tantum signum mutue beneuolentiæ Christianorum inter sese, verum potius est Sacramentum nostræ per mortem Christi Redemptionis.

Atque

Atque adeo rite digne & cum fide sumentibus, panis quem frangimus est communicatio corporis Christi: similiter poculum benedictionis est communicatio sanguinis Christi.

Panis & vini Transubstantiatio in Eucharistia ex sacris literis probari non potest, sed apertis Scripturæ verbis aduersatur, Sacramenti naturam euertit, & multarum superstitionum dat occasionem.

Corpus Christi datur, accipitur, & manducatur in Cæna, tantum cœlesti & spiritali ratione. Medium autem quo Corpus Christi accipitur & manducatur in Cæna, fides est.

Sacramentum Eucharistiæ ex institutione Christi non seruabatur, circumferebatur, eleuabatur, nec adorabatur.

PARAPHRASIS.

Primus Paragraphus cum omnibus suis coniunctiuis affirmatiue solum, sicut ibi, prolatis, Catholicus est. Secundus paragraphus examinandus.

Negare Transubstantiationem diuinam, in hoc tremendo mysterio est contra veritatem fidei, prout definitum est in Lateranensi & Trid. Scio aliquos vniuersalitatem prioris licet magni Concilii in dubium vocare: scio alios etiam ex nostris infallibilitatem Conciliorum Generalium diminuere, quos frequenter citant Nostrates. Constans autem opinio Doctorum est vtrique opposita; ut ut est: saltem omnes subscribunt Theoremati octauo Mirandulæ, de fide & ordine credendi. Determinationibus que à Concilio, vel à summo Pontifice fiunt super eis dubitationibus, que substantiam fidei concernunt, quo addum vniuersalis Ecclesia non reclamaret, 8.

Lat. & Trid.

Mirand. de fide & ordine credendi Theorem. 8.

(id est, prout ipse alibi, tacite vel interpretatiue consentiret,) *neccessario credendum est.* Patet autem apud omnes Theologos, & illorum temporum scriptores, nullibi huic decreto de Transubstantiatione fuisse reclamatum, immo saltem tacite fuisse approbatum; nec ab ullo dubitatum, hanc resolutionem ad substantiam fidei pertinere. Et vt ipse Scotus qui liberius reliquis de hoc puncto egit 4. dist. II. fatetur post solemnem declarationem Ecclesiæ, tenendum esse de substantia fidei. hic igitur vel nusquam definitio legitime proclamata est; nos vero in Anglia particulariter actis huius Concilii consensimus. vt patet in multis textibus Iuris nostri municipalis, & in Synodis prouincialibus, vt patet apud Linroodum.

scot. 4. d. II

Linrood.

Debet igitur glossari hic articulus; eos scilicet solum condemnare antiquum errorem Capharnaitarum, sc. carnalem præsentiam Christi, id est, quasi Christus modo naturali seu carnali hic existeret, & dentibus nostris masticetur. prout sonare videtur Canon, *Ego Berengarius*; in Concilio Romano sub Nicolao, & refertur de consecr. d. 2.

cōsec. d. 2.

Sensus ergo est, quod panis seu substantia panis, cum suo modo existendi naturali, in substantiam corporis cum suo modo existendi naturali, seu carnali mutaretur, quod omnino repugnat Scripturæ, & destrueret naturam Sacramenti; vt recte in Articulo asseritur. Christus enim tunc carnaliter, seu sensualiter, non sacramentaliter, & modo spiritali & ineffabili subesset speciebus seu elementis consecratis. ad Sacramentum enim vt sic, requiritur, immediatum significatum esse aliquid spirituale in re vel saltem in modo: non enim Sacramenta sunt signa sensibilia, sensibilibus vel corporalibus significatiua, sed effectiua gratiæ insensibilis: non ergo corporis cum suo modo quantitatiuo, sed modo spiritali subsistentis: gratia enim hic significata, est gratia subsistens, scilicet corpus Christi primario & formaliter, vt optime Doctor vbi supra.

scot. vbi
suprà.

Error igitur iste præactus, solum hic condemna-
tur: iste enim solum aduersatur rationi Sacramenti, vt
ostensum est. iste etiam solum aduersatur Scripturæ,
quia illam solam intelligentiam huius mysterii, vt erro-
neam perstinxit Christus Dominus. Ioan. 6.

Ioan. 6.

Quod autem non negent Transubstantiationem ab
Ecclesia definitam; vel ex hoc patet, quia vtraque Ec-
clesia scilicet tam Orientalis, quam Occidentalis, in
hoc conueniunt: nec in vlllo Concilio fuit de hoc di-
sceptatio inter eos, vt recte obseruat Arcudius l. 3. c. 2.
de Eucharistia fol. 130. fuit quidem quæstio in Floren-
tino, quibus verbis facta sit Transubstantiatio, sed nihil
aliud. Etiam Hieremias in cap. 10. suæ Censuræ con-
tra Lutheranos idem fatetur. Nemo vero dubitat
puncta ab vtraque Ecclesia credita obligare omnes.
Nosstrates vero *mutationem, alterationem, transmutationem,*
nec solum *in effigie, sed natura*, id est, *μετεωρισμῶν*, fatentur
post sanctos Patres; vt patet apud D. Andreroes con-
tra Perronium, & D. Montacutium fol. 256. Verum
quidem est, quod Suarez tom. 3. quæstione 75. disp. 50.
sect. 1. notat hæc verba maxime accedere ad proprie-
tatem mysterii explicandam, & probabilissimum est
Patres in illo sensu, hæc verba vsurpasse. sed ad ma-
iorem claritatem, Ecclesia elegit verbum *transubstan-*
tiationis. *Transmutatio tamen in natura*, vt loquuntur
eorum Doctores, seu *μετεωρισμῶν*, in omni sensu Philosophi-
co valde premit hunc Articulum in rigore sermonis
sumptum, vbi negat simpliciter mutationem substan-
tiæ panis & vini, quod directe astruit *μετεωρισμῶν* Sancto-
rum Patrum, & *transmutatio in natura* eorum. Neces-
sario igitur recurrendum est ad glossam nostram supe-
rius insinuatam.

Arcud. l.
2. ca. 2. de
Euch.
fol. 130.Hier. c. 10
cōtr. Luth.D. And.
cōtr. Perron.
Montac.
fol. 256.Suar. 10. 3.
9. 75. disp.
50. sect.

Paragraphus tertius simul cum primo examinabitur
in Articulo sequenti.

Paragraphus vltimus videtur negare omnem ado-
rationem venerabili Sacramento: sed melius inspi-

And. cōtr.
Perron.
Iuel. in
Apol. &c.
scot. cum
ouando.
&c. 3. d. 9.

Vasq. 3. p.
disp. 96.

Trid. c. 6.
de Euch.

ciendo, putem ipsos solum excludere adorationem
latriæ, vt patet apud D. Andros contra Perronium,
& D. Iuellum in Apol. pro Ecclesia Angliæ, & alios
eorum Doctores. quod Catholicum sentio; loquen-
do propriè & per se, sicut Doct̃or Subt. cum Ouan-
do & omnibus Scotistis 3. distinctione 9. quæstione 1.
negant humanitati Christi latriam per se, immo Do-
ctores communiter ipsis personis diuinis præcisè sum-
ptis, id est, sub ratione formali constitutiua persona-
rum, quæ est relatio, negant subesse terminum for-
malem adorationis latriæ, sed hoc dietati solum pri-
mo competit; relationibus autem, prout identifican-
tur cum essentia; sic humanitati Christi, non per se
præcisè, sed prout suppositatur à Deo, eadem ado-
ratio debetur, sicut Rex cum purpura. sic etiam Vas-
quez 3. parte, disp. 96. fusè. Speciebus vero sacra-
mentalibus, cum non assumantur in identitatem per-
sonæ, sed solum fiant signa sensibilia præsentia cor-
poris Christi primario, & per consequentiam Dieta-
tatis eius, non competit latria, nisi dixeris per acci-
dens; per se vero, & prout sunt terminus formalis
adorationis, non nisi duliæ, & quidem inferioris, vt
facilè sequitur ex dictis. Vnde Trident. sapienter for-
mauit Canonem sextum de Euchar. in hæc verba: *si
quis dixerit in Sacramento Eucharistiæ Christum non esse
cultu latriæ etiam externo adorandum, & ideo nec festina pe-
culiari celebritate venerandum, nec in processionibus secundum
laudabilem Ecclesiæ consuetudinem solemniter circumgestan-
dum, Anathema sit.* Nota bene; non dicit Sacramen-
tum, sed Christum in Sacramento, latriâ adorand-
um.

Additur in Articulo, nec referuari nec circumge-
stari debet, quantum scilicet est ex Christi institu-
tione,

Glossam quidem poscit, hæc non à Christo for-
maliter mandari, quæ tamen ab Ecclesia rectè insti-

tui posset; quam consuetudinem licet reprobarent, non tamen ob hoc anathematizantur in Tridentin. quia non ex errore non credendi præsentiam Corporis Christi hoc asserunt. Sic Cano lib. quinto ca. 5. quæst. 4. Cano. l. 5.
c. 5. q. 4.

ARTIC. XXIX.

De manducatione Corporis Christi,
& impios illud non manducare.

Impij & Fide uina destituti licet carnaliter, & uisibiliter (ut Augustinus loquitur) Corporis & Sanguinis Christi Sacramentum dentibus premunt; nullo tamen modo Christi participes efficiuntur; sed potius tantæ rei Sacramentum seu Symbolum ad iudicium sibi manducant & bibunt.

PARAPHRASIS.

In hoc Articulo non tam conclusio, quam conclusionis causa consideranda est: intellectus enim decreti cuiuscumque, etiam uniuersalis Ecclesiæ, ex principiis & fundamentis quibus innititur, sicut conclusio ex præmissis, depromendus est, secundum illud Hilarii: *Intelligentia dictorum, ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus.* Hilari. Principium uero unicum huius eorum determinationis, est autoritas Augustini, ut patet in Articulo, qui subinde insinuat, uel saltem insinuare uideretur, impios non realiter participare panem Dominum, licet panem Domini,

Aug. in in Ioan. tract. 59. id est, Sacramentum Christi, non ipsum Christum, vt loquitur Articulus. mens igitur Augustini exploranda est. Illam vero non esse mentem Augustini patet, quia August. per panem Domini, non intelligit Eucharistiam, sed panem intinctum, quem

Idem l. 3. Dominus porrexit Iudæ. vt satis conuincitur ex eo quod *c. 1. de consensu euāg.* (lib. 3. de consensu Euang. cap. 1.) expresse docet, Iohannem in illo cap. 13. nihil de Eucharistia dixisse; idque

Et in Psal. 40. adhuc fit manifestius ex lectione Augustini in Psal. 40. 10. vnde sumpsit Euangelista verba, quæ explicat hic S. Augustinus, *qui edebat panes meos, leuabat contra me calcaneum suum.* Nam ibi tradit verba illa prædicta esse de

Iuda, & impleta, cum Dominus dedit illi buccellam intinctam. bis enim refert Scriptura Dominum dedisse manu sua discipulis comedendum panem; primo cum dedit panem consecratum, seu Eucharistiam; secundo cum dedit Iudæ panem intinctum; & docet S. Augustinus per priorem manducationem non fuisse Prophetiam Psalmi impletam, quia tunc discipuli panem Domini non manducarunt, sed panem Dominum, at per posteriora fuisse impletam, quia ille panis non erat panis Dominus, sed panis Domini. nam infra aperte docet, Iudam percepisse Sacramentum cum aliis discipulis, & illum panem intinctum non fuisse corpus Christi, vt putant inquit ipse, *quidam negligenter legentes;* quod autem citat illud Apostoli, *quicumque manducauerit, &c.* id non facit, vt insinuet panem intinctum datum Iudæ à Domino esse Eucharistiam, sed argumentatur à minori ad maius, & constat ex eo quod subiungit, Si, inquit, corripitur qui non diiudicat, hoc est, non discernit à cæteris cibis Dominicum corpus, quomodo non damnatur, qui ad eius mensam fingens amicum, accedit inimicus? si reprehensione tangitur negligentia conuiuantis, quâ poenâ percutitur venditor inuitantis? Hæc ille. vt optime tradit Peronius. vt vero de hoc magis constare possit; audiamus ipsum alibi frequenter hanc veritatem edocentem. epistol.

ad Iul. 3. & de salutaribus documentis. *Vnusquisque* Idem ep. 3
antequam corpus Domini nostri Iesu Christi accipiat, seipsum ad Iul.
probet, & secundum Apostoli præceptum, sic de pane illo edat,
& de calice bibat, quia qui indigne manducat & bibit, iudicium
sibi manducat & bibit. Ecce secundum Apostolum, as-
ferit malos ipsum Christi corpus sumere. Etiam de
verbis Domini, secundum Matth. serm. II. *Ad eum*
modum boni & mali simul manducant corpus & sanguinem
Domini. Ex quibus, & aliis apud eum tam perspicuis
locis, non potest dubitari de mente eius. Ad sensum
igitur Augustini explicandus est hic articulus; quia
nititur soli eius authoritati, secundum regulam quam
dedi in initio. vel dicendum ad hunc articulum, si-
cut Bellar. ad August. scil. impios non Dominum,
id est, vt Dominum, (quia non gratiam Domini,) in
perceptione Sacramenti sumere; aliàs ipsum Domi-
num ibi velatum, secundum Augustinum (vt ostendi)
& veritatem fidei, omnes recipiunt. Et ratio ipsa
hoc conuincit. Non enim *populus communicans, sed sa-*
cerdos consecrans, actione diuina, modo quidem ineffa-
bili, huc adducit corpus Domini; alias laïcis, non Apo-
stolis, tradita fuisset potestas consecrandi, vel saltem
vtrique simul, quod in Schola Christi hætenus inau-
ditum est.

ARTICVLVS XXX.

De vtraque specie.

Calix Domini, laicis non est denegandus, vtra-
que enim pars Dominici Sacramenti ex Christi insti-
tutione & præcepto omnibus Christianis ex æquo
administrari debet.

P A R A P H R A S I S.

Licet non ex sermone illo apud Ioan. 6. recte colligitur, utriusque speciei communionem à Domino præceptam esse: utcumque iuxta varias Sanctorum Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur, ut recte Trid. sess. 21. can. 5. ponendo tamen fuisse tunc de hoc traditum præceptum, ut asserit articulus, solum sequitur, per se loquendo, debere singulis utramque speciem conferri: cum quo bene stat, quod ratione circumstantiarum, verbi gratiâ, personæ, loci, vel temporis, possit vnica specie sacra synaxis celebrari; nec alia est hodierna praxis Ecclesiæ. Quod autem hoc præceptum (si omnino præceptum est) intelligi debeat accommodatè ad personas seu circumstantias prædictas, ut etiam insinuat Maldonatus in 6. Ioan. patet, quia in primis 600. annis, secundum doctrinam Augustini & Innoc. ministrabatur Eucharistia paruulis recenter baptizatis, non tamen nisi vnica specie, scil. sanguinis, ob difficultatem deglutiendi, ut testatur post alios Hugo de S. Victore de Sacramentis l. 1. c. 20: rationi ergo personæ accommodabatur præceptum; rationi vero temporis, sicut ob persecutionem, populus gestabat, & retinebat domi hostiam consecratam, ut testantur veteres cum Basilio in ep. ad Cæsariam Patriam. rationi loci, sicut Eremitæ ob nimiam distantiam ab Ecclesiis & publicis conuentibus Christianorum, aliquando ad annum reseruabant hostiam consecratam, ut ibidem patet apud Basilium & alios.

Ex quibus apertissime constat, Ecclesiam *pro re nata* frequenter vnâ vel alterâ speciem laicis distribuuisse. nec aliud in Constant. Basiliens. vel Trid. cautum est. nec aliud dicit hic articulus.

Dices, quicquid sit de rigore sermonis in articulo, saltem frequenter à Nostratibus exponi, quasi redargueret modernam praxim Ecclesiæ:

Respondeo,

Mald. in 6
Ioan.

Hugo de
S. Victore
de Sacram. l.
1. c. 20.

Basil. ep. ad
Cæs. Patr.

Respondeo, quod Cano lib. 5. cap. 5. quæst. 4. excusat ab hæresi eum qui affirmaret Ecclesiam errare in more communicandi plebem sub vna specie tantum; & quia Constantiense statuit eos esse hæreticos qui hoc dicunt, respondet Ecclesiam tunc fuisse sine capite, nec Martinus quintus approbans Concilium, simpliciter approbat illum Articulum, sed solum definit eos qui docuerint Ecclesiam in huiusmodi consuetudine errare, esse vel hæreticos, vel vt sapientes hæresim, condemnandos. Addit. Quod ergo Mart. Concilio præsidens non est ausus nomine hæreseos condemnare, id ego grauiori censura, accusare non audeo, nec debeo. Quod si in more ad salutem necessario, qualis ille videtur esse, de quo in Concilio Constant. erat controuersia; tanta fuit Martini modestia, quanto nos modestiores esse oportet in aliis erroribus condemnandis, qui consuetudini Ecclesiæ minime ad salutem necessariæ refragantur. Subdit. Atque hæc eadem fortasse causa Martinum 5. impulit, vt qui reprehenderent Ecclesiasticam illam consuetudinem impartendi Eucharistiam populo sub vna specie, eos non vt hæreticos, sed vt sapientes hæresim condemnarit. cum enim sub vtraque olim specie, plebs Sacramentum Eucharistiæ acceperit, idque Apostoli auctoritate, & vsu confirmata, non erat hæreticum in dubium vertere, an vetus ille Ecclesiæ mos nouo esset præferendus, sed Vviclefistæ idcirco asserabant Ecclesiam errare, quia existimabant necessariam esse plebi ad salutem, vtramque Sacramenti speciem sumere, huc detorquentes illa Domini verba, *Nisi manducaueritis, &c.* Prudentissime Martinus quintus vituperationem Ecclesiastici noui moris, non dixit esse, sed hæresim sapere. Hæc ille. Et certe non leuis est maculæ, hæresim sapere.

*Mart. 5.5**Trid. sess. de comm.**c. 1.*

Sunt quidem duo Canones de hoc in Tridentino

Rr

Trid. sess.
de cōmun.
c. 1.

Can. 2.

Cano.

Trid. c. 6.
de Euchar.

Trid.

sess. de Communionem c. 1. *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistia Sacramenti sumere debere, Anathema sit.* Can. 2. *Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam non iustis causis, & rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, Anathema sit.*

Grauiissimus Cano non potuit ignorare hos Canones, qui interfuit Tridentino, & Can. 6. de Eucharistia ibidem citat; tamen resoluit solum sapere hæresim, dicere Ecclesiam in illa noua consuetudine errare: iudicium de hac eius doctrina penes doctiores sit.

Ego tamen quoad casum nostrum, dicerem confessionem Anglicam in neutro Canone percelli; nam quoad primum Canonem, non dicunt esse sic à Deo præceptum, quod sit de necessitate salutis, vel quod non sit accommodate intelligendum ad circumstantias, &c. quod solum in Trident. reiicitur (ut vel maxime patet.) Quoad secundum Can. nullatenus tangunt.

ARTIC. XXXI.

De vnica Christi oblatione in Cruce perfecta.

Oblatio Christi semel facta, perfecta est redemptio, propitiatio, & satisfactio pro omnibus peccatis totius mundi tam originalibus quàm actualibus. Neque præter illam unicam est vlla alia pro peccatis expiatio: vnde Missarum Sacrificia, quibus vulgò dicebatur Sacerdotem offerre Christum in remissionem pœnæ aut culpæ pro viuis & defunctis, blasphemæ

ma figmenta sunt & perniciose impostura.

PARAPHRASIS.

Totus hic Articulus durissimus videtur; rectius tamen introspeciendo, non adeo veritati discordem iudicem.

Prima pars quoad affirmatiuam, indubitata est. vbi vero subdit negationem omnis satisfactionis pro reatu peccatorum, excepta Christi oblatione in Cruce: intelligi debet, illud totum alteri negari quod in prioribus verbis Christo attributum est: id est, quod nemo præter Christum per quamcumque actionem vel passionem peccata diluere potest, scilicet præscindendo Christum.

In verbis posterioribus, si sobriè intelligantur, nihil agitur contra Sacrificia Missæ in se, sed contra vulgarem vel vulgatam opinionem de ipsis, scilicet quod Sacerdotes in Sacrificiis offerrent Christum pro viuis & defunctis, in remissionem pænæ & culpæ, adè vt virtute huius Sacrificii ab eis oblato independenter à Crucis Sacrificio, mererentur populo remissionem, &c. Hæc est vulgata opinio, quam hic perstringit Articulus. Cæterum dicendo cum sanctis Patribus in Missa esse vere Sacrificium, licet loquendo secundum sensum veterum Sacrificiorum, non adeo propriè, quia non immolatur modo cruento, sicut in aliis: nam vt habetur in Nicæno Canone, *Agnus qui supra sacram Mensam absque immolatione à Sacerdotibus immolatur, id est, ipse Christus, sacrificatur, licet non iterum mactetur.* *Nican. Can.*

Dicendo etiam (ob hunc Articulum) quod non est propitiatorium primo, quia hoc competit Sacrificio in cruce, licet bene per se, & quasi secundum

do, quia principaliter per applicationem Sacrificiū cruenti, & per commemorationem eius, ad eū vt ratio propitiationis originaliter Sacrificio in Cruce competat, & illinc, seu virtute illius, huic; vt etiam recte notauit Cano in locis l. 12. ca. 12. vbi dicit, satis esse vt vere & propriè sit Sacrificium, quod mors ita nunc ad peccati remissionem applicetur, ac si nunc Christus moreretur; vbi rationem propitiationis applicationi mortis Christi tribuit: & ad eundem sensum citat Gregorium: *In seipso immortaliter viuens, iterum in hoc mysterio moritur.* Mors igitur incruenta in altari, virtutem suam deriuat à morte cruenta in Cruce. nam vt loquitur Tridentinum sessione 22. can. secundo de Sacrificio Missæ: *Oblationis cruenta fructus per hanc vberime percipiuntur.* Et in hoc sensu hoc Sacrificium est imago & exemplar alterius in Cruce, vnde omnis salus radicaliter emanauit.

Nulla prorsus hic erit difficultas cum doctioribus Protestantibus, qui plane hoc totum fatentur; vt videre est apud D. Andros contra Perronium, & Perron. D. Montacutium contra Heigham. & alios frequenter; denique nec hic articulus vllatenus aduersatur.

Dicendum tamen (vt dixi) esse etiam per se propitiatorium, quia secundum sanctos Patres est idem Sacrificium. vnde Chrysostomus homilia 17. in 10. ad Hebr. *Hebræos: Nos aliud Sacrificium non facimus quotidie, sed semper idem.* Addit: *Immo huius Sacrificij memoriam facimus.* Non ergo solum memoratiuum, sed simul memoratum ipsum Sacrificium quod in Cruce, licet in modo & aliis circumstantiis differat. Vnde ibidem: *Id ipsum offerimus, ne nunc quidem alium agnum, crastina alium, sed semper eundem: ipsum proinde vnum est sacrificium.* Hæc ille. Nec hoc aduersatur articulo, vt patet in Glossa, quam opposuimus, nec ipsis Doctoribus; cum enim ipsi fateantur in Ecclesia esse

Sacerdotes , esse etiam Sacrificia propitiatoria , fa-
teantur necesse est. Nam ad Hebr. 5. *Omnis Sacerdos* Hebr. 5.
constituitur , ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis. Hic
igitur necessario pax.

Ad pacem vero hanc altius stabiliendam , examine-
mus naturam Sacrificii ut sic.

Quod à Theologis in hunc modum definiri solet.
*Sacrificium est actio externa , qua res corporea aliqua & sen-
sibilis à legitimo Ministro ritu debito ac mystico , soli Deo of-
fertur , & in finem congruentem consecratur & transmuta-
tur.*

Origo litis , si quæ est , consistit in duobus poste-
rioribus punctis : scilicet in consecratione & trans-
mutatione ; quid scilicet consecratur , & transmu-
tetur.

Bellar. putat panem consecrari , & Corpus Christi Bell.
destrui ; alii ut Suarez , quod consecratur Corpus Suarez.
Christi , quia offertur & Deo dicatur , destruitur ve-
ro , quia vere , licet mysticè & incruentè , immolatur
Christus.

Tandem addit Suarez non esse de ratione Sa-
crificii destructionem seu immutationem rei obla-
tæ , quod etiam probat ex Leuitici vigesimo tertio , Leu. 23.
vbi erat verum Sacrificium sine mutatione ; & hinc
putat totam rationem formalem Sacrificii competere
huic.

Ut verum fatear , res est explicatu difficilis : ali-
quam tamen transmutationem hic fieri , est commu-
nius & verius , & hanc requiri , saltem ad Sacrificium
pro peccatis , fere omnes tenent , quibus etiam con-
ueniunt Protestantes. Sed an vlla transmutatio de-
beat esse cruenta , vel an sufficiat incruenta , videtur
esse aliqua lis.

Stricte tamen loquendo propter Sacrificium in
Cruce , & cætera Sacrificia , quæ communi-
ter cruenta erant , putant Sacrificium Missæ

non habere vsquequaque eandem rationem sacrificij: non negant tamen esse sacrificium (vt dixi) licet non proprie, eo scil. modo quo illa, quia non modo cruento, quod nos vltro dabimus.

Est igitur sacrificium, sed cum termino illo restrictiuo à Patribus vsurpatum, incruentum, quod non negant.

ARTIC. XXXII.

De Coniugio Sacerdotum.

Episcopis, Presbyteris, & Diaconis nullo mandato diuino preceptum, vt aut Cœlibatum voueant, aut à matrimonio abstineant. licet igitur etiam illis, vt cæteris omnibus Christianis, ubi hoc ad pietatem magis facere iudicauerint, pro suo arbitratu matrimonium contrahere.

PARAPHRASIS.

Hic Articulus nihil superaddit Articulo 31. sub Eduardo 6. paulo quidem explicatius idem declarat, scilicet Episcopis, Presbyteris & Diaconis non esse mandatum vt Cœlibatum voueant: neque iure diuino coguntur matrimonio abstinere, & consequenter quantum ad ius diuinum, licite & valide possunt nuptias contrahere; quæ est communior opinio Scholarum contra nostrum doctissimum Medina, De sacrorum hominum continentia: nec plus hic asseritur. Posteriora enim verba non aliud specificant.

ARTIC. XXXIII.

De Excommunicatis vitandis.

Qui per publicam Ecclesie denuntiationem rite ab unitate Ecclesie praecisus est & excommunicatus, is ab uniuersa fidelium multitudine, donec per poenitentiam publice reconciliatus fuerit arbitrio iudicis competentis, habendus est tanquam Ethnicus & Publicanus.

PARAPHRASIS.

Hic Articulus Catholicus est, & tam sacris Scripturis quam Antiquitati consonus.

ARTIC. XXIV.

De Traditionibus Ecclesiasticis.

Traditiones atque ceremonias easdem non omnino necessarium est esse ubique, aut prorsus consimiles: nam & varia semper fuerunt, & mutari possunt pro regionum, temporum, & morum diuersitate, modo nihil contra verbum Dei instituat.

Traditiones & ceremonias Ecclesiasticas quae cum verbo Dei non pugnant, & sunt auctoritate publica instituta & probata, quisquis priuato consilio volens & data opera publice violauerit, is, ut qui peccat in publicum ordinem Ecclesie, quique ledit auctoritatem magistratus, & qui infirmorum fratrum conscientias vulnerat, publice, ut ceteri timeant, arguendus est.

Quelibet Ecclesia particularis siue nationalis, authoritatem habet instituendi, mutandi aut abrogandi ceremonias, aut ritus Ecclesiasticos, humana tantum authoritate institutos: modo omnia ad adificationem fiant.

PARAPHRASIS.

Manifestum est hic solum agi de Traditionibus, non doctrinalibus: asserit enim hic Articulus, eas secundum circumstantias temporum & locorum, subinde variari posse: quod de doctrina certo tradita per Apostolos, Christianorum nemo asseruit.

Totus igitur hic Articulus mihi verissimus & praxi Ecclesiae consonus videtur.

Fuisse vero aliqua doctrinalia per Apostolos non scripto, sed verbo posteris tradita eleganter declarat Dionys. Areopag. *Ἐκ τοῦ ἐἰς νοῦν ἡγεῖ μέσου λόγου σαματικῶ, δὲ ὁμοῦς ἡραφῆς ἐκτός.* Id est, ex animo in animum sine literis, medio intercedente verbo, ait fuisse transfusa.

August. etiam lib. 5. de Baptismo contra Donatistas c. 23 respondens Epistolae Cypriani ad Pompeium. Apostoli, inquit, nihil quidem inde preceperunt, sed consuetudo illa quae opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa quae uniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis precepta bene creduntur, quamuis scripta non reperiantur.

Et superius lib. 2. c. 9. dixit. Consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & haec solum opponebatur inducere volentibus nouitatem. Sed de huiusmodi hic non agitur. Quod autem additur in ultimo articulo, verissimum est, & tradit August. in ep. 86 ad Casulanum, & in epist. 119, ad Ianuarium, & tandem habetur 31. dist. cap. Quoniam &c. & cap. Aliter, & est omnium Doctorum.

ARTIC. XXV.

De Homiliis.

Tomus secundus Homiliarum, quarum singulos titulos huius Articuli subiunximus, continet piam & salutarem doctrinam, & his temporibus necessariam, non minus quam prior tomus Homiliarum, quæ editæ sunt tempore Eduardi 6. itaque eas in Ecclesiis per ministros diligenter & clare, ut à populo intelligi possint, recitandos esse iudicauimus.

PARAPHRASIS

¶ Multa quidem sunt in Homiliis laude digna, alia nec nobis, vel doctioribus eorum, arrident: Nec tenentur Protestantes, ob hæc verba in Articulo, statim in singula verba vel sententias Homiliarum iurare. nam ut olim Turrecremata, cum ipsa Ecclesia Doctorum aliquorum opuscula probat, non ob id intelligendum est, omnia in eis contenta probari. sicut in Constitutionibus 6. Synodi, aliquorum Doctorum opera probata sunt, quod etiam in Decretis legitur dist. 15. non tamen omnia verba & particulas approbat, ut conueniunt Doctores. Hoc etiam exactissime tradunt Doctores Parisienses, exponentes Bullam Urbani quinti approbantem doctrinam S. Thomæ, in qua scripsit *Tholosanus*, eius doctrinam ut bene dictam, & Catholicam teneri debere. Dicunt tamen Parisienses, predictam approbationem non esse uniuersalem, sed tanquam doctrine uilis, & in multis probabilis, prudenter igitur quæ sanam doctrinam sapiunt, populo legenda, alia, neglectui habenda.

ARTICVLVS XXXVI.

De Episcoporum, & Ministrorum
consecratione.

Libellus de consecratione Archiepiscoporum, & Episcoporum, & ordinatione Presbyterorum, & Diaconorum editus nuper temporibus Eduardi 6. & auctoritate Parlamenti illis ipsis temporibus confirmatus, omnia ad eiusmodi consecrationem & ordinationem necessaria continet: & nihil habet quod ex se sit aut superstitiosum, aut impium: itaque iuxta ritus illius libri consecrati, aut ordinati sunt, ab anno secundo predicti Regis Eduardi vsque ad hoc tempus, aut in posterum iuxta eosdem ritus conseruabuntur, aut ordinabuntur, rite atque ordinate atque legitime statuimus esse & fore conseruatos & ordinatos.

PARAPHRASIS.

Hic articulus nos remittit ad Pontificale sub Eduardo 6. compactum.

De ordinatione Episcoporum. verba in ceremoniali illo sunt. *Accipe Spiritum Sanctum, & memento suscitare gratiam Dei, qua est in te per impositionem manuum, quia Deus non nobis dedit Spiritum timoris, sed potestatis & sobrietatis.*

Hæc verba simul cum impositione manuum à pluribus Episcopis factam, pronunciat Archiepiscopus: quibus peractis tradit in manus consecrandi Biblia, cum verbis accommodatis: adeo vt forma sit, *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* materia; impositio manuum. iudi-

cent doctiores an hanc eorum consecrationem ex hoc capite irritam definiti fas sit, præsertim, cum Vasq. & alii putent impositionem manuum, & illa verba sufficere quantum est de iure diuino, ad essentiam ordinationis Episcopalis: vt videre est p. 3. disp. 240. num. 58. Conink. de Ordine disp. 20. dub. 7. num. 58. fusè, & probat ex Trid. nec dissentit Arcudius de Sacramento Ordinis, propter authoritatem scripturæ, quæ horum duorum sæpius & solum mentionem facit. vbi etiam fusè ostendit in Ecclesia Græca traditiones instrumentorum non esse necessarias simpliciter, nec formas illis applicatas.

Idem iudicium facit de vnctione physica & materiali in Sacramento Ordinis, siue quoad Episcopos vel sacerdotes; non enim est essentialis, secundum eum; immo in Ecclesia Græca nunquam fuit adhibita, vt contendit Arcudius; quia Chryf. in digressionem morali 2. orat. in i. ad Timoth. faciens distinctionem inter sacerdotes veteris & nouæ legis, dicit priores vnctos fuisse. Dionys. etiam, licet accuratissimus in ceremoniis describendis, nec verbum habet de vnctione. quando vero aliqui Græci Patres, de vnctione mentionem faciunt, de spiritali eos intelligit.

De Presbyteris forma est. *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris retenta sunt, & esto fidelis verbi diuini, & sanctorum Sacramentorum eius dispensator, in nomine Patris, &c.* Postea traduntur Euangelia, & dicit. *Accipe potestatem predicandi Dei verbum, sanctorumque Sacramentorum administrandi in hac congregatione.*

Christus quidem primo potestatem dedit super Corpus Christi verum, postea super mysticum, vt patet in sacro textu, & optime declarat Doctor 4. dist. 24. sic etiam præfatur Ecclesia, vt patet in Pontificali. Aliqui Doct. tenent, vt q. 37. dub. 2 in supplementum D. Th. post Bell. notauit doctissimus Kellif. (cui multum tribuo, & ex multis titulis debeo.) quod in ordinatione sacerdotum,

illa secunda potestas super corpus mysticum, per potestatem remittendi & ligandi, solum sit explicatiua seu declaratiua potestatis ante traditæ, & non esse aliquam nouam potestatem de nouo collatam. sic aliqui Thomistæ, vt patet apud Capreol. 4. d. 19. quæst. 1. d. 19. q. 1. quod meliori iure alii putant dici in hac Nostratum forma, scilicet in prioribus verbis, solum explicari, quod postea traditur, quia *super omnia Sacramenta*, potestas confertur in verbis sequentibus, vt directe ibi astruitur. ergo etiam super Sacramentum Pœnitentiæ, quod in prioribus verbis insinuabatur; vbi etiam intelligi non dubito, potestatem Sacrificandi, quia datur potestas super corpus Christi verum, de iure verò diuino non fit consecratio nisi in Sacrificio, vt fere vnanimis est consensus Doctorum, & Christus ipse dando potestatem consecrandi, dedit insimul sacrificandi, vt patet in vltima Cœna.

Scio Puritanos dicere, in hac eorum forma ex proposito expungi potestatem sacrificandi vt supersticiosam. Sed non contra illos ago, quia vere destruunt totam formam: benigne solum expono articulum, & eo plus quo video celebriores Protestantium Doctores, vt superius ostendi, Sacerdotes & Sacrificia agnoscere. Peccant saltem in omni sententia non obseruando formam ab Ecclesia Latina demandatam, vt cum Soto tenent Doctores, vt etiam videre est apud Petigianis in 4. de Baptismo. & Doctorem 4. dist. 8. quia est de *necessitate Ministri*, vt loquitur Doctor, id est præcepti in Ecclesia Latina. fusè etiam de hoc agit Doctor d. 3. q. 2.

Soto.

Petig. 4.

de Bapt.

Scot. 4.

d. 8.

Scot. d. 3.

q. 2.

Sed an illa forma sufficiat ad Sacerdotium, Videtur (non asserendo, minus adhærendo) responderi posse secundum aliquos, quod sic, ex Innocentius IV. in cap. Presbyter. de Sacramentis non iterandis. vbi dicit: *De ritu Apostolico inuenitur, quod manus imponebant ordinandis, & quod orationem fundebant super eos. Aliam autem formam non inuenimus ab eis seruatam. Vnde*

Innoc. IV.

inc. Presb.

credimus, quod nisi essent forma postea inuenta, sufficeret ordinatori dicere, *Sis Sacerdos, vel alia æquipollentia. sed subsequentibus temporibus formas, quæ seruantur, Ecclesia ordinauit.* Ipsi ergo, & constans est. Doctorum sententia, substantiam formæ in omni ordinatione, non esse præcisè in cortice verborum, sed sensu: modo igitur fiat verbis æquipollentibus, vt loquitur Innoc. non dubito sufficere & valere: *Non enim verba, sed rem opinor spectari oportere;* vt Arcudius vbi supra. & Trid. videtur fauere *sess. 23. c. 4. vbi ait: Sacram ordinationem verbis & signis exterioribus perfici.* Vbi non determinat verba vel signa. Multi vtique Doctores non improbabiler existimant, nec verba, nec Symbola externa, id est, nec formam vel materiam à Christo determinate esse assignata, sed ab Ecclesia assignanda. Solum igitur à Christo ordinatum est secundum hanc sententiam, quod ordinatio fiat aliquibus verbis & Symbolis. & hinc à fortiori sequitur, verba æquipollentia omnino sufficere, quia multo facilius, verba ab Ecclesia, quam si à Christo assignentur, modo in sensu & re conueniant, aliquantulum mutari possint. vnde Græci hac forma vtuntur: *Diuina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ decent supplet, creat seu promouet N. venerabilem Subdiaconum in Diaconum, venerabilem Diaconum in Presbyterum, Deo amabilissimum Presbyterum in Episcopum.* Vbi patet eos differre à forma Latinorum; nemo tamen negat eos rite ordinari, quia substantiam habent. Idem plane aliis videtur, sine assertione esse iudicium de forma Nostratum, quia potestatem sacrificandi & absoluendi inuoluunt, nisi aliò detorquere malint, sicut Puritani fecerunt, & à Nostris optime excepti sunt.

Innoc.

Arcud.
vbi sup.
Trid. sess.
23. c. 3.

Quod si hoc durum videatur aliquibus nostrum, attendant ad illud Doctoris 4. d. 8. q. 2. §. Ex hoc patet. *Est dictum minus discretum, asserere, quod necesse est in quolibet Sacramento scire præcisè, quæ verba sunt de forma, ad hoc, vt aliquis conferat Sacramentum. Istud enim manifestè falsum est, non solum in Eucharistia, sed etiam in Baptismo, & Pœnitentia*

Et Sacramento Ordinis, forte enim nullus est, qui sciat pro certo, nec Episcopus, nec Ordinatus, quæ sint præcisè verba ordinationis in Sacerdotem: Et tamen non est dicendum, quod nullus est ordinatus in Sacerdotem in Ecclesia. Consimiliter diversi videntur diversi verbis in conferendo Sacramentum Pœnitentia: nec est certum de aliquibus verbis præcisè, quæ sint illa, non tamen dicendum est, quod nullus absoluitur in Ecclesia.

Vnde illustrissimus Scholiator dicit, licet certæ essent formæ in Sacramentis, tamen quælibet verba earum formarum non sunt adeo certa & determinata, quum alia sufficiant.

Quod autem additur in ceremoniali, quod Presbyteri præsentibus etiam imponant manus in capita ordinandorum, fuit expresse ordinatum in 4. Carth. cap. 3. hoc tamen non obseruatur à Græcis; licet semper in Ecclesia Latina propter authoritatem Pauli ad Tim. 4. *Noli negligere gratiam quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterij.* Sic etiam loquitur Trid. sess. 14. can. 3. *secus vero est in ordinatione Diaconi, vt habetur in Carth. c. 4.*

De Diaconis forma est: *Accipe potestatem, & officium Diaconi in Ecclesia Dei tibi commissam exercendi. In nomine Patris, &c.* Postea in traditione Bibliorum dicit: *Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei, & idem prædicandi, si ad illud præstandum ordinariè vocatus fueris.*

Multis videtur nullum essentiale hic prætermitti, secundum declarationem Florentini vel Trident. propter rationes superius assignatas. Impositio manuum omnium fere consensu est essentialis, quæ hic rectè obseruatur, quia simul cum prolatione formæ tradunt etiam hic Euangelium, quod aliqui Theologi putant essentialia: sed vt rectè Arcudius de Sacramento Ordinis (qui melius omnibus aliis hæc ad fundum examinavit) traditio instrumentorum est potius determinatio materiæ quàm ipsa materia, & sic intelligi debet Florent. secundum eum, quando specificat traditionem materiæ, ad singulos ordines.

Addam hic opportunè pulcherrimum dictum Doctoris 4. d. 8. qu. 2. §. Quod ergo erit consilium: *Non est tutum alicui se reputare valde peritum de scientia sua, & dicere, volo ut ipse præcisè istis verbis pro consecratione. sed securior est simplicitas, volo ista verba proferre sub ea intentione, sub qua Christus instituit ea esse proferenda, & quæ ex Christi institutione sunt de forma, dico ut de forma, & quæ ad reuerentiam, ad reuerentiam.* Hæc ille: vtinam conditores Articulorum eadem qua Doctor humilitate Sacramentorum formas pro rei grauitate perpendissent, non adeo facilè formas in Ecclesia vsitatas ex peritiæ suæ nimia reputatione; vllò modo immutassent, vel detruncassent, licet forte (secundum opiniones toleratas) non substantialiter.

Ego alia capita non examino de successione Episcoporum vel Ministrorum: (ab aliis fusè & doctè peractum est) sed solum ipsa verba Articuli, an scilicet vi formæ & materiæ (si nihil aliud obstat) valide fiat Ordinatio.

ARTIC. XXXVII.

De Ciuilibus Magistratibus.

Regia Maiestas in hoc Angliæ Regno ac cæteris eius Dominijs summam habet potestatem ad quam omnium statuum huius Regni, siue illi Ecclesiastici sint, siue ciuiles, in omnibus causis suprema gubernatio pertinet, & nulli externæ iurisdictioni est subiecta, nec esse debet.

Cum Regiæ Maiestati summam gubernationem tribuimus, quibus titulis intelligimus animos quorundam calumniatorum ostendi, non damus Regibus nostris, aut verbi Dei, aut Sacramentorum administratio-

nem, quod etiam iniunctiones ab Elizabetha Regina nostra nuper editæ, apertissime testantur. sed eam tantum prerogativam quam in sacris Scripturis à Deo ipso omnibus piis principibus videmus semper fuisse attributam: hoc est, ut omnes status atque ordines fidei suæ à Deo commissos, siue illi Ecclesiastici sint, siue ciuiles in officio contineant, & contumaces delinquentes gladio siuili coërceant.

Romanus Pontifex nullam habet iurisdictionem in hoc regno Angliæ.

Leges regni possunt Christianos propter capitalia & grauiora crimina morte punire.

Christianis licet ex mandato Magistratus arma portare, & iusta bella administrare.

PARAPHRASIS.

Hic articulus subministrat materiam examinandi questionem longe grauissimam. An scilicet laici sint capaces iurisdictionis spiritualis.

Primò aduertendum ex omnium sententia illos non esse capaces clauium, quia tunc etiam remissionis seu absolutionis à peccatis.

Secundò aduertendum, iurisdictionem spiritualem, seu potestatem iurisdictionis, non esse immediate ipsam potestatem clauium, immo separabiles, nec actu semper coniungi, vel iure diuino, vel positiuo.

Tertiò supponendum, summum Pontificem in omni sententia, secundum absolutam potentiam suam, posse iurisdictionem talem laicis concedere. quia non expresse contra ius diuinum, ut recte Soto 4. dist. 20: quæst. 1. art. 4. sic etiam Miranda in Manuali quæst. 3. art. 2. & hoc non solum respectu virorum, sed fœminarum. Addit tamen Miranda hoc respectu fœminarum nusquam adhuc.

Sot. 4. d.
20. q. 1. a.
4. Mirad.
in Manual.
q. 3.
a. 2.

adhuc concessum. quod tamen negat D. Aluin. c. 3 de Episcopis, Abbatibus & Abbatissis c. 22. & citat multa iura, ex quibus actu conceditur Abbatissis potestas iurisdictionis, non quidem excommunicandi per se, sed præcipiendi suis subditis Sacerdotibus, vt excommunicent rebelles & contumaces moniales; & hoc valere vel ex iure communi, vel consuetudine, vel saltem ex priuilegio. vel strictius loquendo, dicendum cum Laimanno lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 3. num. 3. & 4. quod non habent iurisdictionem spiritualem proprie, sed *vsuram quandam* iurisdictionis. Et hinc conferre possunt beneficia, & instituere clericos in Ecclesiis ad Monasterium suum pertinentibus, &c. Vt sensum meum in re tam graui aperiam.

D. Aluin. c. 3. c. 3.

Laiman. l. 1. tract. 5. p. 1. c. 3. n. 3. & 4.

Dicendum putem, nullo quidem iure, vt præactum est, eis competere potestatem seu ius spirituale, vt loquitur Ioannes de Parisiis de potestate Papæ c. 21. quo gratia spiritualis causatur, id est, potestas administrandi Sacramenta. Et idem est iudicium de potestate quæ consequitur ex priori, vt est inflictio pœnæ spiritualis, scripturarum expositio, Ministrorum Ecclesiæ institutio, confirmatio vel examen, & alia id genus multa. Quoduis enim horum de iure diuino restringitur præcise ad homines spirituales seu Deo sacros, vt olim definitum est à Ioan. 22. contra Marsilium de Padua, vt videre est apud Turrecrem. l. 4. Summæ, sub finem.

Ioan. de Paris. c. 21. de potest. Papa.

Cæterum quoad potestatem seu ius antecedens non de per se & necessario annexum spiritualibus officiis, bene potest in laicis subinde residere; sicut præsentatio, collatio beneficiorum, punitio temporalis clericorum, & alia id genus multa, vt dixi de Abbatissis, præcipue ex concessione Ecclesiæ, vel longa consuetudine præscripta, conuiuentibus Prælati Ecclesiæ.

Ioan. 22. contra Mars. de Padua. Turrecr. l. 4. summa.

Dixi & merito, etiam ex consuetudine, quia non solum concessio, sed consuetudo ipsa tribuit iurisdictionem, etiam in spiritualibus, vt docet Innocent. in cap. Nouit. de iudic. & multi. præsertim, quando

Innoc. in c. nouit. c. 3.

Salgado
p. 1. c. vral.
3. nu. 120.

consuetudinis exercitium à tempore immemoriali probatur, vt declarant Iuristæ. de qua re vide Salgado p. 1. c. 1. Prælud. 3. n. 122. & deinceps.

Dices hoc non solum concedi Principibus nostris potestatem ex consuetudine, seu concessione, sed supremam; vt ibi asseritur, quod non potest eis competere in spiritualibus. vt omnes Doctores tenent.

Nau. c. 27
in Enchir.
n. 70.
Salz. sch.
Ber. Diaz
c. 55. §. A.
pud Gall.
Dnuall.
de disc.
Eccl. p. 3.
fol. 405.

Respondeo, quod Doctores prædicti asserant Papam non posse auferre iurisdictionem Principum ex consuetudine vel concessione firma, valide & licite introductâ: sicut satis insinuat Nauar. c. 27. in Enchir. n. 70. agens de Gallis. Sic etiam Salzedo in Scholiis ad praxim criminalem Bernardi Diaz c. 55. §. Apud Gallos. Qui hinc putat Bullam Cœnæ non intelligi contra priuilegia remuneratoria, vel quæ sunt firmata consuetudine immemoriali, prout etiam Nau. Tandem Duuallius de dif. Eccles. p. 3. fol. 405. dicit, quod Papa quando dat priuilegium Principibus secularibus in materia iurisdictionis humano iure, (id est, non contra ius diuinum) introductæ, non potest reuocare, si concessum sit per modum, *contractus vel concordati vel transitionis*. Et sine dubio sufficit ad intentum huius articuli, quod ideo dicatur, *suprema* potestas, non simpliciter, sed quia non per superiorem auferibilis. Regibus autem nostris fuisse sic concessum ius nominandi & prouidendi de beneficiis, testatur post alios Harpf. sæculo 14. fuisse etiam aliam consuetudinem immemoriam ex priuilegio ortam, causas clericorum cognoscendi patet ex decis. Rotæ. 804. vt communiter citatur.

Harpf.
Dec. Rotæ.

Su. r. l. 4.
de immu.
Eccl. c. 34.
num. 12.

Quod si dixeris non constare de hoc priuilegio, vt etiam Surrez lib. 4. de immunitate Eccles. c. 34. num. 12. Responderent quod consuetudo notoria, licet non constiterit, est melius, quia in hoc casu magis operatur tacitum seu præsumptum priuilegium, quia supponit cõcessionem irreuocabilem, secus si constaret de priuilegio, quia non reciperet interpretationem. sed obseruandum erat, prout sonat, & plus operatur in hoc,

fama priuilegii cum immemoriali consuetudine, vt in terminis tradit Fuluius Pacian. conf. fi. num. 124. ne propter difficultatem probandi rem antiquam, pereat ius partis. sic Camillus Borell. de Præstantia Regis Catholici c. 503. n. 26. & 27.

Ful. Pac.
Conf. fi.
n. 124.
Cam. Bor.
de præst.
Cath. c.
503. n. 26.
& 27.

Dices non solum in Articulo competere hanc potestatem Principibus nostris ex priuilegio vel consuetudine, sed iure diuino.

Respondeo, quod valde multi Doctores de hoc consulti tenent, quod *Quoad commune bonum Reipubl.* Principes habent iurisdictionem etiam in multis causis foro Ecclesiastico aliàs per se subiiciendis. Et hoc non solum *de iure diuino positiuo, sed naturali.* Sed rectiùs Doctores in Bullam Cœnæ, negant Principibus iurisdictionem in Clericos & eorum causas ex iure Regio, sed nudam potestatem ciuilem & temporalem, ob protectionem & defensionem Reipublicæ, iustitiæ & pacis communis; & hoc de iure diuino & naturali ipsis competit, nec hic articulus plus exigit: & ratio quam tetigit Suarez lib. 3. de Primatu Summi Pontificis c. 1. num. 4. in fine optime hanc partem probat. Quia humana natura non potest esse destituta remediis ad suam conseruationem necessariis: accedit etiam Morl. in Empor. iur. 1. p. tit. 2. de legibus num. 20. vers. Quia cum Regnum. vbi dicit, quod cui conceditur regnum necessario omnia censentur concessa, sine quibus Regnū gubernari non potest: Regnum vero gubernari non posset nisi Principes hac potestate potirentur, etiam in clericos, &c. ergo. Sic illi.

Suar. l. 3.
de Prim.
Sum. Pöt.
c. 1. n. 4.
Morl. in
Empor. iur.
1. p. tit. 2.
&c.

In hunc igitur finem, & in hoc sensu, magna sine dubio est potestas Regum iure diuino & naturali secundum illos, personas & causas Ecclesiasticas in multis casibus per accidens & indirectè, vt loquuntur Doctores; secundum partem directiuam, seu imperatiuam; verbi gratiâ, possunt ciuilitè mandare Clericis etiam Episcopis, vt spiritualia suâ ad pacem Reipublicæ disponant; vt dycolos ex officiis amoueant,

immo innocentes Clericos ab iniustis oppressionibus iudicum Ecclesiasticorum autoritate Regia defendere possunt. Et alia huiusmodi. Totum hoc confirmatur à Parsonio in Richardo II. Henrico IV. & Eduardo IV. & miratur, si aliquis negaret Regibus in suis regnis. Hic vide modestiam Nauarri in Manuali, cap: 27. num. 69. vbi non dubitat de hoc dicto, modo sint veræ oppressiones & violentiæ. vide etiam nu. 27.

Caiet. V. Et. de Potest. Eccl. Nec quoad substantiam rei multum discrepat Caietanus, vbi inferius, nec Victoria de Potestate Ecclesiastica.

Et ratio conuincit: nam clerici omnes, nonobstante clericatu, sunt ciues Reipubl. & subditi Regis ratione domicilii, & consequenter ad leges Principum quatenus pertinent ad communem viuendi in Regno societatem, & ad iustitiam exequendam quæ maxime pacem & tranquillitatem fouet, non possunt non astringi, nec ab illorum obedientia, vel in personis, vel causis prædictis, modo explicato eximi possunt, quantum ad pacem Reipublicæ necessarium est. nec putem vllum Doctorem Cathol. huic refragari. vnde Caiet. dicit Apol. de potestate Papæ cap. 27. quod *Principibus*

Caiet. de pot. Pap. 6. 27. *competat illa tyrannidi resistendi potestas, quam iure naturali gentium habent, etiam in rebus Ecclesiasticis.* Et in hoc sensu vbiuis terrarum Reges Christianissimi & Catholici hodie factitant; vt fusissime ostendere possum; nec plus hic asseritur. Præsertim si attendamus ad expositiones eorum in hunc articulum; nullam vtique iurisdictionem spiritualem Regibus nostris concedunt, sed gubernium ciuile & temporale indirectè & per accidens ob pacem Reipubl. in personas & causas prædictas Ecclesiasticas extensum. sic D. Raynoldus licet Puritanus, D. Mont-

D. Rayn. D. Mont. &c.

cutius contra Heigham. & alii eorum Doctissimi, quibuscū de hoc egi. Gauisus sum etiam valde de illo quod his diebus factum est Cantabrigiæ, in Comitiiis pro actu doctorali, vbi Summo Pontifici, vt *Maximo Patri*, (sic enim cum appellabant) designata est cura spiritualium,

Regi temporalium, licet sub finem subiiciebatur, Regū esse omnes *regere*. Quod intelligi debet ciuilitate, non spiritaliter, modo à nobis explicato.

Tandem vt summam, dicam, putem abunde sufficere huic articulo, quod hodie à Gallis & Parlamento Parisiensi salua communionem Ecclesiæ vsurpatur.

Non ago partes eorum qui summa violentia trahi volunt hunc articulum in defensionem iurisdictionis puræ spiritualis in Regibus, quod certissime hæreticum est.

Hæc liberius dixi, quia vt optime Cano l. 5. qu. 5. §. Nunc illud breuiter: *Qui Summi Pontificis omne de re quacumque, iudicium temere ac sine delectu defendunt, eos sedis Apostolicæ auctoritatem labefactare, non fouere, non firmare. Quid enim tandem aduersum hæreticos disputando ille proficiet, quem viderint non iudicio, sed affectu patrocinium auctoritatis Pontificiæ suscipere, nec id agere, vt disputationis suæ vi, lucē ac veritatem eliciat, sed vt se ad alterius sensum voluntatemque conuertat: non eget Petrus mēdacio nostro, nostra adulatione non eget.* Hæc ille. Ego ingenuè dico, libentissime, ne dicam auidissime, ob iustam defensionem Sedis Apostolicæ (diuina gratia assistente) mortem subirem: *non enim animam meam me preciosiorem facio.* Nec tamen quod iustum est Principibus denegandum. Eousque solum processi.

Paragraphus sequens maiori indiget glossa:

Forte tangit illam peruetustam quæstionem, An Anglia sit feudataria Papæ. Ioan. Rex Angliæ, vt testantur Matthæus Paris, & Matthæus Vestmonast. *de regione libera per chartam lugubrem ancillam fecit & feudatariam Summo Pontifici.* Henricus tamen eius filius in Concil. Lugd. huic reclamauit, & præcipuè Episcopus Cant. vt testatur Vualsing. ad annum 1245. & postea Cæcellarius Angliæ Episcopus Eliensis in publicis Regni Comitibus consentientibus tribus Ordinibus Patriæ, reclamauit, nō obstāte priuata spōsione Ioan. vt testatur Harps. ad sæc. 14. c. 5. immo & armis se à tēporali iurisdictione Papæ defensores protestabātur. sed quia hic inanis titulus S. Pontif. (vt eū reputabat olim Illust. Tho. Morus, & hodie omnes

Matth.

Paris,

Matth.

Vest.

Vual.

Harps.

Th. Morus

Catholici) sæpius obtrudebatur, præsertim in principio Elizabethæ, à Paulo 4. quæ occupabat regnum, non requisito consensu Papæ, hinc forte hic Articulus conditus est. *Multum enim inter fortunam probatam Principis, & Regale culmen interest*, vt Zeno l. vii. cap. de quadr. præscript.

Vel si hæc glossa minus placeat, tunc potest dici, ad huc hæc verba multiplicem ferre sensum. vnus, quod commoda negatur subiectio & communio cum sede Apostolica, quod est plane derelinquere Augustinum, Ambrosium, Hieronymum, etiam Cypr. Terrul. Irenæum & alios Ecclesiæ Christi splendores, qui vbi-que testantur se cum hac sancta sede communionem habuisse & subiectionem agnouisse.

Ambros. in c. 3. l. ad Tim. De Ambrosio patet in cap. 3. l. ad Tim. vbi vocatur Damasum *Rectorem* totius Ecclesiæ, ergo & ipsius.

Tim. Hier. ep. ad Damasum. De Hieron. in epist. ad Damasum. *Cathedra Petri communionem consocior.* Quid clarius? pulchra ibi habet ad eundem sensum.

Aug. ep. 157. ad Optat. Cypr. ep. 52. De August. ep. 157. ad Optatum. fatetur se cum reliquis Episcopis ex Zosimi Papæ mandato Cæsariam venisse, &c. Altius potuissim condescendere & Cyprianum interpellare, qui epist. 52. dicit, communicare cum Pontifice Romano; idem esse, ac communicare cum Ecclesia Catholica.

Tertul. l. præscript. Tertul. l. præscript. c. 36. *Habes Romam, unde nobis quoque auctoritas est.* Ecce se subdi auctoritati Romani Pontificis testatur.

Irenæus l. 3. c. 3. Irenæus utroque antiquior l. 3. c. 3. *Ad hanc Ecclesiam, propter potentiores principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam.* Res notoria est, omnes quotquot sancti fuerunt cum hac sancta Sede communionem habuisse.

Alius sensus potest esse, quod insinuetur subtractio ab obedientia, non sedis Apostolicæ, seu auctoritatis illi sedi annexæ, quantum est ad actum primum seu signatum, sed solum quantum ad actum exercitum (licet parum extendere hos terminos Scholarum) id est,

in quantum exercetur à tali persona, cui pro tempore commissa est sedes illa.

Primus sensus, est quæstio iuris, an scil. fedi illi competat iurisdictio, seu dicendi ius in totam Ecclesiam, saltem secundum formam à Canonibus præscriptam, (quod addo propter aliquos recentiores) & vere hoc sanctæ fedi negare, est plane contra sensum vtriusque Ecclesiæ, nec de hoc vsquam fuit disceptatio in vlllo Concilio, si recte ponderetur; Catholici etiam quotquot sunt vel fuerunt, huic subscripserunt; & satis euincitur ex ipso Nilo in fine, licet maximus sit aduersarius *Nilus.* sedis Apostolicæ. Nec hoc dicit Articulus.

Secundus sensus videtur reduci posse ad duas quæstiones, vnam etiam iuris, alteram mixtam, scilicet tam iuris, quam facti. Prima an hic & nunc liceat Regno alicui se subtrahere ab obedientia alicuius Pontificis ad tempus. de qua re scio quid resoluat Gerson, quæstione: *Quomodo & an liceat in causis fidei à summo Pontifice appellare, & eius iudicium declinare;* (cui multum innituntur Nostrates) Verba eius sunt §. Sequeretur sexto: *Hoc etiam practicum est per quoscumque Reges & Principes qui se subtraxerunt ab obedientia illorum, quos isti vel isti iudicabant esse Summos Pontifices, quæ tamen subtractiones approbata sunt per sacrum Constantiense Concil. quedam expresse, quedam implicite vel æquiualeter.* Et sic resolutum dicunt in conuentu quodam Episcoporum Turonensi in Gallia, quod etiam vidi in hac forma. *Conclusum est per Concilium, Principem posse ab obedientia Papæ se subducere ac subtrahere:* (nimirum. ob causas grauissimas ibi assignatas) *non tamen in totum & indistincte, sed pro tuitione tantum ac defensione iurium suorum temporalium.* Quam eorum sententiam, non est meum condemnare, dum Ecclesia tolerat. *Concil. Constant.*

Alterà est, an fuerint causæ sufficientes in hoc Regno? Factum vidimus, sed nouimus illud Hieronymi: *Hier. Non queritur an factum, sed an bene factum fuerit.* Et illud Iuristarum, *Sententia non exemplis, sed iuribus fertur.*

Hoc tamen dato, licet à nullo Catholico concessio: adhuc quærendum esset, An saltem in modo non excesserint? multa enim de iure licita sunt, *cum moderamine inculpatæ tutela*, vt loquuntur Canones, quæ alias ex intemperantia actionis & defensionis culpam grauissimam subinde non euadunt.

Vtraque quæstio sine dubio grauissima est, & maximam meretur discussionem.

Quod si causa sufficiens non fuerit, vel terminos iustæ subtractionis excesserint, quanta pericula in tam diuturno schismate? hinc vtique omnia quantacunque mala sunt, originaliter ebullierunt. Catholici veriori & tutiori parti adhærere volentes, tam insufficientiam causæ, quam moderaminis excessum agnouerunt; ponderant vtique grauissimum illud Augustini, *prasidenda unitatis nulla est iusta necessitas*, l. 2. contra ep. Par.

Vtinam denuo, autoritate publica res pro dignitate (Puritanis non intermixtis) ex affectu readunationis perenderetur, & ad hoc singuli euoluant Augustinum contra Donatum. Scio illos hoc abhorrere. de quibus dicit Cassander (licet haud fatis affectus Romanæ Ecclesiæ) de officio pij viri. *Plerique ex eis, qui sibi ab Evangelio nomen sumpserunt, eam partem que vetus Catholicorum & Romanæ Ecclesiæ nomen retinet, prorsus aspernantur, omnemque eius communionem defugiunt, nec vt membra eiusdem corporis amore & misericordia prosequuntur* (quod nos à Puritanis hic experimur) *sed vt Satana & Antichristi corpus abominantur. Scio id equidem & doleo, & qui eiusmodi sunt, quomodo à schismatis (rectius dixisset, hæreticos) nota eximi possunt, non video.*

Cætera in Articulo sunt indubitata.

ARTIC. XXXVIII.

De illicita bonorum communicatione.

Facultas & bona Christianorum non sunt communia quoad ius & possessionem, (ut quidam Anabaptistæ falso iactant) debet tamen quisque de his quæ possidet pro facultatum ratione Pauperibus eleemosynas benignè distribuere.

PARAPHRASIS.

Catholicus est & pius.

ARTIC. XXXIX.

De iureiurando.

Quemadmodum iuramentum vanum & temerarium à Domino Iesu Christo & Apostolo eius Jacobo, Christianis hominibus interdictum esse fateamur: ita Christianorum Religionem minime prohibere censemus, quin iubente Magistratu in causa Fidei, & Charitatis iurare liceat, modò id fiat iuxta Prophetæ doctrinam, in iustitia, in iudicio & veritate.

PARAPHRASIS.

Catholicus est, in Scripturis fundatus, & praxi totius Ecclesiæ stabilitus.

Instudui, vt vides, pie Lector, reconciliare Articulos Confessionis Anglicæ, determinationibus Ecclesiæ Catholicæ; non Ecclesiam ipsis, ex quâ collapsi sunt; sed ipsos Ecclesiæ, in qua (Dei opitulante gratia) saluandi sunt, reducendos censui. Corticem verborum subinde censurâ grauiori dignum censebis, sensum vero latitantem, quem elicui, non adeo veritati dissonum, nisi aliò detorquere malint, rectè iudicabis. His tamen verborum nouitatibus, Christum lacerum inspexi, tunicam inconsutilem, dissutam, dissectam, reperi; quis non condoleret? quis non redintegrationem suaderet? omnibus modis, si posset, persuaderet? hic vnicus scopus meus. Ad hoc veni vt vides, *non in sublimitate sermonis*, (volebam enim mentem, non dictionem componere; rationem, non orationem dirigere) *non asperitate orationis*, (absinthia enim melle illiniuntur, vt pellant morbos) *sed pietate conciliationis* (charitatis scilicet visceribus, non fictis litibus veritas propugnatur) *palestram hanc Theologicam in Domino fretus, consendi.*

Gerf. Conf. 2. Omnia Ecclesiæ & eius sub Christo capiti quâ deo reuerentia submitto, & eo plus, quo dicit Gerf. Confid. 2. de Protestatione circa materiam Fidei: *Nullum esse vel fuisse de errore notatum, qui sic protestaretur*, (aut quod idem est) Ecclesiæ submitteret: vltro obtestor Deum & sanctos eius, me in hoc qualicumque opello nostro, animarum salutem per fidei redintegrationem, intendere. Quod Deus per viscera Domini nostri IESU CHRISTI, ad intercessionem omnium Beatorum opportunè efficiat; & Serenissimum Regem nostrum, *pro omnium Catholicorum votis*, ad vtramque fœlicitatem perducatur.

Si fortè inter scribendum subinde falsæ irrepsérint citationes, non mirandum: in multis vtique ob tem-

potis & loci tenuem commoditatem, non ipsos Authores, quos ad manus non habui, sed exscripta mea, quæ ob corruptiorem characterem aliquando vix legere licuit, consului. Huic etiam accedit, me amanuensis subsidio, nempe vt littera prælo accommodatior fieret, semper vsum, quem ob ignorantiam, errores etiam grauiores exiliisse, non raro aduertit. De prælo vero quid non timendum? vbi ob loci distantiam, nec Authori, vt correctioni Impressionis libere intendat, fas est. Sancte tamen dico, me numquam vt à partibus stet, vllum Authorem peruertisse, vel detruncasse, *pro veritate enim non nisi veritate certandum.*

F I N I S.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

2 1 1 1 7



INDEX
 SCRIPTVRARVM
 QVÆ IN HOC OPERE
 ADDVCVNTVR AD
 probandum, vel explicantur.

In quo littera P. Problema designat.

EX GENESI.



- AP. 15. vers. 6. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, p. 22. p. 21.*
 Cap. 17. v. 1. *Ambula coram me, & esto perfectus, p. 36.*
 Cap. 22. p. 16. *De Abraham in filij sui immolatione, &c.*

EX EXODO.

- Cap. 11. v. 2. p. 16.
 Cap. 20. p. 12.
 Cap. 32. *Quiescat ira tua, esto placabilis super malitia populi tui, recordare Abraham, Isaac & Iacob, &c. p. 37.*

EX DEUTERONOMIO.

- Cap. 3. *Mandatum quod ego precipio hodie, non super te est, p. 12.*

Cap. 6. Diliges Dominum Deum tuam, p. 12.

Cap. 10 p. 12. Mandatum, &c.

EX LIBRIS REGVM.

Lib. 1. Reg. c. 18. Vbi Augustinus probat exemplo Samuelis apparentis Sauli, spiritus defunctorum aliquando ad nos redire, p. 37.

EX IOB.

Cap. 15. v. 14. Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus à muliere, p. 26.

Cap. 5. v. 1. Voca ergo si est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere, p. 37.

EX PSALMIS.

Psal. 4. v. 6. Odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium, p. 14.

Verf. 7. Virum sanguinam & dolosum abominabitur Dominus, p. 14.

Psal. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui, p. 16.

Psal. 2. v. 5. Tunc loquetur ad eos in ira sua: & in furore suo conturbabit eos, p. 33.

Psal. 2. v. 11. Seruite Domino in timore. Apprehendite disciplinam, ne irascatur Dominus, & pereatis de via iusta, p. 30.

Psal. 31. vbi Aug. &c. p. 21.

Psal. 41. Abyssus abyssum inuocat, p. 27.

Psal. 67. vbi Aug. &c. p. 21.

Psal. 68. Fiat mensa eorum coram ipsis, &c. p. 32.

Psal. 70. v. 10. Cum deficiet virtus mea ne derelinquas me, p. 29.

Psal. 83. Vbi Aug. explicat verba Apostoli, &c. p. 18.

Psal. 85. Vbi Aug. &c. p. 37.

Psal. 108. Vbi idem, p. 37.

Pfal. 118. *Concupiuit anima mea desiderare, &c.* p. 32.

Pfal. 126. *vbi Aug. &c.* p. 30.

Pfal. 129. *vbi Hilarius, &c.* p. 37.

EX PROVERBIIS.

Cap. 8. *vbi Araus. 2. can. 4. &c.* p. 20.

EX PARALIP.

Lib. 2. *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* p. 7.

EX ECCLESIASTE.

Cap. 9. *v.* 1. *Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo. vtrum amore an odio dignus sit.* p. 27.

Vers. 2. *Sed omnia in futurum seruantur incerta.* p. 27.

Cap. 11. *Ante mortem ne laudes quemquam hominum.* p. 30.

EX CANTICIS.

Bernard. in serm. 22. *in Cant.* p. 26.

EX SAPIENTIA.

Cap. 1. *v.* 11. *Os autem quod mentitur occidit animam.* p. 14.

Cap. 2. *v.* 21. *Excacauit illos malitia eorum.* p. 33.

Cap. 7. *v.* 11. *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.* p. 35.

Cap. 8. *v.* 7. *Sobrietatem & sapientiam docet, & iustitiam & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus.*

p. 35.

Cap. 9. *v.* 21. *Et vt sciui quoniam aliter non possum esse continens nisi Deus det.* p. 10.

Cap. 11. v. 24. Deum dissimulare peccata propter paenitentiam, p. 21.

Cap. 19. Qui cito credit, leuis est corde, p. 15.

EX ECCLESIASTICO.

Cap. 15. v. 15. Adiecit mandata & praecepta sua vers. 16. si volueris seruare, &c. p. 12.

EX ISAIA.

Cap. 1. v. 14. Neomeniam, &c. p. 12.

Cap. 2. vbi Scot. in 4. d. 3. q. 4. &c. p. 15.

Cap. 8. v. 19. Annon quisque mortuos pro viuis consulturus est, p. 37.

Cap. 33. v. 17. Et erit opus iustitia, pax & cultus iustitia, silentium & securitas vsque in sempiternum, p. 27.

Vers. 18. Et sedit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta, p. 27.

Cap. 56. vbi Hieron. &c. p. 31.

Cap. 63. v. 17. Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos, p. 37.

Cap. 64. v. 6. & facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatae vniuersa iustitiae nostra, p. 12.

Cap. 65. v. 1. Inuentus sum à non quaerentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant, p. 20.

Cap. vlt. v. 24. Vermis eorum non morietur, p. 33.

EX IEREMIA.

Cap. 10. v. 23. Scio Domine quia non est hominis via eius: nec viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos, p. 7.

Cap. 18. v. 7. Loquar aduersum gentem & aduersum regnum, vt eradicem & destruam, & disperdam illud.

Vers. 8. Si paenitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum aduersus eam: agam & ego paenitentiam super malo quod locutus sum aduersus illam, p. 21.

Cap. 31.

Cap. 31. Dabo legem meam : in visceribus eorum , p. 15.

EX EZECHIELE.

Greg. in hom. super Ezech. p. 21.

Cap. 12. v. 12. Vbi Scot. 1. d. 17. q. 3. §. Contra istam ,
 &c. p. 26.

Ezech. vbi Basil. ad Chilonem , &c. p. 30.

EX OSEA.

Cap. 1. v. 2. Fac filios fornicationum , &c. p. 16.

EX DANIELE.

Cap. 3. Ne auferas à nobis misericordiam tuam , &c. p. 37.

EX MATTHÆO.

D. Thom. ex glossa Matth. 1. p. 35.

Cap. 5. v. 26. Non exhibis inde, donec reddas nouissimum quadrantem , p. 14.

Cap. 7. super quod Maldonatus , p. 10.

Cap. 8. v. 8. Dic verbum & sanabitur puer meus , p. 22.

Cap. 9. v. 22. Confide filii remittuntur tibi peccata tua , fides tua te saluam fecit , p. 22.

Cap. 10. Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit , p. 28.

Cap. 24. v. 24. Surgent enim Pseudo-Christi , & pseudo-Propheta: & dabunt signa magna , &c. p. 30.

Cap. 18. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus , p. 12.

Cap. 19. v. 17. Si vis ad vitam ingredi serua mandata , p. 12.

Cap. 18. v. 10. Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis : dico enim vobis, quia Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est , p. 37.

Cap. 19. v. 21. Si vis perfectus esse, vende omnia, & da pauperibus , p. 36.

EX MARCO.

Cap. 2. v. 5. *Fili, dimittuntur tibi peccata tua, p. 22.*

EX LUCÆ.

In cap. 1. Luc. ubi Ambrosius. Nouit Dominus mutare sententiam si noueris emendare delictum, p. 5.

Cap. 5. v. 12. *Domine si vis potes me mundare p. 22.*

Cap. 5. *Fili remittuntur tibi, &c. p. 22.*

Cap. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum, cui autem minus dimittuntur minus, diligit. p. 22.*

Cap. 8. ubi Ambr. l. 10. *Fleuit amarissime Petrus, p. 21.*

Maldonat. super c. 17. v. 10. &c. p. 12.

Cap. 17. v. 10. *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis dicite serui inutiles sumus. p. 36.*

EX IOANNE.

Cap. 1. ubi Lyra, &c. p. 21.

Aug. l. 1. de Trin. super illa uerba Ioan. Ipse pater amat uos. p. 21.

Cap. 3. v. 36. *Qui incredulus est filio, non habet uitam æternam, p. 15.*

Cap. 1. v. 5. *Omnis qui credit quoniam Iesus est Christus, ex Dco natus est. Qui credit in filium Dei, habet filium Dei in se, p. 22.*

Cyril. in 9. c. ubi dicit, ianua & uia in uitam fides est, p. 22.

Cap. 10. *Si mihi non uultis credere operibus credite, p. 9.*

Cap. 11. v. 25. *Qui credit in me: etiam si mortuus fuerit, uiuet, p. 22.*

Cap. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere, p. 10. & p. 12.*

Uers. 5. Ego sum uitis: & uos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.

Cap. 15. v. 22. *Si non uenissem & locutus eis fuissem peccatum non haberent, p. 15.*

Cap. 15. v. 17. *Hec mando vobis vt diligatis inuicem, p. 22.*

Cap. 22. *Vt p. 37. etiam Aug. in Ioan. p. 37.*

EX ACTIS APOSTOLORVM.

Cap. 8. v. 37. *Credo filium Dei esse Iesum Christum, p. 22.*

Cap. ves. 15. *Vt portent nomen meum coram gentibus & regibus
& filijs Israel, p. 22.*

Cap. 10. v. 6. *Hic dicit tibi quid te oporteat facere, p. 15.*

*Vers. 4. Corneli, exaudita est oratio tua, & elemosynae tuae
commemoratae sunt in conspectu Dei, p. 21.*

Cap. 13. v. 38. *Ab omnibus quibus non potuisti in lege Moysi
iustificari, v. 39. In hoc omnis qui credit iustificatur, p. 22.*

Cap. 15. *Per fidem purificari corda & obtineri vita aeterna hereditatem, p. 22.*

EX EPIST. AD ROMANOS.

Ambros. in c. 1. p. 37.

Cap. 2. v. 14. *Cum enim gentes quae legem non habent, naturaliter ea qua legis sunt faciunt: eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, p. 7. p. 15. & p. 16.*

Cap. 3. v. 9. *Omnes sub peccato esse, p. 10.*

Vers. 28. Arbitramur enim hominem iustificari per fidem sine operibus legis, p. 22.

Vers. 27. Vbi est ergo gloriatio tua? exclusa est. per quam legem? factorum? non: sed per legem Christi, p. 22.

Cap. 3. *Fides ex auditu, p. 15.*

Vers. 31. Legem ergo destruimus per fidem? absit: sed legem statuimus, p. 22.

Cap. 4. *Vbi Ambros. Impium venientem ad Christum, p. 22.*

Cap. 4. 23. *Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad iustitiam, p. 22.*

Vers. 24. Sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitauit Iesum Christum a mortuis, p. 22.

Aug. in cap. 4. ad Rom. p. 22.

Cap. 4. 7. *Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, p. 26.*

Cap. 5. v. 20. *Lex autem subintravit ut abundaret delictum,*
p. 22.

Trid. in Rom. 5. sess. 6. c. 8. p. 22.

Cap. 5. v. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obedientiam, iusti constituentur multi,* p. 26.

Cap. 8. v. 18. *Non sunt condigna passionis huius temporis, &c.*
p. 16.

Cap. 8. v. 35. *Quis nos seperabit à charitate Christi,* p. 30.

Vers. 38. & 39. *Nam mihi persuasum est neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque rem ullam aliam creatam posse nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu, &c.* p. 30.

Cap. 8. *Vbi electos appellat: Sanctos vocatos secundum propositum.* p. 2.

Vers. 33. *Deus qui iustificat.* p. 22.

Vers. 16. *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei,* p. 27.

Vers. 35. *Quis nos separabit à charitate Christi,* p. 30.

Cap. 9. v. 11. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret.)*

Vers. 12. *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori.*

Vers. 13. *Sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui,* p. 2.

Cap. 10. v. 3. *& querant suam statuere iustitiam, & Dei iustitiæ non sunt subiecti,* p. 22. p. 26.

In cap. 10. *Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum, &c.* p. 7.

Cap. 10. v. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo audient sine predicante,* p. 15.

Cap. 10. *Vbi Vasquez sic exponit. Si enim gratia iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia,* p. 21.

Trid. sess. 6. c. 8. ad Rom. II. p. 24.

Cap. 13. v. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit,* p. 15.

Ibid. v. 10. *Plenitudo ergo legis est dilectio,* p. 22.

Cap. 15. v. 14. Certus sum, fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, p. 27.

EX PRIMA AD CORINTHIOS.

Cap. 1. v. 30. Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu qui factus est nobis & sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, p. 26.

Cap. 3. 7. Charitas nunquam excidit, p. 30.

Cap. 4. Quid autem habes quod non accepisti? p. 10.

Ibid. v. 3. Mihi autem pro minimo est, ut à vobis iudicer, aut ab humano die, sed neque meipsum iudico.

Vers. 4. Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum, qui autem iudicat me, Dominus est, p. 27.

Cap. 6. ut p. 22.

Cap. 6. v. 11. Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, &c. p. 26.

Cap. 7. v. 7. Vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem, sic alius vero sic, p. 36.

Vers. 37. Nam qui statuit in corde suo firmus non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis, & hoc iudicavit servare in corde suo virginem suam bene facit. eodem, p.

Vers. 38. Igitur & qui matrimonio iungit Virginem suam, bene facit: & qui non iungit melius facit. eodem, p.

Cap. 9. v. 16. Nam etsi euangelizauero, non est mihi gloria. necessitas enim mihi incumbit, p. 36.

Vers. 18. Quae est ergo merces mea? ut Euangelium predicans, sine sumptu ponam Euangelium. eodem, p.

Cap. 10. v. 31. Omnia in gloriam Dei facite, p. 10.

Cap. 12. v. 3. Nemo potest dicere, Dominus Iesus nisi in Spiritu sancto, p. 8. p. 10.

Cap. 13. v. 2. Sine charitate nihil sum, p. 10.

EX SECVNDA AD CORINTHIOS.

Cap. 3. v. 5. Non quod sufficientes sumus cogitare aliquod à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra à Deo est, p. 10. p. 12.

Cap. 5. v. 21. Eum qui non nouerat peccatum sc. Christus pro nobis peccatum fecit, &c. p. 12. & eodem vers. ut nos efficiemur iustitia Dei in ipso, p. 26.

EX EPIST. AD GALATAS.

- Cap. 3. v. 6. Abraham credit Deo & reputatum est ei ad iustitiam. p. 22.
- Vers. 7. Cognoscite ergo quia qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ, p. 22.
- Vers. 8. Prouidens autem scriptura, quia ex fide iustificat Gentes Deus: prænuñciauit Abrahæ, quia benedicentur in te omnes Gentes. eodem probl.
- Vers. 9. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. eodem probl.
- Ibidem v. 10. Quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, &c. p. 10.
- Ibid. v. 27. Quicumque enim in Christo baptizati, estis Christum induisti. p. 22.
- Cap. 2. Fides per dilectionem operatur, &c. p. 22.
- Cap. 5. v. 17. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, &c. p. 12.

EX EP. AD EPHESIOS.

- Cap. 1. v. 5. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, &c. p. 1. p. 22.
- C. 2. ubi Trid. sess. 6. can. 8. &c. p. 21.
- Cap. 3. v. 17. Christum habitare per fidem in cordibus vestris in charitate radicati & fundati. p. 22.

EX EP. AD PHILIPENS.

- Cap. 2. v. 13. Deus enim est, qui operatur in vobis & velle & proficere pro bona voluntate, p. 10. p. 20.

EX EP. AD COLOSSENS.

- Cap. 1. v. 12. Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, p. 26.

Verf. 13. Qui eripuit nos de potestate tenebrarum & transtulit in regnum filij dilectionis sue. eodem p.

Cap. 3. v. 5. Concupiscentiam, &c. p. 12.

Ibid. ver. 14. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. p. 22.

EX EP. AD TITVM.

Cap. 3. ubi Trid. sess. 6. c. 8. &c. p. 21.

EX EP. AD HEBRÆOS.

Ambros. in c. 4. Sola fides non sufficit, p. 22.

C. 6. v. 4. Impossibile enim est eos, qui semel sunt illuminati, & gustauerunt etiam donum cælestis & participes facti sunt Spiritus sancti. p. 30.

*Verf. 5. Gustauerunt bonum Dei verbum, & virtutes futuri se-
si prolabantur denuo renouari ad resipiscentiam, p. 30.*

Cap. 11. v. 6. Sine fide impossibile est placere Deo, p. 22.

Et in p. 37. ibidem. Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis.

EX EPIST. IACOBI.

Cap. 1. v. 14. Vnusquisque tentatur à concupiscentia abstractus, & illectus. p. 12.

C. 1. v. 15. Peccatum cum consummatum fuerit generat mortem, p. 14.

C. 2. v. 26. Sicut corpus sine spiritu mortuum est: ita & fides sine operibus mortua est. p. 22.

EX EPIST. PETRI.

1. Epist. c. 4. v. 8. Ante omnia autem mutnam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum, p. 22.

EX PRIMA IOAN.

Cap. 2. v. 19. *Ex nobis prodierunt : sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, p. 30.*

Cap. 3. v. 8. *Qui facit peccatum ex Diabolo est, &c. p. 14.*

Cap. 3. v. 14. *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres, &c. p. 22.*

Cap. 3. v. 9. *Qui natus est ex Deo non peccat, quoniam semen ipsius manet in eo, &c. p. 30.*

EX APOCALYPSI.

Cap. 12. v. 4. *Vidimus stellas de cælo cecidisse ab impetu ferientis caudæ draconis, & eos qui iacebant in terra, à facie sublevantis manus diuinæ mirabiliter ascendisse : vidimus viuos, & mortuos à morte resurgentes, p. 30.*



INDEX

AVTHORVM

EX QVORVM DOCTRINA
confectum est hoc opus.

A



Bulensis.
Achillinus.
Adrianus.
Ægidius Ro-
manus.
Altifiodorensis.
Alensis.
Alvarez.
S. Ambrosius.
Ambrosius Catherinus.
Alex. Aphrodisæus.
Andreas de nouo Castro.
Andreros.
Angles.
Anselmus.
Aragon.
Arcudius.
Aristoteles.
Auerroes.
D. Augustinus.
Aurcolus.
Azorius.

B

BAnnes.
D. Basilius.
Bassolis.
Becanus.
Beda.
Bayus.
Bellarminus.
Bernardus Diaz.
D. Bernardus.
Bodinus.
Böetius.
D. Bonauentura.
Bertius.
Brugensis.
Buerus.

C

CHaranza.
Cælestinus.
Caluinus.
Caietanus.

Camillus Borellus.

Canus.

Carthusianus.

Capreolus.

Casalius.

Cassianus.

Castro.

Casaubonus.

Ceuallus.

Chrysofomus.

Clemens.

Clemens Alex.

Cicero.

Commentator.

Comment. Cæsaris de bello Gallico.

Conf. Anglica.

Conink.

I. { Nicenum.

6. { Lateranense.

II. { Florentinum.

2. { Arausicanum.

4. { Carthaginense.

10. } Constant.

3. } Mileu.

12. } Trid.

8. { Senonense.

7. { Valent.

9. { Viennense.

5. { Tolet.

Sardicense.

Hierosolymitanum.

Corduba.

Couellus.

Cornelius Papa.

Cremoninus.

Cyprianus.

Cyrillus.

Curiel.

Curopalata.

D

D'Aluin.

Denis.

Durandus.

Dionysius Arcop.

Duuallius.

E

E Stius.

Emanuel.

Eliphad Themanites.

Estius.

Eusebius.

Eustathius Sebastienus.

F

F Aber Fautentinus.

Ferdinandus.

Foxius.

Fulvius Pacianus.

S. Fulgentius.

Franciscus Mirandula.

G

G Abriel.

Gerson.

S. Gregorius Magnus.

Greg. de Arimino.

H.

H Arpsfeldus.
Hampronienses articuli.

Hieronymus.
Henricus de Gandauo.
Helias.

Herrera.
Hilarius.
Hookerus.
Hugo de S. Victore.
Horantius.

I

Iacobus.
Iandunus.

Innocentius I.
Innocentius III.
Innocentius IV.
Ieremias Patriarcha.
Ioan. de Parisiis.
D. Ioannes.

Ioan. 22.
Ioannes Duns Scotus.

Irenæus.
Isidorus.
Iuellus.

K.

K Emnitius.
Ellifonius.

L

L Aimannus.
Leo.

Lessius.
Lychetus.
Lyra.
Linrood.

M

M Athæus Paris.
Math. Vvestmonast.

Magister.
Maldonatus.
Marfilius.

Martinus de Magistris.
Martinus 5.

Maximus Taurinensis.
Mayronius.

Medina.
Meuris.

Montacutius.
Molina.

Mirandula.
Miranda.

N

N Auarrus.
Nazianzenus.

Nilus.
Nicephorus.
Nyssenus.

O

O Cham.
Origenes.

Ouando.
Ouerel.

Yy ij

P

PAnormitanus.
Perkinsius.
Petigianis.
Peronius.
Prosper.
Posnaniensis.

R

RAynoldus.
Rubion.
Richardus de S. Victore.
Richardus Smitheus.
Richardus de media villa.
Roffinus.
Rozolla.
Rupertus.
Robertus Holcoth.

S

SA.
Salzedo.
Scholastici.
Scholiator.
Simancas.
Smising.
Socrates.
Soto.
Sozimus.

Smigletius.
Stapletonus.
Suarez.

T


Tannerus.
Themistius.
Theophylactus.
D. Thomas.
Thomas Morus.
Tho. à Iesu.
Theodoretus.
Trithemius.
Tertulianus.
Turrecremata.

V

VAlentia.
Vasquez.
Vega.
Vellofillus.
Vincentius Lerinensis.
Vniuersitas Louaniensis.
Vulpes.
Vvalsingamus.
Vvaldensis.
Vwhite.

Z

Zanchez.



T A B V L A

PROBLEMATVM,
 QVÆSTIONVM ET RERVM IN
 hoc libro memorabilium.

*Paginas in hac Tabula indicare, Lector, tantum non
 superfluum esse putauimus, quia eodem fere tenore
 & sequela, quacumque libuerit, reperire poteris, pro-
 ut in indice problematum quem Author ipse collegit,
 habentur.*

PROBLEMA PRIMVM
 de Prædestinatione Sanctorum.

P Prædestinationis defi-
 nitio Augustini.

Ad quam potentiam per-
 tinet.

Definitio Scoti.

Definitio Confessionis An-
 glicæ.

Scientia Dei quotuplex.

Scientia simplicis intelli-
 gentiæ quid.

Scientia cōditionata quid.

Scientia visionis quid.

Prouidentia diuina quid.

Ad quam potentiam per-
 tinet.

Angeli an Prædestinati.

Christus an Prædestinatus.

An caput omnium Præde-
 stinatorum.

An Prædestinatio eius ab-
 soluta.

PROBLEMA II.

De causis Prædestinationis.

Hæreticorum diuersitas de
 causis Prædestinationis.

An detur causa decreti di-
 uini.

Priscillianistæ quid tenuerunt
 circa Prædestinationem.

Pelagiani quid.

Semipelagiani qui tenuerunt
 circa Prædestinationem.

Iudæi conuersi quid.

Augustinus quid tenuit aliquando circa Prædestinationem.

Angli quid tenent hodie circa causas Prædestinationis.

Prædestinatio, an supponat scientiam conditionatam.

Paulus quid senserit de causis Prædestinationis.

Quid Augustinus cum senior esset.

PROBLEMA III.

An, & Quomodo concilientur Dei decretum & libertas humana.

Conciliatio decreti diuini cum libertate.

Decretum Dei, animmutabile.

Decretum ad quid se extendit.

Opus Dei ad extra, an contingens.

Causalitas voluntatis libera.

Voluntas Dei æterna quid.

Concurfus Dei cum causis secundis quid.

Prædeterminatio physica an detur.

Ordo decreti diuini ad voluntatem humanam.

Deus quomodo independens in causando.

Paruuli quomodo saluantur, & quomodo cooperatur Deus sine eorum voluntate.

Scientia Dei an & quomodo sit eadem.

Conciliatio decreti diuini cum libertate humana an obscurissima.

Philosophi probabilibus rationibus contenti potius quam principiis Philosophiæ contradicerent.

Scientia Dei an causa rerum.

Quomodo Deus scit alia extra se secundum philosophos.

Si Deus agat necessario, an impediatur libertatem humanam.

Ordo decretorum Dei.

An Deus habeat actionem secundum philosophos.

PROBLEMA IV.

An voluntas diuina possit velle aliquid nouum, &c.

Aliter se habere secundum esse rationis an sit mutatio.

Idem actus Dei an contin-

gens & necessarius & quomodo.

Deus eodem actu potest Iudam saluare & damnare, quomodo.

Deus an potest scire aliquid hodie quod non heri.

PROBLEMA V.

De libero arbitrio.

Libertas in quo consistit. Libertatem an posuerunt philosophi.

Libertas an sit in appetitu sensitiuo.

PROBLEMA VI.

Ad quos actus tendat nostra libertas. An ad veritates speculativas potest attingi viribus liberi arbitrij.

PROBLEMA VII.

Quid de veritatibus practicis.

Prosper maximus diuinæ gratiæ propugnator.

PROBLEMA VIII.

Quid de veritatibus supernaturalibus.

An habeat vires ad eas vt oportet.

PROBLEMA IX.

An possumus viribus liberi Arbitrij assentire veritatibus supernaturalibus vt reuelatis à Deo.

Fides humana potest tendere in obiecta supernaturalia vt reuelata.

Fides diuina & humana distinguntur ab intrinseco, quomodo.

Quid est obiectum formale fidei.

Reuelatio, an sit conditio eius.

Ecclesiæ propositio, qualiter requiratur.

Hæretici, an habeant fidem diuinam.

PROBLEMA X.

De moralitate Actuum.

Moralis actus quid.

Opus morale non necessa-
rio referendum in Deum.

Auxilium speciale requiri-
tur ad recte referendum
actum in Deum.

Auxilium speciale non re-
quiritur ad opus mora-
le in se.

An Ethnici habuerint veras
virtutes secundum Au-
gustinum.

In quo consistit ratio virtu-
tis.

PROBLEMA XI.

*Quanta latitudo in usu liberi
Arbitrij quoad moralia.*

Aliqua opera moralia non
difficilia potest voluntas
de se.

Quid de hoc determinavit
Concilium Arausicanum.

PROBL. XII.

*De possibilitate Manda-
torum.*

Amari potest Deus super
omnia viribus naturæ &
quomodo.

Præceptum supernaturale
amandi Deum non po-
test impleri sine gratia.

Quomodo potest in hac vi-
ta adimpleri secundum
Scotum.

Aliquid dicitur efficax du-
pliciter.

Deus est dupliciter princi-
pium & finis.

Præceptum de receptione
Sacramentorum non ad-
impletur sine gratia.

Homo potest non teneri
amplius ad Præceptum
quod non implevit.

Præcepta non adimplen-
tur nisi actu humano.

Intentio habitualis non
sufficit ad actum huma-
num.

Auxilium sufficiens nulli
negatur ad vitandum
peccatum mortale.

An peccet homo si non ha-
buerit gratiam sufficien-
tem.

Adimplentionem omnium
mandatorum concomi-
tatur gratia.

Veritas Theologica quo-
modo differt à fide.

Deus potest amari supra
omnia appetitiuè à
viatore.

Differentia inter amorem
intensiuum & appetia-
tiuum.

Præceptum amandi Deum
potest impleri, quoad
substantiam, non quoad
circumstantiam.

An opera vlla meritoria
possunt fieri sine auxilio
Dei.

Noua applicatio passionis
Christi, ad quid requi-
tur.

Con-

Cōcupiscentia, an & Quo-
modo est peccatum.

Quo sensu sancti dixerunt
peccatum originale esse
concupiscentiam.

In statu naturæ puræ, an
fuiſſet non subordinatio
potentiarum.

Stellæ quantum agunt in
eos.

Iustitiæ originalis qui effe-
ctus.

Inclinatio ad peccatum, an
à Deo.

PROBLEMA XIII.

*An violatio unius præcepti sit
gravior quam alterius.*

An & quomodo est inæ-
qualitas in peccatis.

PROBLEMA XIV.

*An violatio eiusdem præcepti
potest esse subinde mortalis
& venialis.*

Veniale peccatum quotu-
plex.

Quomodo dignoscendum
à mortali secundum Sco-
tum.

Peccatum veniale, an pro-
priè sit peccatum.

Quomodo est contra le-

gem Dei, & quomodo
contra consilium.

Quomodo differt mortale
à veniale secundum Ri-
chardum à sancto Vi-
ctore.

Peccatum veniale solum
meretur de iustitia tem-
poralem pœnam.

Dari venialia est de fide in
Tridentino & Mileu.

PROBLEMA XV.

*An potest dari ignorantia in-
vincibilis legis Dei.*

Lex quotuplex & singula-
rum definitio.

Ignorantia quid & quotu-
plex.

Negligentia & ignorantia
quomodo differunt.

Ignorantia prauæ disposi-
tionis quid.

Ignorantia probabilis &
invincibilis quid & quo-
modo differunt.

Invincibilis quid.

Crede quando actus im-
prudentiæ.

Necessitas medii & præ-
cepti quid & quomodo
differunt.

Fidei an potest dari igno-
rantia non excludens à
cœlo.

Prælati ad quid teneantur
in instructione subdito-
rum.

Quinam articuli sint de
præcepto.

Ignorantia prauæ disposi-
tionis contra articulos
fidei, quando non est
peccatum.

An in Anglia potest dari
talis de articulis contro-
uersis.

Quæ & quando diligentia
requiritur ad purgandū
intellectum erroneum.

Quando excusatur subdi-
tus credendo suo doctori
errores prædicanti.

PROBLEMA XVI.

*An potest inculpabiliter igno-
rari lex naturæ & decalogi.*

Prima principia dantur in
practicis, sicut in specu-
latiuis.

Lex naturæ potest igno-
rari.

Præcepta legis naturæ tri-
plicia.

Furtum potest ignorari ex-
cusabiliter esse pecca-
tum: etiam aliqua gene-
ra homicidiorum.

Mentiri an liceat pro sal-
uanda vita.

An potest Deus dispen-
sare in lege naturæ &
quomodo.

PROBLEMA XVII.

De Iustificatione.

PROBLEMA XVIII.

De Merito.

*An detur, an quotuplex sit
Meritum.*

Meritum de condigno
quid & quomodo differt
à congruo.

Ratio formalis meriti.

Qualis iustitia inter Deum
& homines.

PROBLEMA XIX.

De Auxilio speciali.

Quid sit auxilium speciale
& concursus generalis.

Quomodo differunt.

An detur actio transeuns
in Deo.

PROBLEMA XX.

*An potest dari aliquod meritū
seu dispositio ad iustificationē.*

Errores Pelagii circa me-
ritum.

Etiam Semipelagianorum
Dispositiones ad formam,
sunt à producente for-
mam.

Quo sensu veteres Theo-
logi locuti sunt de con-
cursu.

PROBLEMA XXI.

*An habita prima gratia a-
ctuali potest homo ulteriora
auxilia mereri de congruo,
& tandem iustificationem.*

Ad primam gratiam actua-
lem nulla dispositio.

Differentia credentis, &
non credentis in ratio-
ne meriti secundum
Augustinum.

Opera facta ex fide meren-
tur de congruo iustifica-
tionem.

Opera facta ex fide meren-
tur gratiam ulteriorem.

An & quomodo gratia sit
gratia & tamen ex me-
ritis.

Quotupliciter sumitur iu-
stificatio in Conciliis &
patribus.

Etiam quotupliciter se-
cundum Vasquez.

In quo sensum Tridenti-
num negat dare vllum
meritum iustificationis.

Confessio Anglicana admit-
tit meritum de congruo
ad iustificationem, &
de condigno ad glo-
riam post iustificatio-
nem.

PROBLEMA XXII.

An fides sola iustificet.

Hæresis antiqua de iusti-
ficatione per fidem so-
lam quomodo differt
ab hæresi hodierna.

Fides est initium iustifi-
cationis.

Dilectio Dei & proximi
iustificat.

Pœnitentia & aliæ virtu-
tes cooperantur iustifi-
cationi.

Quæ erat fides Abra-
hæ, quæ iustificabat
eum:

Quæ fides est ab Apostolis
prædicata.

Quid est lex fidei, & quo-
modo iustificat.

Quomodo legi factorum
opponitur lex fidei.

Vetus testamentum vo-
catur lex factorum.

Nouum lex fidei qua-
re?

Cuius potentia est fiducia

hæreticorum, & cuius est. iustificans Pauli.

PROBL. XXIII.

De iustitia imputatiua, an iustitia nostra formaliter sit iustitia Christi nobis imputata, vel alia nobis infusa.

PROBL. XXIV.

An Deus de potentia absoluta potest hominem iustificare non infundendo gratiam.

Peccatum post actum manens, est entitas moralis non physica.

Peccatum habituale non est denominatio extrinseca ex Trid.

Quomodo differt peccatum originale à peccato Adæ.

Peccatum habituale est quid reale, non entis sed moris.

Quomodo dicitur à Doctore peccatum esse reatum ad pœnam.

Peccatum potest deleri, sine actu, vel mutatione peccatoris.

Quomodo dicitur Deum conferuare peccatum.

An potest deueniri à contradictorio ad contradictorium sine mutatione subiecti.

Priuatio potest tolli, sine positione formæ.

An, & quomodo potest destrui ens rationis, sine destructione entis realis in subiecto.

Peccatum potest deleri, sine infusione gratiæ.

Peccatum, & gratia non physicè opponuntur.

Peccator potest fieri iustus sine gratia.

Esse gratum Deo sumitur dupliciter.

Potest manere peccatum, sub ratione formali eius & non puniri.

Potest peccator beatificari manente peccato formaliter de potentia Dei.

Peccator conuertitur ad Deum dupliciter.

PROBL. XXV.

Quomodo distinguuntur potentia absoluta, & ordinata in Deo.

Quid est obiectum formale potentiæ diuinæ.

PROBL. XXI.

An iustificatio peccatoris consistat in interna renouatione animi ac sanctificatione per iustitiæ inhesionem, vel sô-

PROBL. XXVII.

lum in peccatorum occultatione per Christi iustitiæ imputationem.

In omni motu duæ mutationes.

Quid est motus.

Duæ mutationes in motu à Deo sunt separabiles.

Quomodo infusio gratiæ est prior & posterior remissione peccati.

Sanctificatio quomodo distinguitur à iustificatione secundum Calvinum.

Beatitudo quot modis sumitur in Scripturis.

Motus à quo termino denominatur.

Deus omnia facit perfectè.

Quomodo dicitur potentia seu sanctificatio Dei, nostra.

Iustificatio est per gratiam inhærentem.

Quod modis sumitur iniustitia.

Quomodo sunt duæ formæ à quo habet sumi denominatio.

quo sensu possumus dici iusti à iustitia Christi imputata.

An dentur denominationes extrinsecæ.

In iustificatione peccatoris duæ sunt actiones Dei.

De incertitudine Gratiæ. An viator potest esse certus se esse in gratia, seu esse iustificatum.

quotuplex certitudo.

quomodo differunt fides, & scientia.

Veritas quid est.

Certitudo fidei excedit omnem aliam certitudinem.

Fides humana non gignit certitudinem firmam.

Quid & quomodo differunt certitudo moralis & conjecturalis.

Hæretici volunt nos habere certitudinē fidei diuinæ nostræ iustificationis.

An differat Catherinus ab hæreticus.

qualis certitudo promissa fuit ab Esaia pro tempore Christi in animabus iustorum.

Secundum sanctos Patres est solum certitudo spei de gratia Christi.

Vel moralis excludens timorem, secundū Vegā.

In quo consistit certitudo Theologica.

Nec habemus scientiā nec fidem diuinam nos habere fidem.

An eadem ratio de spe.
Non potest haberi fidei
certitudo de dispositio-
nibus ad iustitiam.

PROBL. XXVIII.

De Perseuerantia.

Quod modis sumitur perse-
uerantia & motus.

qui dat perseuerantia ho-
mini.

In quibus consistit perse-
uerantia.

An detur in aliquo priori
ad mortem.

quomodo distinguuntur
gratia efficax & sufficiens.

In quo consistit ratio cau-
sæ vt sic.

quomodo distinguitur per-
seuerantia à gratia effi-
caci, à gratia habituali,
& dono confirmationis.

PROBL. XXIX.

*An & quomodo hoc donum per-
seuerantia cadat sub meri-
tum.*

Iustus potest de congruo
mereri suam reparatio-
nem à peccatis.

PROBL. XXX.

*An iustus potest finaliter
cadere.*

PROBL. XXXI.

*An virtutes Morales sint
connexæ.*

quotupliciter potest sumi
virtus secundum D. Tho-
mam.

quid virtus superaddat ra-
tioni habitus.

quomodo virtutes necessa-
rio connectantur in om-
ni sententia.

Status virtutis, an differat
ab ipsa virtute.

Status virtutis quid est se-
cundum Valentiam.

PROBL. XXXII.

*An prudentia potest esse sine
virtute Morali.*

quod modis habet pruden-
tia sumi.

quomodo differt scientia
practica à prudentia.

Prudentia definit virtutem
moralem.

quod prius non dependet à
posteriori.

Prudentia non est solum
de medijs, sed de fine in
particulari.

Non est consilium de fine
in vniuersali.

Quid est synderesis.

Potest esse rectum dicta-
men practicum in intel-
lectu, & mala electio in
voluntate.

Prudentia potest esse sine
virtute morali.

Thomistæ dant tres actus
prudentiæ.

Quomodo differunt iudi-
cium, & imperium apud
Thomistas.

An iudicium practicum
prædeterminet volun-
tatem.

Prudentia & sagacitas quo-
modo differunt.

PROBL. XXXIII.

*An, &, Quomodo malitia vel
peruersitas in voluntate
potest excæcare intel-
lectum.*

Voluntas praua prauatiue
& positiue excæcat in-
tellectum quomodo.

Quomodo potest esse error
deceptiuus in intellectu.

An voluntas potest sibi
præstituerè malum finè.

PROBL. XXXIV.

*An virtutes Theologica neces-
sario requirant virtutes mo-
rales infusas, &, an tales
sint.*

Virtutes Theologicæ non
necessario connectun-
tur cum moralibus, nec
quoad actum vel habi-
tum.

Cõtritus habet tres Theo-
logicas simul infusas.

Virtutes morales infusæ,
an sint.

An paruulus habebit vir-
tutes morales in patria.

An potest acquirere eas in
patria, vel an infundun-
tur in instante beatitu-
dinis.

Paruuli non habent omnẽ
scientiam in genere pro-
prio, in patria.

Quid finis infusarum virtu-
tum.

Paruuli possunt acquirere
scientiam in cœlo.

Cõtrouersia in Viennensi,
fuit de infusione fidei,
spei, & charitatis non
de virtutum moralium.

Virtus pœnitentiæ & reli-
gionis non sunt infu-
sæ.

Quid requiritur ad infu-
sam virtutem.

Ratio formalis iustitiæ
quæ.

Pœnitentia & religio con-
tinentur sub iustitia.

PROBLEMA XXXV.

*An virtutes Theologicæ sint
inter se connexæ.*

Quicquid potest separari
ab altero in esse, potest
à Deo in fieri.

Deus neminem sanat, nisi
perfecte.

Neminem sanavit corpo-
raliter, quem non spiri-
tualiter.

Non necessario connectū-
tur virtutes Theologi-
cæ.

Charitas sola diuidit inter
filios Dei & diaboli.

Fides & spes sunt virtutes
sine charitate.

Virtutes intellectuales, si
non subordinati non
connectuntur.

PROBLEMA 36.

De operibus Supererogationis.

A Christo instituta sunt
consilia.

Iustus potest implere ali-
qua consilia. vltra man-
data.

Executio consiliorum ad
bene esse requiritur mā-
datorum adesse simpli-
citer.

Serui inutiles sūmus diuer-
simode exponitur.

Quomodo omnia Deo de-
beamus;

Quomodo sumus Domini
nostrorum actuum.

PROB. 37. & VLT.

*De Inuocatione Sanctorum,
an liceat inuocare Sanctos.*

Catholici nunquam inuo-
carunt Sanctos vltima-
te. Quid hoc importet
explicatur.

Veteres putarunt animas
sanctorum adhuc esse
extra cœlum.

Veteres quam caute my-
steria fidei Neophitis
commiserunt.

An Patres inuocabant san-
ctos, dum eorum me-
morias in altari facie-
bant.

Inuocatio sanctorum in
Trid. expressissime defi-
nita: sensus etiam Ec-
clesiæ ex Carthaginense
5. de-

5. declaratur.

Litanæ quam antiquæ.

An commentarii in Romanos vulgariter Ambrosio imputati, sint eius.

Consensus Patrum de inuocatione Sanctorum. etiam ab hereticis agnoscitur antiquus vsus multorum.

Diuersæ opiniones inter DD. Catholicos de modo inuocandi Sanctos.

Diuersæ opiniones de modo audiendi ex parte Sanctorum.

Quomodo Deus reuelat Sanctis preces nostras.

An Angeli & animæ separatæ, restringantur ad certam distantiam in a-

ctionibus suis.

Vnde prouenit determinatio spheræ actiuitatis in omnibus agentibus naturalibus.


Græci hodie inuocant Sanctos.

Quomodo animæ defunctorum ignorant actus nostros secundum Augustinum.

Miracula semper fiebant ad sepulchra Sanctorum.

An licet inuocare hunc Sanctum pro speciali genere curationum, & alium pro alio.

Sensus Articuli Confessionis Anglicæ.



INDEX

EXPOSITIONIS

PARAPHRASTICÆ.

Articulus sextus.

QVI libri sint Canonici. An sapiat hæresim negare aliquos ex Canonicis.

Qui tenuerint spectare ad seriem Patrum, & fidelium ab Apostolis succedentium, declarare sacros libros, & non ad Concilia.

Art. 15.

An omnes sancti excepta
B. Virgine habuerint
peccatum.

Art. 19.

An sit contra fidem, Ec-
clesiam Romanam er-
rassie: quotupliciter su-
mitur Ecclesia Romana

Art. 20.

An penes Ecclesiam fue-
rit, ritus & ceremonias
instituire, & controuer-
sias dirimere.

An Ecclesia sit conserua-
rix scripturæ: Quomo-
do Ecclesia potest defi-
nire articulos fidei.

Art. 21.

quo sensu requiratur iussio
Principum ad Concilia
celebranda.

quo sensu habent Conci-
lia infallibilitatem in de-
finiendo, & in quo sensu
errare possunt.

Art. 24.

Quid intellexit Paulus ad

Corinthios, dum repre-
hendit preces in linguis
extraneis.

An moris fuit antiqui in
vulgaribus preces publi-
cas celebrare.

An sit hæresis damnare
modum ab Ecclesia in-
stitutum de celebrando
officia publica in Lati-
na lingua.

Quis est sensus Trident.

Art. 35.

An Græci vnquam nega-
rint 7. Sacramenta.

An sit differētia inter Bap-
tismum & Eucharistiam,
& reliqua Sacramenta.

quomodo obligantur fide-
les ad singula verba defi-
nitionibus Conciliorum
annexa.

Art. 28.

In quo sensu omnes Chri-
stiani fatentur Concilia
esse infallibilis veritatis.

An Lateranense fuit rece-
ptum in Anglia.

qua adoratione colendum
est venerabile Sacra-
mentum.

An ipse relationes diuinæ
sunt ratio formalis ado-
rationis in Deo.

An sit hæresis reprobare
vsum Ecclesiæ, circum-
gestandi venerabile Sa-
cramentum.

Art. 29.

Quoties Christus porrexit
panem Iudæ, & an sem-
per consecratum, seu
corpus eius.

Quo sensu improbi non
communicant verum
Christi corpus.

Art. 30.

An fuit Christi præceptū,
communicare laïcis sub
vtraq; specie, & quale.

Qualis fuerit praxis anti-
qua Ecclesiæ.

An sit hæreticum repro-
bare modum commu-
nicandi plebem sub vna
specie.

Artic. 31.

Vnde Sacrificium Missæ
est propitiatorium, An
non sit idem Sacrifi-
cium cum isto in cruce,
In quo consistat ratio
sacrifici.

Artic. 32.

An cœlibatus sacrorum
hominum sit de iure di-
uino.

Artic. 34.

An Patres non agnouerunt
necessitatem Traditio-
num doctrinalium ad
decernendas controuer-
sias.

An penes Ecclesiam est,
in singulis prouinciis or-
dinare & mutare Tradi-
tiones ceremoniales.

Artic. 35.

An Ecclesia approbando
libros aliquorum Do-
ctorum, omnia verba &
sententias in illis appro-
bat.

Artic. 36.

Quæ sint essentialia Sacra-
menti Ordinis, tam in
Episcopo, Sacerdote,
quam Diacono.

An verba æquipollentia
sufficiant.

An vnctio, & traditio
instrumentorum neces-
sario requirantur.

Aaa ij

Quare Sacerdotes astantes simul imponunt manus cum Episcopo in ordinatione Sacerdotis.

Artic. 37.

An laici sint capaces iurisdictionis spiritualis quantum est de iure diuino.

Quomodo foeminae sint capaces eius.

An consuetudo dat iurisdictionem.

An Papa potest auferre priuilegia concessa per modum contractus, vel concordati, vel transiitionis.

An, &, quomodo plus operetur priuilegium pre-

sumptum quam notorium.

Quam potestatem habent Principes in clericos & causas Ecclesiasticas ex autoritate Regia.

An Papa habeat vllum titulum temporalis iurisdictionis in Angliam.

An omnes Sancti habuerunt communionem cum Sede Apostolica.

An liceat in vilo casu Regno alicui se subtrahere ab obedientia Summi Pontificis ad tempus.

An in Anglia fuerint causae sufficientes, & annon excederint in modo subtractionis.

Consilium Authoris ad readunationem.

